PRO SACROSANCTA CONSTITUTIONE QUAE INCIPIT UNIGENITUS EDITA A ... CLEMENTE 11...

Manuel Navarro

Digitized by Google

Digitized by Google

PRO SACROSANCTA CONSTITVTIONE QUÆ INCIPIT *UNIGENITUS* EDITA A SANCTISSIMO D. N. CLEMENTE XI.

QUA CONDEMNANTUR CENTUM ET UNA PROPOSITIONES PASCHASIJ QUESNEL.

ET CONTRA

AUDENTES EASDEM AB APOSTOLICO JUDICIO, & Cenſura immunes, tanquam à SS. Eccleſiæ Patribus aſſertas, pervicaciter defendere.

QUAS SIGGILLATIM EXPENSAS EISDEM SANCTIS PATRIBUS, ET PRÆSERTIM *Sancto Auguſtino*, & inſuper Sacræ Scripturæ, & Concilijs, palam adverſas, repugnanteſque,

AC PROPTEREA ÆQUISSIMAM CONTRA ILLAS SEDIS Apoſtolicæ Sententiam, & iniquiſſimum de iſta Aſeclarum Queſnellij Judicium

DEMONSTRAT

M. Fr. EMMANUEL NAVARRO BENEDICTINUS, Congregationis Hiſpanæ S. Benedicti Magiſter Generalis, Regius Theologus, & Concionator, Salmanticenſis Academiæ Laureatus Doctor, & in eadem Primarius Sacræ Theologiæ Cathedræ Moderator iam Emeritus.

OPERE DUOBUS TOMIS DISTRIBUTO SANCTISSIMO DOM. CLEMENTI XI. SAC.

TOMUS PRIMUS.

CUM LICENTIA.

Matriti: Ex Typographia LAURENTIJ FRANCISCI MOJADOS, Anno M. DCC. XIX.

Digitized by Google

Ne Conſtitutiones Venerabilium Patrum divinitus roboratę, & ad ſoliditatem Fidei pertinentes, prava cuiuſpiam interpretatione violentur.

S. Leo Papa, Epiſt. 8. ad Flav.


10. L. 278

Digitized by Google

4. L. 275

II

Digitized by Google



Digitized by Google

SUPREMO IN TERRIS CHRISTI VICARIO.

PASTORI OECUMENICO.

SANCTISSIMO PATRI

DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO.

Fr. EMMANUEL NAVARRO BENEDICT. HISP.
POST. SANCT. PED. OSC.

NUNQUAM ſane , *Sanctiſsime Pater* , æque jactata eſt , & vndique concuſa , Navicula Petri , quam hiſce poſtremis quatuor luſtris , inqueis ſingulari Dei Providentia , & miſeratione, cui gratias quàm ſupplices idcircò habemus, regimini veſtro concredita eſt, ac demandata. Immanes , continenteſque humanarum cupi-

piditatum, commodis ſuis, ac rationibus inſervientium, repetiti perpetim fluctus, & voragines. Rapidi, indomitique falſarum doctrinarum, & fallacium dogmatum venti, furentes ſimul, ac velut ex condicto, ſuos flatus, venenata murmura aſsiduò evomentes; omnes omnino vnà quaſi animorum conſenſione, in id vnum videntur conſpiraſſe, vt excidium ſtruerent poſtremum, roſtrato illi navigio, quod Verbo Dei in promiſsis certiſsimo, fallendique neſcio, ſubnixum, eſt, & erit æternùm ſtabile. Huius porrò conſtantiſsimæ rei, pignus eſt perſpicuum, ac viſibile, *Sanctiſsime Pater*, mirabilis iſthæc ductio veſtra in tam multiplici, turbida, ac pręcipiti tempeſtate. Ea

S. Leo, Epiſt. 7. ad Theod.

namque ipſa oſtenſum eſt, *Quantum præſidij Dominus Eccleſiæ ſuæ in fide Veſtræ Clementiæ præpararit.* Omnipotens Equidem, quòd palam faciat, atque in Spe, vt in Fide noſtra confirmet, verum, ac dignum eſſe eius Orbi Præfectum, ac Vicarium Sanctitatem Veſtram, eligi abſdubio voluit in tam æſtuoſa rerum perturbatione, atque aſſervari diutiſsimè Magiſtrum Navis: Quòd ſci-

ſcilicet Summum hoc poteſtatis ſuæ portentum, quod in Navi rectè procuranda, ſecurèque per tam arduum pelagus ducenda experimur, Veſtra in Fide conſtantia, in obeundo munere prudentia, atque in regimine dexteritate, ac ſolertia efficeretur.

Ergo fœlicitati Veſtrę, quę Navis proſperitas eſt, hoſce cultus mei halitus Voveo. Qui quidem cum audaces ſpiritus eſſe non valeant, qui, auram illam Secundam quam Veſtra Sacra Conſtitutio *VNIGENITUS* affluenter ſpirat, quaque omnia Navigij Vela affatìm complet, ſuffulcire quicquam, augereve ſtultè præſumant: Supplicia ſunt Vota, flagrantia ſuſpiria, quibus ad Veſtros Pedes provolutus, æquè prorſus confiſus, quam nihil pavidus, exclamo.

Domine ſalva nos, perimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

CENSURA R. P. M. Fr. IOANNIS BAPTISTÆ LARDITO: Benedictinæ Religionis Magiſtri, & eiuſdem per Hiſpaniam, Angliamque olim Generalis, atque Abbatis tum Collegij Salmantini S. Vincentij, tum Cœnobij Matritenſis S. Martino Sacri. In Vniverſitate Salmanticenſi Laureati Doctoris, & pridem Cathedræ Phyſicorum in eadem Moderatoris, ac poſtmodum Primariæ Sacræ Theologiæ Anteceſſoris perpetui, iam Emeriti: Archi Diœceſis Toletanæ Examinatoris Synnodalis.

EX præſcripto RR. P. M. Fr. Benedicti Pañelles, Benedictinæ Religionis per Hiſpaniam, & Angliam Generalis digniſs.mi, vidi opus duobus Tomis diſtinctum, aureum, ornatum omni lapide prætioſo, à *Sapientiſſimo P. M. Fr. Emmanuele Navarro Primaria in Salmantina Vniverſitate Cathedra Iubilato, Regiæ Maieſtatis Concionatore, eiuſque pro Immaculata Conceptione Doctore Theologo, Toletanæ Archi Diœceſeos Synnodali Examinatore, olim, & iterum Collegij Sancti Vincentij Abbate, aliſque titulis decorato*, Elaboratum ſub titulo: *Pro Sacra Conſtitutione Vnigenitus, & contra Propoſitiones Queſnelli, eiuſque Aſeclas eas adhuc propugnantes.*

In quo Janſenij dogmata iam olim ſatis proſcripta, ſed iterum larvata pietate pullulantia, iterum novo Sapientiæ, ac Veritatis lumine proſcribenda demonſtrat, aut potiùs quàm verè, quàm certò proſcripta ſint in Bulla *VNIGENITUS* à Summo Eccleſiæ Præſule luculentèr oſtendit.

Irreformabile Romani Pontificis è Cathedra docentis iudicium, non modo authoritatum pondere, ſed & ita nervoſis, ac ſolidis rationum argumentis propugnat; vt nihil amplius opus eſſe, cuique appareat à proprijs paſsionibus libero. Alij eandem veritatem copioſe propugnant, ſed falſitatis renaſcente lolio, opportuit ſelectiori, ac ſolidiori Sanctorum Patrum doctrina eandem reciprocare Serram, ne errores noviter ab Orco excitati radices agant, & per Eccleſiæ Corpus graſſentur.

Sed quia (teſte Auguſtino) *duplex eſt via, quam ſequimur, aut rationum, aut certe authoritatum*, viam authoritatum diſſertiſsimus Author, ex Sacra Pagina, œcumenicis, ac Pro- *Lib. 2. de Ord. c. 9.*

vin-

vincialibus Concilijs, ex Jure Canonico, Apoſtolicis ve Decretis, ac Sententijs Sanctorum Patrum inoffenſo pede decurrit; ſimulque rationum pondere, ac inelectabilibus argumentis viam eligit veritatis, vt vtraque falce Queſnellianæ Hydræ capita palliata pietate novitèr pullulantia detruncet, authoritate, & ratione dirigente manum.

Ad ſtilum quod attinet in refellendo, pugnando, & expugnando, nihil Monaſticæ profeſsioni conſentaneum deſiderabis; quin immò ſubtilitatem diſcurſus cum mira animi docilitate fœderatam deprehendes, vbique diſputationis ardori modeſtia præſcribente legem.

Sed ne pauca dicam, dum plura non permittit eiuſdem Benedictinæ profeſsionis vinculum, in Litteraria Palæſtra Societas, in eàdem Salmantina Academia, & Laurea, & Gradu, & Cathedra germana coniunctio, omnia ſilentio obvolvam, nec immorari licet in obſcurandis harum lucubrationum luminibus, dum Author ipſe ſe prodit, immò alijs voluminibus de Scholaſtica penu acri elucubratis ingenio iam olim ſe prodeerat. Mea tandem ſententia, nihil in hoc volumine apparet, niſi orthodoxum, niſi eruditum, niſi ſolidum, nihil tandem probatis moribus diſſentaneum; prodeat ergo hoc opus aureum omnibus ſuis numeris abſolutum, in Vrbem, & Orbem; In Vrbis propugnaculum, in Orbis vtilitatem: Sic ex animi ſententia ſentio ſalvo, &c. Matriti, in hoc Monaſterio S. Martinō Sacro, die 20. Maij. Anno 1719.

Mag. Fr. Ioannes Baptiſta Larditoꝝ

FA

FACULTAS ORDINIS.

NOS Magiſter Fr. Benedictus Pañelles, Generalis Benedictinorum Congregationis Hiſpano-Anglicæ, &c. Tenore præſentium facultatem, quo ad Nos attinet, concedimus RR. P. Mag. Fr. Emmanueli Navarro, noſtræ Religionis Magiſtro Generali, & Vniverſitatis Salmanticenſis Doctori, & Primariæ ibidem Sacræ Theologiæ Cathedræ Moderatori, &c. Vt ſervatis alias ſervandis prælo dare queat Opus ab ipſo elaboratum, & duobus Tomis partitum, cui titulus: *Pro Sacra Conſtitutione UNIGENITVS, contra Propoſitiones Queſnel, iſtiuſque Aſeclas, eaſdem adhuc propugnantes*: Quòd Iuſſu noſtro examinatum, luce dignum cenſetur. Datis in hoc Regio S. Æmiliani Monaſterio, Sigillo noſtro Officij ſignatis, & per Ordinis Secretarium ſubſcriptis. Die 14. Septembris, Anno 1719.

Magiſter Fr. Benedictus Pañelles,
Generalis Ordinis S. Benedicti.

De mandato RR.P.N.Generalis.
Magiſter F.Benedictus Lopez Sedano.
Secretarius.

¶¶ *CEN-*

CENSURA RR. P. M. Fr. PRUDENTII RESSA, Ciſtercienſis, ſui Ordinis Magiſtri, ac nuper totius Congregationis Hiſpanæ Generalis, in Univerſitate Salmantina laureati Doctoris, & ibidem olim Philoſophiæ Cathedræ Moderatoris, Regij pro Immaculata Deiparæ Conceptione Theologi, & Archi-Diœceſis Toletanæ Synodalis Examinatoris.

EX Commiſsione Dom. Doct. D. Nicolai Alvarez de Peralta, Prothonotarij Apoſtolici, Judicis in Curia, Ordinarij Inquiſitoris, atque Vicarij huius Regiæ, & ditionis Matriti, &c. Per legi integrum opus dogmaticum, quod a prælectione partis iam editæ, ſeu pròdromi antea prodiri avidè optabam, in duos Tomos partitum, cui titulus melior minio: *Pro Sacra Conſtitutione, quæ incipit VNIGENITUS contra quemdam Anonymum, aliosque audentes Propoſitiones Queſnellij per eam iure proſcriptas denuò inſtaurare, &c.* Ex cuius ſtructura ſub duodecim titulis, ſub quibus Anonymus ille pro Queſnellio reflectit, quamvis reflexè, ani madverſionibus, pro Sacra Conſtitutione rectiſsimè ſolideſcit, & erigitur, Authore Sapientiſsimo, & Reverendiſsimo P. N. M. Fr. Emmanuele Navarro, & Ceſpedes, Magni Parentis noſtri Benedicti Monacho, Congregationis Hiſpaniarum Ex-Generali, Sacræ Theologiæ Doctore, & Antecellore vnde libet Primario, iam emerito, in noſtra Salmantina Schola, Regio item Concionatore, & Regio etiam pro Immaculata Deiparæ Conceptione Theologo, qui laude laborum ſuorum ſe ipſum ſonet, & ſcriptis coronetur ſuis, tot editis Voluminibus Orbi Litterario teſtibus ad coronam de quadruplici tanti Magiſtri Theologia, de Eccleſiaſtica Hiſtoria, de omnigena eruditione; imò præter ſcripta, cunctis auditoribus Verborum eius multo maiora plaudentibus, quam quæ poſsit capere munus probi, vel lenocinium improbi Laudatoris.

Magnum mihi hoc opus, & vni noſtro Reverendiſsimo Magiſtro aggredi, & perfici demonſtrative conceſſum, vtpotè cui poſt tot tantaque opera Theologica apprimè conſummata facillimum veritatem munire Catholicam, Apoſtolicam defendere Sedem, laqueos ſuppoſitos, & eorum radices ad pulverem conterere, ſophiſmata ratione, & authoritate revincere, claſſem non claſsicam Queſnellij, & huius clanculariorum advo-

ca-

catum contra Eccleſiæ authoritatem, contra Sacramentorum efficaciam, contra Dei miſericordiam demoliri molientes, ſeu cunctas, & ſingulas 101. propoſitiones Queſnellianas exponere, vt deponat, introſpicere, vt deſpiciat, concludere, & excludere, vt non inveniantur, vel vt inveniantur inanes, ſubdolæ Sanctis Patribus averſæ, ac æquo iudicio, iuſto iure, & rationabili potentia à Sancta Sede damnatæ. Super huius damnationis iuſtitia à noſtro Magiſtro ſtabilita omnia ipſius antecta opera rectiſſima probantur, iuxta illud D. Chryſoſtomi: *Teſtimonium ſtudioſi agricolæ meſſis fœcunda, aſſiduæ autem Doctoris documentum Eccleſia plena.* D. Chriſ. Hom. 16. in Matth cap. 10.

Iam Queſnellius vbi fodiat, vt fundet, & Anonymus quo declinet, flectat, reflectatur, vt tegat, non habebunt: Clarent enim in opere obvia ipſis, vel ad hominem, vt dicitur Sanctorum Patrum, & Sacrorum Conciliorum teſtimonia, quæ pervium ab adiunctis ſenſum, id eſt rationem à Magiſtro noſtro deductam præſeferant de recta Fide, & nec iota vno, aut vno apice ex contextibus prætermiſſo ab Authore noſtro, reſtituta, & integra querantur de Anonymo truce, potius quam collectore, à quo decurtata, & delacerata, non niſi ad machinam valuere acephalicam, & truncam, nec aliter pro damnatis propoſitionibus ſtruxere cauſas. Diſcimus ab Authore noſtro, quos à D. Irenæo, ſimiles Anonymo, qui *duas dictiones tollentes à Paulo, neque ſenſum Apoſtoli perſpexerunt, neque virtutem dictionum ſcrutati ſunt. Inde autem ipſas dictiones tenentes, circa ipſas moliuntur vniverſam diſpenſationem Dei quam tum in ipſis evertentes.* At ſuper cuiuslibet propoſitionis devorato campo invenietur ſervus prudens, Magiſter noſter tanquam *Sampſon, qui veri, & fidelis imaginem tenet Doctoris, capiens verbo veritatis caudam, ad caudam colliget, id eſt, adverſantes ſibi, & diverſa à ſe invicem ſentientes, docentesque confutet, atque ex ipſorum verbis propoſitiones, collectionesque accipiens in allophilorum ſegetem ignem concluſionis emittat, & ex proprijs eorum argumentis omnes eorum fructus, atque vineas, & oliveta peſſimæ generationis incendat*, vt olim aiebat Origenes. Videbunt forſam, & legent Galli animadverſiones Magiſtri Navarro, nec tal Hiſpanum, Doctorem Matritenſem nauſeabunt amici fœdere Chriſtianiſſimo, & Regio, quin potius rationabiles ſine dolo lac Sacra Conſtitutionis *VNIGENITUS* concupiſcent, vt in eo creſcant in ſalutem,

D. Irenæus Lib. 5. adverſ. Valentinianos, & ſimiles.

Origen. Homil. 2. in Cant. Cantic.

tem,

tem, & qui bona mente vertant, & volvant, totum opus de zelo Gallico venire credent. Quamvis enim in ipſa Gallia multa, multa in Belgio, multa in Hiſpania, plura Romæ prodiderint contra Queſnellium, & pro puritate, fidei, & morum ſtudia, hoc vnum ſapientiſsimi noſtri Magiſtri præ cæteris Lectoribus inſtillat, ſeu infigit, palpabile, ſine aculeo acumen. Videlicet animadvertas ſcopum animadverſionibus præſcriptum vtroque idiomate, Gallico ſcilicet, quo propoſitiones loquebantur, & Latino, quo Sacra Conſtitutio earum caracteres obcurat, vt ita conſtet Authorem noſtrum, nec fingere, nec eligere, quem feriat hoſtem, ſed partem Queſnelii, vel ore proprio ſe iurare veritati adverſam, & dignam co'limari, vno, vſque ad fundamenta exinaniri. Ideò etiam præponuntur armamentaria deficientia Anonymi ad litteram, vt additis contextibus, & traducto ſpiritu, pateat quomodo per Anonymum *Telam araneæ texunt, quæ parva, & levia poteſt capere, vt muſcas, culices, & cætera huiuſmodi, à fortioribus autem rumpuntur*, vt dicit D. Hieronymus in Epiſtola ad Cyprianum.

Obſerves item lucidiſsimam brevitatem, & veluti ictu victricem doctrinam animadverſionum, quæ non latè, longeque protractæ, ne à protenſa impugnatione cohors oppoſita virilis æſtimetur, ita clarè, & ſtricte fluunt, vt vnico hauſtu rem orthodoxam, propinent amplectendam, & vel per numerum quemlibet ſummatim probent, & ſtipent. Accedit præcipuè, quod acuit opus, methodus nulla ſtrigoſitate contexta, & ad modum Gallicum non ſyllogiſtica, ne vel ſono diſpari prolata veritas non audiatur. Utinam ſoldurios adſciſcat, quos advocat ſermo vivus, & efficax, cuius periodi mirmillones, ſed ſine periphraſi, quas nec Anonymus remetietur, etiam ſi remugiat. Hac nullus, quem viderim, in Queſnellum Scriptor ſtrenuitate pulſat, nullum prima, ſecunda, & tertia manu legi gladiatorem, in abſonum ita conſone dimicantem. Qua propter nedum prælum meretur opus, ſed Cedrum, ſed Cœlum, ſed Lilia.

Sic ſentio, ſalvo meliori, &c. Matriti, in hoc Sanctæ Annæ Ciſtercienſi Monaſterio, ſexto Idus Octobris, Anno 1719.

M. Fr. Prudentius de Reſſa.

LI-

LICENTIA ORDINARIJ.

NOS el Licenciado Don Nicolàs Alvarez de Peralta, Prothonotorio Apoſtolico, Juez in Curia, de el Tribunal de la Nunciatura de eſtos Reynos, Inquiſidor Ordinario, y Vicario de eſta Villa de Madrid, y ſu Partido, &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia, para que ſe puedan imprimir, è impriman los dos Libros en quarto de las Propoſiciones contra Queſnel, y en favor de la Bula UNIGENITUS. Compueſtos por el Reverendiſsimo Padre Maeſtro Fr. Manuel Navarro, Cathedratico de Prima Jubilado de la Vniverſidad de Salamanca, del Orden de San Benito. Atento que de nueſtra orden, y mandato ſe ha viſto, y reconocido, y no contienen coſa opueſta à nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Fecha en Madrid à catorze de Octubre, año de mil ſetecientos y diez y nueve.

Licenciado Don Nicolàs Alvarez de Peralta.

Por ſu mandado.

Mathias de Aranda.

CEN-

CENSURA RR. P. M. Fr. IOANNIS Interian de Ayala, Sacri Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede Ordinis Magiſtri, Diffinitoris, & eiuſdem in Caſtella Provincialis, Concionatoris Regij, atque in conſenſu Conceptionis Deiparæ Theologi: Salmanticenſis Academiæ Doctoris laureati, ibidemque primum Philoſophiæ, dehinc Sacrarum linguarum Primariæ Cathedræ Anteceſſoris Emeriti.

EX iniuncto mihi à Regio Supremoque Caſtellæ Senatu Cenſoris munere, qua par eſt ſedulitate, adque animi intentione pervolvi, legique egregium opus duobus Tomis contentum, cui titulus is eſt: *Pro Sacra Conſtitutione, qua incipit* UNIGENITUS, *contra quemdam Anonymum, alioſque, audentes propoſitiones Queſnellij per eam iure proſcriptas, &c.* Author verò ſapientiſsimus iuxta ac Reverendiſsimus P. M. Fr. Emmanuel Navarro de Ceſpedes, Sacratiſsimæ Benedictinæ Familiæ Ex-Generalis, apud Salmanticenſes Doctor Theologus, atque ibidem S. Theologiæ Profeſſor Primarius, atque emeritus; Regius item Concionator, atque in conſenſu Puriſsimæ Conceptionis Theologus, &c. Et quidem res eſt, quæ non hoc egeret, quamvis tanto ac tam luculento patrocinio, niſi eſſent ingenia quibus vis quædam refractaria pro indole, ac veluti innata ſapientia eſt; & niſi eſſent, vt clarius eloquar, homines, qui cum Catholici atque orthodoxi audire aveant, inconcuſſæ tamen Romani Pontificis authoritati, non ea animi demiſsione ac ſubiectione, qua par eſt, ne quid gravius dicam, obſequuntur. Quibus ſanè doctiſsimus Author ingenti prorsùs ac fœlici molimine reſiſtit, eo puræ atque ſinceriter orthodoxæ doctrinæ zelo ductus, quo planè flagrat, aut potiùs tabeſcit. *Tabeſcit enim*, vt appoſitè inquit

quit præclariſsimus Author, * *vir pacificus, quando alios videt pacta reſcindere, conſenſuum abolere concordiam, iurgia de pace reparare, in tumultus redire de gratia.*

* *D Ambroſ. in Pſ. 118. ſerm. 22.*

Iam opus, ſi quid ego iudico, egregium eſt, præſtans, eruditum, doctrinæ plenum & iudicij, ſtylo quoque non vllis fucato calamiſtris, nitido tamen ac terſo, & qui compoſitus conſultò videatur minus, quod aiunt, ad pompam, quam ad pugnam. Opus denique exactum elaboratumque: quodque, vt verbo dicam, ſuo ipſius potius lumine atque fulgore, quam aliena laudatione reſplendeat. Et certe poterat eorum, adverſus quos editur, oculos, ſi omninò ſani eſſent, ſua claritate perſtringere. At non faciet (inquies) neque ipſi, vt conſentaneum erat, veritati manus dabunt quantumvis victrici. Eſto. Sed nec propterea debuit pius atque eruditus Author à doctrina deſiſtere, cauſamve deſerere. Tutari enim ſe poteſt, & merito, verbis atque ſententiâ viri in Eccleſia inſigniter Magni. * *Secundùm cognitionis menſuram* (inquit ille) *quæ nobis à Domino præbita eſt, & veritati adeſſe, & falſitatem refutare recepimus. Putavimus enim è tribus bonis vnum omninò conſequuturos: aut enim præoccupatis hominibus, quaſi remedium morbi refutationem hanc dabimus: aut ſanioribus, quo ſe conſervare poſſint afferemus: aut omninò ipſi, quod optimè fratribus conſuluimus: haud parva conſequemur præmia.*

* *D. Baſil. Mag. li. 1. contra Eunomium, in ipſo exordio.*

De Authore verò, cuius nomen forſan huius operis præcipua laus & commendatio eſt, quid attinet dicere? à teneris, quod dicitur, vnguiculis in Litteraria Palæſtra probe exercitum, atque in re Theologica apprime verſatum, tota quà latè patet Hiſpania novit; quæ certè eſt Theologicarum concertationum ſatis celebre atque inſigne ſolum. Imò non hoc tantùm, ſed illum inter primos numerat Profeſſores, & plane inter Primarios. Haud obſcuram rem loquimur. Fidem enim faciunt abſolutiſsimam ſcripta de rebus Theologicis volumina, quæ publico plauſu excepta ſunt, non Hiſpaniæ tantùm, ſed Europæ: Et in quibus, quod alibi teſtati ſumus, Scholaſticarum ſubtilitatum acumina cum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis, cum Sanctorum Patrum placitis, cum amœnioris Litteraturæ

turæ floribus amico atque felici nexu copulantur. Quare, ne hæc atque alia, quæ prudenti ſilentio obvolvo, non iudicio, ſed amicitiæ gratiæque tributa videantur, qui nihil iam de Authore doctiſsimo dicere cogor, ad Authorem ipſum orationem convertam, verbis vſus eius, qui inter Eccleſiæ Doctores præcipuos per excellentiam quamdam Theologus audit. * *Et vellem* (equidem dicam) *mihi te apud alios libera oratione deſcribere liceret, ac non coram iſta te præſente perpenderentur neceſſe vt habeam quam plurima parcè laudare, ne in aſſentationis ſuſpicionem incurram.*

a Nazianzen. oratione in funere Patris, ſub med.

Quæ mihi igitur mandati muneris partes ſunt, nihil hic liber continet vel Fidei Chriſtianæ dogmatibus, vel bonis probèque inſtitutis moribus adverſum. Apage, nomini magno irrogari hanc noxam: quinimo pleraque complectitur, aut verò omnia, longè vtiliſsima vel ſacris dogmatibus colluſtrandis, vel Chriſtianis moribus erudiendis. Ita ego cenſeo, ſalvo, &c. In hoc Sacri ac Regij Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Matritenſi Conventu, Kalendis Aprilis, Ann. 1719.

Mag. Fr. Ioannes Interian de Ayala.

FA.

FACULTAS SUPREMI SENATUS.

DON Balthaſar de San Pedro Azevedo, Eſcrivano de Camara del Rey nueſtro Señor, y de Govierno del Conſejo. Certifico, que por los Señores de èl ſe ha concedido Licencia al RR. P. M. Fr. Manuel Navarro, del Orden de San Benito, para que por vna vez pueda dàr à la Eſtampa vn Libro en dos Tomos, intitulado: *Defenſio Sanctæ Conſtitutionis Vnigenitus*, contra propoſiciones del Padre Queſnel, por el original que và rubricado, y firmado al fin de mi mano, con que antes que ſe venda ſe trayga al Conſejo, juntamente con el original, y certificacion del Corrector, de eſtàr impreſſo conforme à èl, y ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la impreſsion lo diſpueſto por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos. Y para que conſte, doy eſta Certificacion, en Madrid à treze de Abril de mil ſetecientos y diez y nueve.

Don Balthaſar de San Pedro Azevedo.

SUMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte Libro, inſtitulado: *Contra las Propoſitiones de Queſnel, y defenſa de la Conſtitucion VNIGENITUS*, à ocho maravedis cada pliego, como mas largamente conſta por Certificacion, dada por Don Balthaſar de San Pedro, Eſcrivano de Camara del Rey nueſtro Señor, y de Govierno del Conſejo. Su fecha en Madrid, à veinte y ocho dias del mes de Noviembre de mil ſetecientos y diez y nueve años.

D. Balthaſar de San Pedro.

ERRATA.

Pag. 3. num. 3. lin. 4. *quod*, lege *quot*.
Pag. 21. in Reflex. lin. vlt. *Cbpax*, lege *capax*.
Pag. 27. lin. 4. *Queſtel*, lege *Queſnel*.
Pag. 31. num. 14. lin. 20. *diſtributiones*, lege *diſtributione*.
Pag. 101. num. 37. lin. 12. *prantiam*, lege *præſentiam*.
Pag. 133. num. 137. lin. 5. *ſit*, lege *ſit*.
Pag. 138. num. 150. lin. 2. dele *de*.
Pag. 155. num. 2. lin. 10. *poſt*, lege *poteſt*.
Pag. 198. lin. 8. *ſcripturas*, lege *ſcripturus*.
Pag. 216. lin. 5. *pleonaſmus ille*, lege *pleonaſmo illo*.
Pag. 219. num. 76. lin. 3. *expiicanter*, lege *explicantem*.
Pag. 265. num. 220. lin. 1. *miror?* lege *moror?*
Pag. 294. num. 1. lin. 11. *Offere*, lege *Offore*.
Pag. 366. col 1. lin. 3. *deflecit*, lege *deflectit*.
Pag. 454. col. 2. num. 40. lin. 5. *humano*, lege *humani*.
Pag. 455. col. 2. lin. 3. *conſulctant*, lege *conſulciunt*.
Pag. 534. col. 2. num. 20. lin. 10. *nobis*, lege *novis*.
Pag. 543. col. 1. lin. 15. *eſſen*. lege *eſſet*.

He viſto eſte Libro, intitulado: Defenſa de la Conſtitucion Unigenitus, contra las Propoſiciones de Queſnel, y ſus ſequaces. Primero Tomo. Su Author el RR. P. M. Fr. Manuel Navarro: y con eſtas erratas correſponde a ſu Original. Madrid, y Septiembre 20. de 1719.

Lic. D. Benito de el Rio y Cordido.
Corrector General por ſu Mageſtad.

RA-

RATIO OPERIS.

QUAMVIS ex ipſa Libri fronte ſat operis argumentum ſe oſtendat; non ſupervacaneum, nec grave erit Lectori, ſi diſtinctius eum de motivo, ratione, methodo, & de alijs circumſtantijs, ad pleniorem intelligentiam, qua de re integra incorruptum (quod enixè deſideramus) ferre valeat iudicium, certiorem faciamus.

Anſam, ſeu occaſionem huic dedit ſcripto libellus vnus, qui inter innumeros alios, gallico idiomate conſcriptus, adverſus nuper editam Sacroſanctam Conſtitutionem Sanctiſsimi D. N. Clementis Papæ XI. quæ incipit *VNIGENITUS DEI FILIUS*, ad manus meas pervenit, nomine Authoris, ſimiliter ac alij deſtitutus, & ſola hac ſuæ editionis nota, & Epigraphe inſignitus. *Die 4. Ianuarij 1714. Iugement des Saints Peres ſur les propoſitions condamnées dans la Conſtitution du 8. Septembre 1713. contre le Nouveau Teſtament avec des reflexions morales. Seconde Edition. De l'Ecrit qui a paru ſous le titre de la Conſtitution Vnigenitus, en quatre colomnes.* Videturque Compendiolum iſtius, aut alterius apud refractarios prædictæ Conſtitutioni famoſi ſcripti, cui titulus: *Hexapla, ſive Sex columnæ.*

In iſto porrò ignotus nomine Author, non verò ſecta, præmiſsis qualificationibus, ſeu cenſuris, quibus innixus Sanctiſsimus Clemens laudata Bulla damnat centum & vnam propoſitiones excerptas ex Libro Paſchaſij Queſnel, cui (inter alios) titulus: *Abregé de la morale de l'Evangile, &c.* inverecunda planè, & inſolenti audacia conatur eaſdem ab æquiſſimo iudicio vindicare, ſatagens illas Sanctis Eccleſiæ Patribus adſcribere; eiſque teſtimonijs ipſorum ſuffulcire, quibus repræſentet Patres tanquam ore Queſnellij loquentes, ſeu potius ipſorum verbis Queſnellium dogmatizantem, hac via præſumens ſuadere, aut fulmine Conſtitutionis perculſam Doctorum Eccleſiæ doctrinam, aut aſſertas à Queſnellio propoſitiones, iniquo prorſus eſſe damnatas iudicio.

Hoc propoſitum eſt, hic prædicti libelli ſcopus. Quo ſtatim cognito, illum quem perlegere vetabat Religio, digniorem tenebris, quam luce, recludendum, & accuſandum decrevi. Sed facta ilicò reflexione, animadvertenſque, quod ob ve-

neranda Sanctorum Eccleſiæ Doctorum nomina, & dogmata quibus Author nititur proſcriptos protegere errores, poterat forcaſis incautos aliquos, ſeu minùs prudentes decipere, vt exiſtimarent cauſam, tametſi iuribus omnibus deſtitutam, iamque penitùs deploratam, & ſola pertinacia, & furore Sectatorum ſuffultam, acceſſione tamen talium teſtium, ſuffragiorumque, veluti de novo inſtauratam: & propterea (quod maximè Queſnelli aſſeclæ perſuadere ſtudent) non fuiſſe illam antea ſerio, & accuratè, ſed imò perfunctoriè, & infeſto etiam animo examinatam: nec demùm recto, & incorrupto, ſed potiùs iniquo, ac male affecto iudicio condemnatam.

Id quod Refractarij iſti ſcelerata prorsùs temeritate garriunt, ac ſi cauſa quæ fidei, & morum eſt, debeat, aut valeat ad alium iudicem explorari, & perpendi, quam ad vnicum dogmatum lydium lapidem, iam ipſis ceraunium, ad Eccleſiæ ſcilicet petram, ad quam iubemur attendere, vnde ſciſsi ſumus fideles, & ſupra cuius inconcuſſam firmitatem ſtruitur Sedis Apoſtolicæ Sacroſanctum, & æquè infallibile Tribunal, vnde cauſæ ius dictum. Quia, inquam, ita delirant: & quoniam authoritas Sanctorum Patrum, quamvis non æqua, aut conſimilis, tanti alioqui ponderis eſt, vt flectere poſsit iudicium eorum qui, vel ſimplicitate, vel ex paſsione aliqua, ſe ſinant ab abutentibus illa hallucinari.

Ne id facinus temere ab Anonymo iſtius libelli Authore, & ab alijs, tentatum, vel ab incautis, vel etiam ab obſtinatis, ſe obtinere præſumeret, & ne de male ſibi feriato SS. PP. patrocinio gloriaretur, viſum fuit, obtenta facultate illum legendi, in id incumbere, vt clariora ex eiſdem PP. teſtimonia ad ſingolas Queſnellianas theſes confutandas adnotarem; conductas ab Anonymo ipſorum allegationes, ad legitimum ſanumque, & idcircò adverſum, reſtituerem ſenſum; confictum retunderem; collationeſque demonſtrarem ineptas, & reflexiones exploderem: his alioqui animadverſionibus, quæ complectentes ſupremam Divinæ Scripturæ authoritatem, Conciliorum intemerata ſtatuta, Summorumque Pontificum veneranda Decreta, cum perſpicuis Doctorum Eccleſiæ ſententijs omninò omnia conſona, faciant iudicium pleniſsimum, apicibus omnibus, iuribuſque conſtans, ad revincendum Queſnelliſmum, ſuoſque corripiendos defenſores.

Enimverò, vbi duorum, trium, aut plurium Sanctorum Pa-

trum

trum vna eſt concors, & conſtans ſententia, quæ ex Scripturis obeis explicata, dogma aliquod indubitanter tradunt, ſpectans ad fidem, & mores cohærenſque diffinitionibus Conciliorum, tunc maximi momenti, & ponderis illorum teſtimonia ſunt: quia, præterquam quod fide ſunt digniſsimi, præſertim qui *in nullo à Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſortio deviarunt, neque ab eius fide, vel prædicatione ſeiuncti ſunt*, qui & vitæ ſanctitate, ac doctrina conſpicui, miraculiſque inſignes fuere; ipſa, inſuper, ſua conſenſione, & cum Scriptura Eccleſiæ, & Conciliorum ſenſu conformitate, ſat oſtenditur quod Spiritus Sancti magiſterio in ſuis, & Eccleſiæ verbis lucente loquuti ſint.

Decr. Gelaſ. in Concil. Romã.

Hac quippe ratione Concilia ipſa teſtimonijs Patrum vnanimiter ſentientium ſemper vtuntur, & ſenſus novos in Scriptura ab hæreticis adinventos, aut confictos, reijciunt, damnantque: quorum aliqua ex antiquioribus exempla ſat erit ad marginem adnotare. Quin & ipſi etiam SS. PP. ad impugnandos hæreticos crebrò Patrum præcedentium verba, & ſententias allegant, quod frequenter facit S. Auguſtinus, vt appareat, quod ipſe ait, ab eis qui dominica tractarunt eloquia, id quod docent ad Eccleſiæ fidem fuiſſe tanta conſtantia cuſtoditum. Et quidem meritò tanta pollent authoritate, qui ſine affectu partium loquuti, traditionem, & ſenſum conſonum Scripturæ, & Eccleſiæ, eo tempore cum nulla erat diſſenſio, nobis teſtatum reliquere. Vtque tandem ait S. Fulgentius: *Dignum itaque eſt, chariſsimi fratres, vt in ſingulis quibuſque ſententijs, in quibus nubilo cuiuſquam obſcuritatis ambiguous, Sanctorum Patrum diffinitionibus hæreamus: quos prævenientes miſericordia Dei gratis illuminavit, vt crederent; & ſequentes inſtruxit ſpiritaliter, vt docerent.*

Epheſ. & in Act. Chalced. Conc. ad. ar. 5. Lib. Aug. & Epiſt. Ubi. Lib. 3. de pec. merit. Lib. 1. cont. Iul. Epiſtol. Pelag. Lib. 2. cont. Donat. Lib. 1. de Gratia Chriſt. cont. Pel. cap. 43.

Iſtius itaque armaturæ erunt argumenta quæ ex Patribus ad refutandum Queſnellium, ad ſuos ſectatores, & defenſores redarguendos, ad vindicandamque ſaluberrimam Conſtitutionem *VNIGENITUS* producam, conſentanea, videlicet, ſenſui Scripturæ, Conciliorumque, ac minimè coacta, ſed ſponte venientia, & ad ſingularem vniuſcuiuſque propoſitionis materiam, & expreſſum per eam ſenſum opportuna: & cuiuſmodi non ſunt, vt etiam apparebit, quæ Anonymus, & Queſnellius ad ſuum propoſitum, potius quam ad Scripturæ, & Patrum intentum adigunt, depravatis ad illum colligendum ſententijs, alioqui generalibus; verbis ſæpè intempeſtivè ſectiones aliq

Lib. 1. de Ver. Prædeſt. cap. 18.

avocatis, hæc verò etiam violenter infectis: ita vt, quod in Brentio merito reprehendit eruditus Petrus Sotus: *Intolerabilis blaſphemia ſit, per verba illorum Patrum quos Deus Eccleſiæ ſuæ, & miraculis, & doctrina, atque ſanctitate commendavit, Satanam meditatum fuiſſe deſtructionem Scripturæ, & Eccleſiæ.*

In Defenſ. Cathol. Confeſ. cap. 40.

Hæc ſatis de cauſa, & inſtituto operis noſtri. In quo ſequar methodum, & partitiones quas ſibi Anonymus elegit, vt preſsius, dilucidiúſque eius conatus perfringam. Ille namque ratus aptiorem ſuo propoſito viam arripere, diſponens damnatas Queſnellij propoſitiones, non eo ordine, quo in laudata Conſtitutione adnotantur, ſed redactas ad claſſes, aut themata propriæ ſingularum materiæ, ſeu argumenti, ſtatuit primo propoſitionem, vt latine in Conſtitutione extat proſcripta; dein eandem a Queſnellio gallice prolatam; ac demum addit quaſdam proprias, & eodem ſermone expreſſas, ſeu notas, ſeu reflexiones, quas *Remarques* appellat; ſuntque quædam veluti corollaria ex collatione teſtimoniorum Patrum cum eiſdem propoſitionibus, ad illarum prætenſam indemnitatem colligendam.

Ergo hac ipſa methodo me geram, huncque ordinem ſervabo; quo prius quæ in libello habentur verbatim afferam, latine tamen: (exceptis dumtaxat locutionibus Queſnellij) dignum alias, & congruum cenſens, SS. PP. ſententias totidem verbis referre quibus eas protulerunt, vel vt e græco extant latinè tranſlatæ. Quæ autem Anonymi ſunt, latina etiam fidelique verſione excipiam, cum vt omnibus innoteſcant, tùm vt meliùs pravos illius ſenſus refellere, & vbi opus ſit retorquere queam. Poſtremò proferam Scripturæ loca, Conciliorum dogmata, Pontificum Decreta, & PP. ſelecta, nec trita, teſtimonia rem penitus definientia: quibus omnibus perpenſis, & invicem comparatis, pervium erit cuique bene alioqui inſtructo, & ab ſtudio partium alieno, de abſurditate theſium Queſnellij, de æquiſsima illarum cenſura, & condemnatione, de abuſu, & petulantia Anonymi eas adhùc defendentis, deque tandem iniquiſsima Queſnelliſtarum querela, vnico obtutu judicare.

Circa priorem verò, & veluti capitalem propoſitionem vniuſcuiuſque claſsis, eiuſque malignam defenſionem fuſior ero, vt nimirum extemplò Lector ad reliquas eiuſdem argumen-

menti confutandas ſibi peractum, perſpectumque armamentarium habeat; præſertim cum ad evitandum ipſi faſtidium, conſilium ſit non iterare ex Patribus verba eadem, & argumenta, quæ ſuppoſitas propoſitiones eodem veneno, & errore infectas, eundemque pravum ſenſum inculcantes impugnant: in quo ſanè nec plurimum negotij, aut laboris impendimus, quoniam manifeſta, & locupletiſsima cauſæ veritas, copiam tantam teſtium, & ſuffragiorum ad ſui ſuppeditat defenſionem. Ubi tamen oporteat jam allegata reviſere, ea marginalibus notis indicabimus, vt exindè etiam doctrinæ illorum conſtantia, & cum dogmatis Scripturæ, & Conciliorum perpetua conformitas appareat.

In allegandis autem SS. PP. ſcriptis, vellem majori illorum criſi legitima à ſuppoſitirijs, indubitatave, ab alijs non ejuſdem notæ diſcreviſſe: forte namque aliquando, non inficior, teſtimonia nomine eorum afferam, ſive ex eis operibus, quæ jam à modernis criticis male illis adſcripta dicuntur. Sed mihi non tam ampla res familiaris eſt, qui ad manus habere poſsim caſtigatiſsimas operum SS. PP. editiones: nec ſine improbo labore, magnaque temporis, & ſtudij jactura (quod nihilominùs interdum feci) commodatas quærere. Neceſſe ergo fuit antiquioribus vti, & bona priſcorum fide in re iſta me gerere: quod forſam Anonymus ipſe cum quo mihi negotium eſt, atque item ſimiliter Author Hexaplorum non mihi objicient; quoniam ipſi aliquando etiam vtuntur, pro ſui Queſnellij defenſione, teſtimonijs non admodùm exploratis Patrum quos allegant: nec propterea eos accuſamus, aut allegationem deſpicimus; quia non id cenſemus crimen quod Theologis objiciatur: nec teſtimonia adducta carent omnimoda authoritate, quæ vel ob ipſam venerandam antiquitatem, vel ob nomen Patrum operibus vnde eruuntur præfixum, ſatis commendantur, vt ſaltèm tanquam Authorum fide dignorum ſint habenda. Pag. 485. [illegible]

Quod attinet ad ſermonem, ſeu ſtylum, eo & proprio
„ vtor, de quo audeo me excuſare verbis S. Proſperi. De ac- Lib. 3. de Vita Contempl. cap. [illegible]
„ curatione dictionis elucubratæ non ſatago, nec mihi pudori
„ eſt, ſi diſputatio mea quæ forte probatur in rebus, aliquos
„ verborum inanium Sectatores horrore incomptæ orationis
„ offendat: quia quod ab homine doctore ſtudendo non didi-
„ ci, id exhiberè loquendo non potui. Et tamen cum ſenten-

„ tiis,

" tiarum vivacitatem ſermo ex induſtria cultus enervet; quis
" non iudicet me affectationem compoſitionis debuiſſe con-
" temnere, etiã ſi eam potuiſſem velut dicendi peritus implere?
" Quapropter cum hi viſa eſt compoſitio ſatis ornata, quę con-
" ceptiones animi cum neceſſaria quadam perſpicuitate pro-
" ferret, non quæ illecebris aurium deſerviret. Ea eſt enim, ni-
" ſi fallor, indicata latinitas, quæ breviter, & aperte, obſerva-
" ta duntaxat uſitatorum verborum proprietate, res intelli-
" gendas enuntiat; non quæ vernaculis eloquijs venuſtate, atq;
" amœnitate luxuriat. & prudentibus viris non placent phale-
" rata, ſed fortia, quando non res pro verbis, ſed pro rebus
" enuntiandis verba ſunt inſtituta.

Hinc ſi quid durum, aut acerbum in Queſnellium, Anonymum, & reliquos Janſeniſtas aliquando protulimus, tanquam dictum impulſu, & zelo veritatis ab eis conculcatæ, non ab odio in homines, tametſi oraculo eiuſdem veritatis rebelles, & contra ipſum debacchantes, accipiendum eſt. De quo præſertim Anonymus, quem potiſſimum inſequimur, conqueri non poteſt, & quia homo eſt nobis nomine adhuc ignotus, & quia ſuccinctus pro Queſnellio militare in pugna, vt de Eutychete pro Neſtorio militante, aiebat Flavianus ad S. Leonem, eis procacibus verbis etiam contra Sedem Apoſtolicam crebrò vtitur; atque admodum petulanter errorum per ipſam damnatorum defenſionem ex Patribus inſtruit; vt meritò de eo dici poſſit, quod de alijs ad deſignandum Neſtorij defenſorem Flavianus profert. *Inveniuntur*, inquit, *infirmæ fidei homines, & qui divinas lectiones neſciunt, & ſecum alios in perditionem præcipitant, diſſipantes, & vituperantes Patrum diſciplinas, & reliquas Sanctas Scripturas ad ſuam perditionem.* Quos inſuper ſerpentes, aſpideſque appellare non dubitat. Non itaque parcius, aut modeſtius agendum erat cum eo qui peſſimæ cauſæ ſceleſtum ſuſcipit patrocinium.

Tom. Decret. 2. Leon. ep. 2. & 6.

Ab Scholæ tamen ſtylo, ſcilicet, à ſyllogiſmis, abſtinere libuit: quamvis enim illis ſim aſſuefactus, vt qui fermè totam in Salmanticenſium Academia ætatem illorum certaminibus inſumpſerim; quia tamen Novatores illi vim eorum quam formidant, horrent, vſumque nobis pro crimine obijciunt; ne impari certatione putent me cum ipſis congredi velle: & præſertim, quia non aliunde, ſed ſolummodo ab ipſa veritatis vi acuminata argumenta noſtra, vt polemicum decertatorem decet,

decet, perſtringenda ſunt; propterea neque eis, neque adhuc vocibus, aut terminis Scholæ utar, niſi rarò, & ubi ab ipſo Anonymo, cui alias non ſemper diſplicent, adductus fuero. Non itaque (quod olim contra Arianos agens aiebat S. Ambroſius) *Academicus diſputator aſſiſto, ut ſimplices ſenſus verborum ſubtilitate contorqueam, ſed ut contortos, & prævaricanti argumento compoſitos, in lucem cognitionis exponam, quo facilius poſſit cognita, & comperta iniquitas ab hominibus evitari.* *Lib. 1. de Fid. [illegible] num. [illegible]*

Quare neque in his controverſiis quæ probabiliter in Scholis agitantur, ullius partis, alterutriuſve ſententiæ partiarium me facio. Cunctas, ſeu diverſas, ſeu adverſas, quas Eccleſia hactenus nõ damnavit, ſed imo propugnandas permittit, nec damno, nec reprobo; quin, & ſi placet, promptus ero quamcumq; approbare, & libenter amplecti. quia ad oppugnãdos errores Queſnellij, quælibet illarum, ampla, & tuta palæſtra eſt. Utque Sanctiſſimus D. N. Clemens XI. ſecunda ſua Conſtitutione, quæ incipit *Paſtoralis officij* adverſus refractarios edita, adhuc ipſas Scholarum opiniones circa materiam *de Gratia*, a ſententia ſua intactas pronunciat; nos idcircò illi in hoc etiam obſequentes, nolumus neque illas, neque alias in Tomo iſto attactas, ullo modo carpere, aut ſuggillare. Nec demum puto oportere apud homines contentioſos potius quam veritatis cupidiores, cauſam illius, & rem minime dubiam, aliis quantumlibet probabilibus, non tamen ita exploratis, alligatam diſcutere: ne, ſcilicet, quis illorum, quod Auguſtinus de Petiliano metuit, aliam *faciat cauſam, cum defeciſſet in cauſa.* *Cont. Litter. Petil. in fin.*

Pro ea itaque ſola, quæ non opinionum, ſed dogmatum cauſa eſt, cum Queſnellio eiuſque defenſoribus, non animo decipiendi, ſed fiducia rem conficiendi decertare conſtituo. Nec propterea id mihi petulantiæ tribuendum, aut vitio vertendum, ac ſi vincere confidenter exoptem. *Non enim* (obteſtor cum Nazianzeno) *victoriam ambimus, ſed ut fratres, quorum ſeparatione diſtorquemur, ad nos redeant laboramus.* *Orat. 46.* Quin, non temere metuimus, futurum incaſſum, aut ſupervacaneum laborem noſtrum, videntes, nimirum, tot ſapientes in re iſta otioſè hucuſque defatigatos: & quod maximè dolendum eſt, fruſtra poſitam ingentem curam, paternam ſollicitudinem, omnemque operam adhibitam per Sanctiſſimum Clementem, verbo

Cap. 1. 7. quemvis Dei agentem, loquentemque ad nolentes ipſum au-
Lib. 1. dire, quia nolunt audire Deum, vt olim Ezechiel, miſſus, vt
contr. inquit S. Auguſtinus: *Inferre certamen hominibus non obeditu-*
Creſc. *ris, contra, infuris, contradicturis.*
cap. 9. Quid tum ego? *Qua cauſa, cui bono, quo fructu, quo*
effectu, propero, *ad certamen veritatis adverſus certaturos,*
Ibid. *& non obedituros?* Nonne intolerabilis arrogantia erit, *Hoc*
me velle finire poſt tot annos, poſt tot Iudices, atque arbitros
quod apud Principes tot diſceptationibus litteratis ab vtriuſ-
que partis Epiſcopis finiri non potuit?... At enim, quod inter
tot ac tales finitum non eſt, intolerabilis arrogantia eſt per ſe
Cap. 3. *ſolum finiri poſſe præſumere.* His me obiurgare liceat Queſnel-
liſtis, quæ olim Donatiſtis non licuit obiicere S. Auguſtino.
Quia verò non intendimus finire cauſam quæ iam per Sanctam
Apoſtolicam Sedem finita eſt, ſed potius oſtendere irrefraga-
bili illius iudicio, ſententiaque, æquitatis, & iuſtitiæ plena,
iam terminatam eſſe, idcircò reſpondere libet Queſnelliſtis re-
prehendentibus conatus noſtros quod laudatus S. Doct. ad
Donatiſtas.
Ait quippe: *Illi enim dixerunt non eſſe finitum qui ei-*
Cap. 4. *dem fini conſentire noluerunt.... Noſtri autem ex quo fini-*
tum eſt, nullo prorſus tempore vt ipſe finis innoteſceret ceſſa-
verunt quomodo id publicè, privatimque agere potuerunt, ne
quiſquam in perniciosiſſimo errore perſiſtens, de ſegnitia circa
ſe miniſtrorum Dei in vltimo iudicio quæreretur. En quod
intendimus, non ſanè cauſam dudum, & adamuſſim explora-
tam retractare; ſed duntaxat demonſtrare illam ad normam
Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. ac præſertim S. Auguſti-
ni, fuiſſe pridem examinatam, iudicatamque, quo eius proter-
vi defenſores carpentes cenſuram, & iudicium, confundantur,
Ibid. incauti non ab ipſis decipiantur; & docibiles obedientes ro-
borentur. *Non ergo nos aliam finitam cauſam de integro volui-*
mus retractare, ſed quemadmodum finita ſit demonſtrare,
propter eos maximè qui hoc neſciunt: vt cum defenſores con-
vincantur erroris, aut ipſi correcti liberentur, aut certè ipſis
confutatis, & in aperta pertinacia remanentibus, hi qui cupi-
diores ſunt veritatis quam contentionis videant quid ſequan-
Serm. 2. *tur.* Ita S. Auguſtinus, qui quoniam in alia Pelagianorum
de Verb. cauſa data fuere a Sede Apoſtolica reſcripta, ea cenſuit decre-
Apoſt. toria dicens. *Cauſa finita eſt.*

Quod

Quod autem alij totius Orbis Chriſtiani Doctores ſapientiſsimi, promptiores, & fœliciores calamos ſuos contra Queſnellium eiuſque Aſeclas exacuerint; non propterea inanis cenſenda eſt, aut faſtidioſa noſtra in eadem cauſa diligentia. *Itane quid*, ait S. Auguſtinus, *ideo ab hac inſtantia deſiſtendum eſt?* ... *Vide quemadmodum Timotheum tacem aſtringat Apoſtolus, ne propter homines quibus inſuavis eſt prædicatio veritatis, aliqua ei ſegnitia prædicandi ſubreperet.* Atque allegatis verbis Apoſtoli ſubiungit. *Quis hæc audiens, ſi Deo ſtat... ſeret, ſi doloſus operarius non eſt, ab hac diligentia, & inſtantia conquieſcat?... Non itaque nobis obſtrepat*, Queſnelliſta. *Prædicamus omnino in adiutorio Domini Dei noſtri Chriſtianæ veritatis utilitatem, ſanctitatem, pietatem. Prædicamus volentibus opportunè, nolentibus importunè, & quantis valemus viribus iſtam inter nos*, partemque Queſnellij *quæſtionem, & quod poſſumus, item finitam eſſe monſtramus.* Ep. 177 ſup. cap. 4.

Enimverò, quamvis idem ſit argumentum quod a pluribus diſcutitur poteſt diverſa via, aut tramite, diſsimili methodo, alijsque, & multiplicibus rationibus premi, & elevari. Ac demum quoniam antiquiſsima eſt de hac ipſa re poſtulatio, &
„ reſponſio, ſufficiat pro ea priſcum Iſocratem audire. Quam- *In Panegir.*
„ diu, inquit, neque rerum ſtatus emendatus eſt, & prius ha-
„ bitæ orationes parum per effectum probantur, de tali oratio-
„ ne exquirenda nonne meditandum, & ſedulo cogitandum
„ eſt quæ ſi proſpere ſucceſſerit, & inteſtinis bellis, & his tu-
„ multibus, malisque maximis nos liberare poſsit? Præterea,
„ ſi alio modo iiſdem de rebus nulla ratione dicere liceret, ſu-
„ pervacaneum iudicari poſſet iterata eiuſdem argumenti non
„ diſsimili tractatione obtundere auditores. Cum autem ea ſit
„ natura ſermonis, vt res eędem varie poſsint explicari, dicen-
„ doque tùm magna deprimi, tum exaggerari parva, tum ve-
„ tera nova ratione dici, tùm ijs quæ recens acta ſunt quæ-
„ dam vetuſtatis opinio conciliari queat: non vtique ea fu-
„ gienda ſunt, de quibus alij prius egerunt: ſed opera danda
„ eſt, vt eos orationis bonitate ſuperemus.

Habes ergo Lector explicatam rationem, & noſtri propoſiti, & totius operis: quod oportuit in duos diſtribuere Tomos dividentes ex æquo duodecim titulos ſub quibus voluit Anonymus propoſitiones Queſnellij damnatas, à ſe defendendas diſponere; quos ſequens Pagina commonſtrabit. Quamob-

obrem eas in iſto revincendas aſſumimus, quæ ſub ſex priori-bus titulis continentur, alias, reliquis ſex titulis comprehenſas in alio examinavimus, præmiſsis etiam nonnullis, quæ ad intimiùs pernoſcendas theſes quæ ad tres *de Gratia* titulos attinent, neceſſaria cenſemus. Atque idcircò ibi etiam ſecundam Sanctiſsimi D. N. Clementis XI. Conſtitutionem recens editam, quæ incipit *Paſtoralis*, præpoſuam, ad idem maximè ſpectantem argumentum. Huic autem præfecimus primam, & celebratiſsimam incipientem *VNIGENITUS*, præferentem propoſitiones omnes in vtroque Tomo confutandas: atque ijs quæ in iſto exagitantur adiecimus indicem paginæ eiſdem reſpondentis, quem item in ſequenti adijciemus pro reliquis in eo ſimiliter coarguendis. VALE.

TI

TITULI SUB QUIBUS ANONYMUS propoſitiones omnes Queſnellianas diſtribuit, & tanquam à Sanctis Patribus aſſertas, immunes ab omni cenſura, & damnatione propugnat.

§. I. De Lectione Sacrę Scripturę. *Tom. I. pag.* 1.

§. II. De Diſciplina Pœnitentię. *Tom. I. pag.* 61.

§. III. De Timore, & Amore. *Tom. I. pag.* 88.

§. IV. De Veteri, & novo fœdere. *Tom. I. pag.* 196.

§. V. De Amore Dei. *Tom. I. pag.* 306.

§. VI. De Fragilitate voluntatis ſibi derelictę. *Tom. I. pag.* 528.

§. VII. De Efficacia Gratię. *Tom. II.*

§. VIII. De Prędeſtinatione. *Tom. II.*

§. IX. De Gratia Adami. *Tom. II.*

§. X. De Eccleſia. *Tom. II.*

§. XI. De Perſecutionibus internis Eccleſię. *Tom. II.*

§. XII. De Excommunicatione iniuſta. *Tom. II.*

BULLA

BULLA
SANCTISSIMI D. N.
CLEMENTIS,
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ XI.

PER QUAM DAMNANTUR centum & vna Propoſitiones excerptę ex Libro Gallico Idiomatę impreſſo, cui Titulus inter alios: *Le Nouveau Teſtament en François avec des reflexions morales, &c.* Simulque prohibentur prędictus Liber, & alij quicumque in eius defenſionem hactenus editi, & in poſterum edendi.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Vniverſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VNIGENITUS DEI FILIUS PRO NOStra, & totius Mundi ſalute Filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, vniverſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro, ac ſaluberrimo documento Nos admonuit, vt attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in veſtimentis Ovium; quorum nomine po-

pertiſſimum demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; vtque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ Legis ſententijs, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur. antiqui ſcilicet, a quo progeniti ſunt, mendacij Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omninò eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quam vt vbi nefarij erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.

His Nos vere divinis monitis inſtructi, vbi primùm, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, sub titulo -- *Le Nouveau Teſtament en François, avec des reflexions morales ſur chaque verſet, &c. A' Paris 1699.* Aliter verò -- *Abbregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, e del Apocalypſe, ou Penſees Chreſtiennes ſur le Texte des ces Livres Sacrez, &c. A' Paris 1693. &* 1694. tametſi alias a Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Chriſti fidelium manibus paſſim obtrudi, atque nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & opera ſtudioſe nimis quaquaverſum diſſeminari, etiam latine redditum, vt pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: verſutis huiuſmodi ſeductionibus, atque fallacijs, creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummopere doluimus: adeòque Paſtoralis non minùs curæ noſtræ ſtimulis, quam frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maxime vero complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, literis, ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquandò poſſet in deteriora quæque prorumpere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providas

noſtræ

noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicuè novimus ſummam huiuſmodi Libri perniciem ideò potiſſimùm progredi, & invaleſcere, quòd eadem intus lateat, & velut improba ſanies, non niſi ſecto vlcere foras erumpat, cum Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis alliciat; molliti enim ſunt ſermones eius, ſuper oleum: ſed ipſi ſunt iacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari à Nobis poſſe arbitrati ſumus, quàm ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodò à Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitionibus, diſtinctiùs, & apertius explicaremus, atque vniverſis Chriſti fidelibus noxia Zizaniorum ſemina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ità nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non vno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tum pridèm damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore vt omnes tandem apertam, manifeſtamque veritati cedere compellantur.

Id ipſum maximè rei Catholicæ futurum, & ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, iamque in acerbiores ſciſſuras protendentium diſſidijs apprimè proficuum: Conſcientiarum denique tranquillitati pervtile, & propemodum neceſſarium, non modò præfati Epiſcopi, ſed & ipſe in primis Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cuius eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandiſque erroribus Zelum ſatis laudare non poſſimus, ſæpiùs Nobis eſt conteſtatus; repetitis propterea, verè pijs, & Chriſtianiſſimo Rege dignis officijs, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, vt inſtanti animarum neceſſitati, prolata quamtocius Apoſtolicæ cenſuræ Iudicij conſuleremus.

Hinc adſpirante Domino, eiuſque cœleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulò, diligenterque, vt rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus, ac plurimas ex prædicto Libro, iuxta ſupra recenſitas reſpectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tùm Latino idiomate expreſſas Propoſitiones, à compluribus in Sacra Theologia Magiſtris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accuratè diſcuſſi; deinde verò coram

Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quam maxima diligentia, ac maturitate, ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſomet Libri Textu exactiſsimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Huiuſmodi autem Propoſitiones ſunt, quæ ſequuntur, videlicet. --

1. *QUID aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit; niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Tom. I. pag. 528.

2. *Jeſu-Chriſti gratia, principium efficax boni cuiuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa, non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.* Tom. II.

3. *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.* Tom. II.

4. *Ita Domine: Omnia poſsibilia ſunt ei, cui omnia poſsibilia facis, eadem operando in illo.* Tom. II.

5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.* Tom. II.

6. *Diſcrimen inter Fœdus Iudaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto vero Deus Peccatori dat, quod iubet illum ſua gratia purificando.* Tom. I. pag. 196.

7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit eius propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?* Tom. I. pag. 275.

8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.* Tom. I. pag. 286.

9. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* Tom. II.

10. *Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Tom. II.

11. *Gra-*

11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, iubentis, & facientis quod iubet.* Tom. II.

12. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.* Tom. II.

13. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratia ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.* Tom. II.

14. *Quantumcumque remotus à ſalute ſit Peccator obſtinatus; quando Ieſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.* Tom. II.

15. *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.* Tom. II.

16. *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.* Tom. II.

17. *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Ieſum-Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filij, nullatenùs eſt doctus à Patre.* Tom. II.

18. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.* Tom. II.

19. *Dei gratia nihil aliud eſt, quàm eius omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe Nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.* Tom. II.

20. *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* Tom. II.

21. *Gratia Ieſu-Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.* Tom. II.

22. *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis; cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illicò nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.* Tom. II.

23. *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſua gratia, eam ſignificans per illam, qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.* Tom. II.

24. *Iuſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Ieſu Chriſti, in ſanandis Corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.* Tom. II.

25. *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſua voluntate; iubet, & ipſi obtemperatur.* Tom. II.

26. *Nullæ dantur gratię, niſi per fidem.* Tom. I. pag. 649.

27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* Tom. I. pag. 637.

28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Tom. II.

29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.* Tom. II.

30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.* Tom. II.

31. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.* Tom. II.

32. *Ieſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, id eſt Electos, de manu Angeli exterminatoris.* Tom. II.

33. *Proh, quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Ieſum, eius amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Tom. II.

34. *Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.* Tom. II.

35. *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.* Tom. II.

36. *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta verò non recipitur, niſi in perſona Ieſu-Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.* Tom. II.

37. *Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Ieſu-Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.* Tom. II.

38. *Pec-*

38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.* Tom. I. pag. 593.

39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Tom. I. pag. 571.

40. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* Tom. I. pag. 603.

41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.* Tom. I. pag. 621.

42. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei, ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil niſi indignitas.* Tom. I. pag. 655.

43. *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeout ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi.* Tom. II.

44. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & Amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.* Tom. I. pag. 306.

45. *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones eius corrumpat.* Tom. I. pag. 379.

46. *Cupiditas, aut Charitas, uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.* Tom. I. pag. 406.

47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria eius finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa iuſtitia.* Tom. I. pag. 417.

48. *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate.* Tom. I. pag. 610.

49. *Vt nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt*

opus

opus bonum ſine amore Dei. Tom. I. pag. 396.

50. *Fruſtrà clamamus ad Deum, Pater mi: ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.* Tom. I. pag. 418.

51. *Fides iuſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.* Tom. I. pag. 442.

52. *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; Sed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.* Tom. I. pag. 456.

53. *Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deū, & Ieſum-Chriſtū.* Tom. I. p. 478.

54. *Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.* Tom. I. pag. 428.

55. *Deus non coronat, niſi Charitatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.* Tom. I. pag. 492.

56. *Deus non remunerat, niſi Charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.* Tom. I. pag. 502.

57. *Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, vbi non eſt amor Dei.* Tom. I. pag. 470.

58. *Nec Deus eſt, nec Religio, vbi non eſt Charitas.* Tom. I. pag. 510.

59. *Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos iudicium.* Tom. I. pag. 668.

60. *Si ſolus ſupplicij timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem.* Tom. I. pag. 177.

61. *Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tandiù peccato addicitur; quandiù ab amore iuſtitiæ non ducitur.* Tom. I. pag. 88.

62. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & iam eſt Reus coram Deo.* Tom. I. pag. 154.

63. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Iudæus, ſi legem non adimpleat aut adimpleat ex ſolo timore.* Tom. I. p. 160.

64. *Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur ſivè faciendo malum, ſivè illud non niſi ob timorem evitando.* Tom. I. pag. 169.

65. *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo quod vllum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.* Tom. I. pag. 293.

66. *Qui*

66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſsionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti Beſtia, ſed per fidem, & per amorem ſicuti filij.* Tom. I. pag. 185.

67. *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, iniuſtum, intractabilem.* Tom. I. pag. 185.

68. *Dei Bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.* Tom. I. pag. 520.

69. *Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.* Tom. II.

70. *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.* Tom. II.

71. *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter eius utilitatem.* Tom. II.

72. *Nota Eccleſia Chriſtiana eſt, quod ſit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & iuſtos terræ, & omnium Sæculorum.* Tom. II.

73. *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in eius ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in eius perſona, redemptorum eius ſanguine, viventium eius ſpiritu, agentium per eius gratiam, & expectantium gratiam futuri Sæculi.* Tom. II.

74. *Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos ut membra.* Tom. II.

75. *Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona: Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.* Tom. II.

76. *Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Iuſti omnium Sæculorum illam componunt.* Tom. II.

77. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.* Tom. II.

78. *Separatur quis à Populo Electo, cuius figura fuit Populus Iudaicus, & Caput eſt Ieſus-Chriſtus, tàm non vivendo ſecundum Evangelium, quàm non credendo Evangelio.* Tom. II.

79. *Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni*

ni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, Pietatem, & Myſteria Sac. Scripturæ. Tom. I. p. 18.

80. *Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.* Tom. I. pag. 1.

81. *Obſcuritas Sancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab eius lectione.* Tom. I. pag. 27.

82. *Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.* Tom. I. pag. 40.

83. *Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba Virorum ſcientia, ortus eſt Scripturarum abuſus, & nata ſunt hæreſes.* Tom. I. pag. 39.

84. *Abripere è Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeù eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.* Tom. I. p. 31.

85. *Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelij, eſt interdicere uſum luminis filijs lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.* Tom. I. pag. 35.

86. *Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium, iungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.* Tom. I. pag. 54.

87. *Modus plenus ſapientia, lumine, & Charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi adminus ſatisfacere iuſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.* Tom. I. pag. 61.

88. *Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.* Tom. I. pag. 81.

89. *Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod, cum ſit iam reconciliatus, habet ius aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.* Tom. II.

90. *Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.* Tom. II.

91. *Est*

91. *Excommunicationis iniuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquàm eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Ieſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus.* Tom. II.

92. *Pati potius in pace excommunicationem, & anathema iniuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum, tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Authoritatem, aut ſcindere unitatem.* Tom. II.

93. *Ieſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps Primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato; Ieſus reſtituit quod ipſi inconſiderato Zelo reſcindunt.* T. II.

94. *Nihil peiorem de Eccleſia opinionem ingerit eius inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.* Tom. II.

95. *Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium. Neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in Filios ſuos.* Tom. II.

96. *Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut eius victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ.* Tom. II.

97. *Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata, ſed Iuſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.* Tom. II.

98. *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Ieſu-Chriſto.* Tom. II.

99. *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, V. G. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla, &c.* Tom. II.

200. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, eiuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit . . . . . Haberi, & tractari à Religionis Miniſtris, tanquam, impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus pijs morte corporis mors terribilior. Fruſtrà quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excaecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo Impium, & ſacrificamus Diabolo Dei Servum.* Tom. II.

201. *Nihil ſpiritus Dei, & doctrinæ Ieſu-Chriſti magis opponitur, quàm communia facere iuramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones peierandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, vt nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.* Tom. II.

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragijs, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisq; etiam in dictis precibus, implorato præſidio; omnes, & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquã falſas, captioſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & eius praxi iniurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, necnon hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demùm etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſsimum illas, quæ in famoſis Ianſenij propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſte innovantes, reſpectivè, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac èadem Noſtra Conſtitutione continetur; ita vt quicumque illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diviſim docuerit; defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputative, publi-

publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, alijſque contra ſimilia perpetrantes a Iure ſtatutis pœnis; ipſo facto, abſque alia declaratione ſubiaceat.

Cæterùm per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus propoſitiones illis, quæ, vt ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas: nec ſanè paucas ſub imaginario quodam, veluti graſſantis hodiè perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minime neceſſarium; ac demum, quod intolerabilius eſt, Sacrum ipſum novi Teſtamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudùm reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem; à vulgata verò editione, quæ tot Sæculorum vſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac ſæpè noxios ſenſus, non ſine maxima perverſitate detortum.

Eumdem propterea Librum, vtpotè per dulces ſermones, & benedictiones, vt Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, & ſeducendis Innocentium cordibus longè accommodatum, ſivè præmiſsis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, vbicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſterum (quod abſit) imprimendum, authoritate Apoſtolica tenore præſentium iterùm prohibemus, ac ſimilitèr damnamus, quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in eius defenſionem, tam ſcripto, quam typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & vſum, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus ſub pœna excommunicationis per contra facientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, alijſque locorum Ordinarijs, necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, vt contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque Iuris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, bra-

brachij ſæcularis auxilio, omninò coerceant; & compellant.

Volumus autem, vt earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſsis, manuali cuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo decimotertio, ſexto Idus Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

I. Card. Prodatarius. **F. Oliverius.**

Viſa de Curia L. Sergardus.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

L. Martinettus.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu-Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſexta, die vero decima Septembris, Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimotertio, ſupradictæ Litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Eccleſiæ Lateranen. & Baſilicę Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Florę, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Petrum Romulatium Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Placentinus Magiſter Curſorum.

§. I.

§. I.

DE LECTIONE SACRÆ SCRIPTURÆ:

LXXX. PROPOSITIO DAMNATA.

Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Act. 2. 8. LE P. Q. ſur l'endroit des Actes ou il eſt dit que l'Eunuque avoit entre les mains le livre du Prophete Iſaye, dit : *La lecture de l'Ecriture Sainte entre les mains meme d'un homme d'afaires & de finances, marque que elle eſt pour tout le monde.*

IUDICIUM SS. PATRUM EX ANONYMO.

Homil. 2. ſupr. S. Matth. S. Chryſ. *Itaque multo eſt graviùs, atque deteriùs, rem ſuperfluam eſſe legem Dei putare, quam illam omninò non legere. Hæc enim verba ſunt quæ de diabolica prorſus meditatione promuntur ..... itaque fit ut ſurſum hodie deorſum omnia ferantur.* Et paulo infra. *Hæc enim diabolicæ inſpirationis ſunt non ſuſtinentis nos aſpicere theſaurum, ne divitias acquiramus. Propterea ille ſuadet nihil omninò eſſe commodi divinas audire leges, nè*

quando ex auditu ſequi etiam videat actionem. Deprehendentes itaque hanc illius artem malignam, vndique nos muro ſcientiæ muniamus, vt ſpiritualibus circumſtipati armis, & ipſi permaneamus intacti, & caput deijciamus inimici.

Idem: *Neque nunc fieri poteſt, non poteſt inquam fieri, vt quiſquam ſalutem aſſequatur, ni perpetuo verſetur in lectione ſpiritali.*

Serm. 3. de Lazaro.

Huic vltimo teſtimonio ſequentem ad calcem adijcit notam Anonymus: *Sciendum, quod hæc propoſitio Chryſoſtomi non eſt accipienda in rigore metaphiſico, quo & docemur verba auctorum, ſumi debere in ſpiritu æquitatis.*

REFLEXIONES ANONYMI.

CUncti Sancti Patres generatìm exhortantur omnes, & ſingulas perſonas, abſque vlla diſtinctione ætatis, ſtatus, aut conditionis, ineptas, ſeu aptas, ad Scripturas Sacras legendas. Atque impoſsibile eſt, vel vnum tantum allegare qui contrarium ſentiat, & qui teſtetur ſe non probare, quod ignorantes, ac fœminæ, Evangelium, & Apoſtolorum ſcripta legant.

Ipſa Sancta Scriptura, non minus quam Patres, id *formalitèr* docet. In veteri Teſtamento præſcriptum erat Iudæis, vt legem Dei continuò ante oculos haberent. In novo, vltra generales exhortationes ad Scripturam legendam, & vltra exempla probantia, quod etiam ab ipſis fœminis legebatur: titulus ipſe Epiſtolarum Apoſtolorum, directarum nimirùm ad omnes fideles generatim, eſt convincens iſtius rei argumentum. Hactenus Anonymus de præfata propoſitione, & pro illa.

ANIMADVERSIONES.

1 PRopoſitio iſta eiuſque ab Anonymo defenſio, gratiſsimum Lutheranis, Calviniſtis, & reliquis Novatoribus, aſſertum, & negotium eſt. Omnes namque iſtius temporis hæretici in eo conveniunt, quod oportet Scripturas omnibus legendas permittere, ad quem vſum debent tradi in lingua vulgari, & cuique materna, quia nulla vt intelligantur egent alterius interpretatione, & conſequentèr nequaquam opus eſt communi aliquo iudice, interprete, ac capite viſibili

Eo-

Eccleſiæ, à quo Sacræ Scripturæ intelligentia petenda ſit, ſed vnicuique arbitrio relinquenda eſt. In hunc itaque ſcopum, qui errorum, & machinationum Heteredoxorum maximus, aut vnicus finis eſt, rectà tendunt perverſa iſta, & alia dogmata, quæ ferè inevitabili conſequentia colliguntur ex præfixa propoſitione Queſnellij, & iſtius adornato patrocinio. Ergò iure, & merito anathemate percellitur propoſitio, quæ tot hæreſum criminoſa radix, fons, & origo eſt.

2 Eam propterea acritèr impugnant Theologi omnes qui cum Novatoribus confligunt; atque Cardin. Bellarminus, lib. 2. de Verbo Dei, cap. 15. eandem perſpicuè explodit multis deſumptis ab antiquioribus controverſiſtis Hoſio, Card. Varmienſi, & Jacobo de Ledeſma. Poteratque allegare quæ inſignis Theologus Petrus de Soto, eruditè, & prudentèr colligit in defenſ. Catholic. Fidei adverſus prolegomena Brentij, cap. 23. Ex quo nonnulla carptìm exſcribam ad confutandam ore illius præfixam propoſitionem gratiſſimam Brentio tùm in ſuis proleg. cùm in confeſ. Vvitemberg. cap. de Hor. Canon. plurima relinquens videnda apud laudatum Bellarminum.

3 „ Res ipſa, inquit, „ apertè docuit non eſſe omnium Scripturam legere; & „ illud etiam patuit in quod „ morbos incidant infirmi, „ cum cibos robuſtorum „ avidiùs ſumunt, quam tem„ perantius. Id certum eſt, „ nullos in hac re diligentio„ res fuiſſe quam hæreticos; „ alij tranſtulerunt, alij exe„ gerunt, & avidiſsimè qui„ dem, & frequentiſsimè le„ gunt: ſed quo fructu? Per„ ſuadent ſibi fortè non mi„ nimo. Vnum ego manife„ ſtiſsimum video: facti ſunt „ cenſores omnium, & con„ temptores quam plurium, „ & quod manifeſtiſsimum „ eſt in hæreticis omnibus, „ irriſores totius ſimplicitatis „ Eccleſiæ, & omnium illa„ rum rerum, quibus, aut „ quaſi lacte, nutrit illa par„ vulos...... hæc omnia quid „ aliud hæretici faciunt quam „ contemnere? Proinde ſatis „ oſtenditur dulcedine hac „ lectionis Scripturæ inflatos „ eſſe; quare præſtitiſſet eis „ non legere.

4 Et poſt pauca: „ Ne„ que enim dubium eſt inge„ nia que magis culta ſunt „ alijs diſciplinis, eo capa„ ciora eſſe ſenſus Scriptura„ rum, modo adſit humili-

„ tas, & timor Dei: rudiora
„ vero ingenia, & impolita,
„ non poſſunt ſatis commo-
„ dè in litteris illis ſacris ſi-
„ ne ſcandalo, ſine errore
„ etiam quandoque, verſa-
„ ri, propter obſcuritatem
„ quam & in metaphoris,
„ & phraſibus ſibi propriis
„ Scriptura habet ...... quan-
„ do vero magis hæc timere
„ poſſumus, quam cum paſ-
„ ſim vulgò Scripturæ lectio
„ permittitur? ...... Quod ſi
„ quis cauſetur non eſſe
„ æquũ omni lectione Scrip-
„ turæ privare populum: huic
„ etiam reſpondemus, non
„ hoc nos agere, vt nihil le-
„ gant, nihil habeant ſimpli-
„ ces Scripturæ Sacræ: inte-
„ gram quidem illam, cibum
„ dicimus ſolidiorem, quam
„ captui populi conveniat.

5 Poſtea vero cum fateatur quam plurima eſſe in Sacra Scriptura, quæ conducunt ad pietatem, fidemque augendam, & ſervandam in animis fidelium, quæ propterea excerpta, Doctorum diligentia, omnibus offerri poſſunt legenda, quemadmodum ea collegerunt Auguſtinus in ſpec. Baſilius in 80. moral. regulis, & Cyprianus in tribus libris ad Quirinum (& cuius generis hodie extant tot libri aſcetici, & quotidie emergunt plures eiuſdem inſtituti) eo ipſo, inquit, Sancti illi Patres ſatis oſtendunt, quid ex Scriptura omnibus tradi poſsit, concluditque: *Quæ omnia nobis dicta ſunt ad modeſtiam perſuadendam in Scripturæ lectione.*

6 Plura adhuc in cap. 21. & 22. ad rem habet. Sed dicta erunt ſatis, quando non ex inſtituto dogma illud hæreticorum profligandum ſuſcipimus; & pro vindicanda iuſta cenſura, æquiſsimaque damnatione propoſitionis præfixæ, ſat etiam eſt his oſtendiſſe, quod Lutherani pro ea, tanquam pro baſi ſuorum errorum tuenda, cum Catholicis decertaverint.

7 His ſuffragium ferre audet Anonymus, ſuis reflexionibus, in queis non nova in auxilium arma, non collectas aliunde copias adducit; ſed ipſiſsima tela, eademque vexilla Chryſoſtomi malè ab hæreticis conducta, & benè à Catholicis modeſta explicatione complicata. Laudatus namque Bellarminus vbi ſupra, cap. 16. inter argumenta obiecta ab hæreticis, §. *Obiectio* 7. hoc ex ore Martini Kemnitij contra ſe opponit: *Chryſoſtomus ſæpiſſimè hortatur laicos ad lectionem Scripturarum.* Et quia ille allegationes prætermiſsit, placuit doctiſsimo Cardin.

tas adnotare, quas & Anonymus libentèr excipiet. Non enim tantum Homil. 2. in Matth. & Serm. 3. de Lazaro, ſed Homil. 9. in Epiſt. ad Coloſ. Præfat. in Epiſtol. Pauli. Homil. 3. in 2. ad Theſal. & Homil. 10. in Ioann. videtur etiam adhortari omnes ad aſſiduam Sacrarum Scripturarum lectionem.

8 Reſpondet tamen argumento Bellarminus, verba Chryſoſtomi in ſuis Concionibus prolata, accipienda eſſe ex intento, & occaſione quibus ad ea movebatur. Erant quippè ſui auditores nimium dediti theatralibus ſpectaculis, iocis, & alijs nugis: parum applicati lectioni ſpirituali, atque etiam concionibus audiendis, indigebantq; propterea amplificationibus, & vehementioribus ſuaſionibus, quibus eos perpetuò hortabatur ad lectionem Scripturæ: non quod vellet omnes omnino, & indiſcriminatim, rudes etiam, id facerent; ſed qui fructuosè facere poterant.

9 Et quod non ad id omnes hortaretur tanquam ex ſententia alta mente repoſita, ſed per amplificationem tantùm, probat Bellarminus tum ex eiuſdem verbis in Serm. de Lazaro, quæ ut præſeferunt neminem poſſe ſalvari ſine lectione Scripturæ, non vt in rigore ſonant, ſed benignè (vt vel ipſe Anonymus notat) accipienda ſunt. Tum quia cum alibi dicat, nunquam neque in re iuſta, aut iniuſta, iurandum eſſe, niſi id per amplificationem dictum ſumatur, & ad coercendos ſubditos nimis ad iurandum pronos, vt conſtat ex ipſo pluribus in locis; cogeremur affirmare quod omne iuramentum, etiam illud quod licitum, & honeſtum eſt in re iuſta, & neceſſaria, damnavit.

10 Prudens ſanè, ac vera ſolutio, quam lubens amplector, & vlteriùs eam confirmare volo, primo, quia nemo erit vel mediocriter in lectione Chryſoſtomi verſatus, cui non occurrant paſſim huiuſmodi amplificationes in argumentis quæ exagitat: aut enim illi ex vehementi eloquentia, ac præſertim ex tempore dicenti, occurrebant, aut (quod potiùs exiſtimo) vt efficacitèr animos ad bonum flecteret, & à malo averteret, opportunum iudicabat oppoſitum quod reprehendebat, quamvis non omnino, nec ab ipſo vnquam, & ſeriò ſuadendum, ſuadere.

11 Id quippè, aut ſimile quid.

quidpiam non infrequentèr invenitur apud SS. PP. qui dum acri obiurgatione, ſeu vehementi impugnatione cõtra vitia, & errores agunt, extrema alia quamvis vitioſa videntur approbare, quod de Gregorio Thaumaturgo, de Dionyſio Alexandrino, de Auguſtino etiam, nonnulli autumant, vt notavimus, tom. de Trin. in Propæd. §. 1. num. 15. & ſeq. Quare de Chryſoſtomo poſſem dicere quod S. Baſilius de Dionyſio, nempè: *Soleo illum*
Epiſt. 41. *ſimilem æſtimare plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus averſionem, ita immoderatè illam retorquet, vt à medio aberret, & ad contrarium latus ramulum abducat.* At quanta energia, & quibus amplificationibus conatus fuerit Chryſoſtomus corrigere legentes, & audientes theatri fabulas, conſtabit legenti, præter locos allegatos, Homil. 57. in cap. 9. Ioann.

12 Confirmatur ſecundo, & apertiſsimè reſponſio Bellarmini; fitque manifeſtum, quod Chryſoſtomus non ex animi ſententia, ſed ex impetu orationis verba obiecta, & hortantia omnes ad aſiduam lectionem Scripturarum effuderit. Id quod Anonymo demonſtandum pergo, allegans alia eiuſdem P. teſtimonia. Igitur vt à theatralibus iocis populum avertat, non iam ſubditos hortatur ad legendas Scripturas, ſed dumtaxat ad eas in ſuis concionibus ſedulò audiendas; quod ad fructum ſpiritualem ſine illa lectione ſufficere affirmat hic ipſe, qui alias allegatur dicens in Serm. de Lazaro, neminem poſſe ſalvari ſine Scripturæ lectione.

13 Utque Anonymus vtrumque componat, do verba Chryſoſtomi: *Si quis,* Hom. 57. in cap. 9. Ioann.
inquit, attentionem hùc ingreſſus adhibuerit, etiam ſine domeſtica lectione, annuo ſpatio ſatis proficere poterit...... Veruntamèn nonnulli tam miſerè affecti ſunt, vt diutius audiendo, nè nomina quidem librorum intelligant, nec pudet, nec verentur tam negligentèr in Dei concionem ingredi. Quod ſi Cytharædus, vel Saltator, vel mimus aliquis ad ſcenam advocaret Civitatem, omnes frequentèr concurrerent, &c. En igitur hic affirmantem auditores ſuarum concionum ſatis attentione proficere, etiam ſine domeſtica Scripturæ lectione tantoperè ab ipſo ponderata, & quam in Serm. de Lazaro ferè facit medium ad ſalutem ſimpliciter neceſſa-

ſa-

ſarium. Sententiæ ergò iſtæ amplificationes ſunt declamantis, non aſſerta definientis.

14 At quomodo intendere poterat ſuadere aſiduam eam lectionem totius Scripturæ cunctis quamlibèt imperitis, fœminiſque, qui initio laudatæ, Homil. 57. inquit: *Scripturæ non ſimpliciter, nec temerè, ſed quam diligentiſsimè legendæ ſunt, ne quis ſcrupulus oboriatur.* Præſtet iam Anonymus (vel ſuus Queſnellius) cautionem pro his omnibus quibus totam Bibliam familiarem volunt, de eo quod quam diligentiſsimè illam lecturi ſunt, neque vnus quidem ſcrupulus eis oborietur, etiam in libris Pſalmorum, Sapientialibus, Prophetarũ, Canticorum, & Apocalypſis, vbi Hieronymus, Auguſtinus, ipſeque Chryſoſtomus, & alij SS. PP. paſsim hæſitare, & ſe ceſpitare fatentur.

15 Verum præſtat adhuc eundem Chryſoſtomum audire, vt manifeſtiùs appareat conſtans de re iſta mens illius, & à ſenſu Anonymi prorſus aliena: *Ergò menſa eſt*, inquit, *omnis Scriptura Divina, in qua panis Verbi nutriens animas poſitus eſt: ſupra quam omnes Chriſtiani recumbunt, & epulantur in ſpiritu. Nummularij autem præſidentes menſæ illi, ſunt Sacerdotes fideles, & prudentes, qui cum viderint fidem, & actus Chriſtianorum, accipiunt iudicium de Scripturis quaſi de menſa, &c.* Non ſanè potuit iudicare Chryſoſtomus tradendam Scripturam plebi indoctæ, quæ quantumvis eam evolvat, & perlegat, expectare debet iudicium de illa à Sacerdotibus accipiendum. Ad id namque menſæ præſident, vt quoniam cibus grandium eſt, habeant parvuli, laici nimirùm, imperiti, rudes, fœminæ, qui petitum panem frangat eis, & pro cuiuſque ſtomacho captuvè dividat, & porrigat. Quamvis enim omnes menſæ accumbant, non ab omnibus æque cibus iſte tractandus eſt, ſed ſat erit ſi à longè contemplentur eſcam, & nemo audeat ſibi tollere de medulla cedri.

Hom. 54. in cap. 35 Matth.

16 Conferantur quæſo iſta cum his quæ ſupra retulimus, ex inſigni Theologo Petro de Soto, & facilè quis exiſtimare poterit eum deſumpſiſſe ex Chryſoſtomo rationes quibus probat non eſſe permittendam omnibus indiſcretè Sacræ Scripturæ lectionem: ergò hoc

Hom. 5.

hoc ipſum quod ſententijs Chryſoſtomi probatur, mentis illius proculdubiò conſtans ſententia eſt. Conſtans certe, & perpetua, nam alibi auditores ſuos alloquens ait: *Quoniam frequentes vos in auditorio magis cum voluptate doctrinam noſtram ſuſcipere video, gaudeo ..... Veſtra enim ciborum immoderata appetentia menſæ noſtræ vilitatem honeſtat, parvaque facit, vt magna appareant.* En qualiter ad menſam Verbi Dei omnes accumbunt, ſed Chryſoſtomus ſolus diſpenſans, populus tantum participans. Solus Sacerdos Scripturas legit vt doceat, reliqui lectam audiunt vt proficiant; minimè profecturi, ſed immò periclitaturi, ſi legerent.

Hom. 41. in cap. Gen. 16.

17 Vnde, & paulo poſt addit: *Iterum iam lecta indagabimus......Theſaurus magnus in Scripturis eſt reconditus, & in profunditate latens, idcirco ſcrutatione opus.* Qui rogo, profundum abyſsi penetrabunt? Idiotæ? At hi deſcendent in profundum quaſi lapis. Qui ſcrutari poterunt myſteria latentia? Fœminæ? Sed iſtæ deficient ſcrutantes ſcrutationes. Atque idiotæ, & fœminæ, vt ſimplicitèr tantum legentes, & nequaquam ſenſuum altitudinem inveſtigantes, eo ipſo corrumpere, ſed nunquam poterunt effodere theſaurum; ſi credimus eidem Chryſoſtomo aienti: *Scrutamini Scripturas; ſcrutamini, non corrumpite: ſcrutamini non ſimplicitèr legentes, ſed altitudinem ſenſuum perveſtigantes.* Quis igitur iam credat Sanctiſsimum Doctorem iſta ſeriò docentem, ſimul ex animo conſuluiſſe omnibus aſsiduam Scripturarum lectionem, hortarique ſimplices homines, ſimplicioreſque fœminas, non valentes niſi ſimplicitèr Scripturas legere, ad eas continuò legendas? *Ad populum phaleras.*

Orat. 9.

18 Quamvis ſolus Chryſoſtomus hactenus allegatus ſufficeret ad convincendam apertiſsimi mendacij primam reflexionem Anonymi, neſcio adhuc qua fronte audet aſſirmare omnes omninò SS. PP. à Queſnellio ſtare, & impoſsibile eſſe, vel vnum tantum allegare, qui contrarium ſentiat, & qui teſtetur ſe non probare, quod ignorantes, ac fœminæ Evangelium, & Apoſtolorum ſcripta legant. Et quamquam videatur velle quodammodo temperare abſolutam, & generalem de tota Scriptura propoſitionem Queſnellij, determinans modò tantum Evangelium, & ſcripta Apoſtolo-

ſtolorum; adhuc de his do Auguſtinum redarguentem ipſum, quando & irridet alios ſe gloriantes quod nullis præceptis inſtructi, ſola lectione, quæcumque in Scripturis Sanctis obſcura ſunt divino afflatu intelligebant: *Iam vero, ait, qui divino munere exultant, & ſine talibus præceptis qualia nunc tradere inſtitui, ſe ſanctos libros intelligere, atque tractare gloriantur, & propterea ſuperflua voluiſſe me ſcribere exiſtimant, ſic eſt lenienda commotio, ut quamvis magno Dei munere iure lætentur, recordentur ſe tamen per homines didiciſſe vel litteras.*

Proleg. ad lib. de Doctrin. Chriſt.

19 Et poſt pauca: *Certè enim, quoniam cum Chriſtianis nobis res eſt, qui ſe Scripturas Sanctas ſine duce homine gaudent noſſe, & ſi ita eſt, vero, & non mediocri gaudent bono; concedant neceſſe eſt unumquemque noſtrum, & ab ineunte pueritia, conſuetudine audiendi linguam ſuam didiciſſe.* Clarius adhuc exprobrat, ridetque iactantiam, dicens: *Nec tentemus eum cui credimus, ne talibus inimici verſutiis, & perverſitate decepti, ad ipſum quoque Evangelium audiendum, atque diſcendum nolimus ire in Eccleſias, aut codicem legere, aut legentem, prædicantemque hominem audire, & expectemus rapi uſque ad tertium Cœlum..... Et ibi audire ineffabilia verba .. aut ibi videre Dominum Ieſum Chriſtum, & ab illo potius, quam ab hominibus audire Evangelium.* Caveamus tales tentationes ſuperbiſſimas, & periculoſiſſimas.

20 Eritne, quæſo, poſſibile quod Auguſtinus hæc dicens, non reprobet facultatem conceſſam viris idiotis, fœminiſque, legendi ad libitum Evangelium, & ſcripta Apoſtolorum? Nonne hac ſua iuſtiſsima exprobratione quod imò intendit, quodque obvio ſenſu colligitur eſt, ſimiles perſonas debere eſſe potius audientes, quam legentes, & non niſi apprimè inſtructas his ſaltèm documentis quæ in ſuis refertiſsimis libris de Doctrina Chriſtiana ſtatuit, idoneos Sacrarum Scripturarum lectores eſſe poſſe? Quod ſi Anonymus velit eos ita edoctos, vel antea fore edocendos, quibus lectio ea permittatur: iam tunc equidem viros non imperitos, ſed ſapientes; fœminas non ex quinque fatuis Virginibus, ſed ex quinque prudentibus, & prudentiſsimas, neceſſe eſt ſupponat.

21 Neque ipſe prudentior cum coarctat libros ab eis

legendos ad Evangelia, & ad Apoſtolorum ſcripta. Nam quod attinet ad Evangelia, quis ignorat quam altiſsimis fidei myſterijs, quot dogmatibus ad Religionem, & mores ſpectantibus, plena ſint? Quas parabolas intellectu difficillimas, multiplices, & abſtruſos ſenſus non contineant? Et omnia hæc idiotis, ac fœminis liberaliter tractanda permitti debent? Profectò ipſi Apoſtoli Chriſtum continuò audientes, & ab ipſo edocti, non valentes parabolam zizaniorum ſine commentatore intelligere, ab eo explicationem petiere, ad quod oportune Auguſtinus: *Suas ſententias in Scripturis habent zizania, vel palea, ſuas autem frumenta, quæ qui non intelligunt, confundunt, & confunduntur.*

Matth. 13.

Serm. 18. de Verb. Dom.

22 Alibi etiam de Scripturis dicit, *quod cum malè intelliguntur pluit Deus ſuper peccatores laqueos.* Moxque ſequens ex Evangelio exemplum adhibet. *Dominus dicit, non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit ab ore. Audit hoc peccator, & gulam parat voracitati. Audit hoc iuſtus, & à ciborum diſcernendorum ſuperſtitione munitur. Et hinc igitur eadem Scripturarum nube pro ſuo cuiuſque merito, & peccatori pluvia laqueorum, & iuſto pluvia vbertatis infuſſa eſt.*

Enarrat. in Pſal. 10.

23 Pro ſcriptis autem Apoſtolorum, ſat ſit allegare Principem Petrum, qui laudans Pauli Epiſtolas inquit: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Impudenti ſanè audacia Anonymus affirmat, relinquenda eſſe fœminis inſtabilibus, atque hominibus indoctis ſcripta Apoſtolorum legenda: neque id eſſe vnquam ab vllo ex SS. PP. improbatum, ac ſi ad illud reprobandum non ſufficeret teſtimonium iſtud D. Petri, adnotantis periculum depravationis Scripturarum, & perditionis prædictorum illas legentium. Eat ergò Author, & tradat confidentèr furioſo gladium, atque poſtea reprehendentem, iuſtiſsimèque damnantem traditionem, ſuggillet.

Epiſt. 2. cap. vlt.

24 Idem S. Auguſtinus non alioqui indoctus, non inſtabilis, fatetur ſibi difficillimum intellectu locum illum: *Si quis autem ſuper ædificat ſuper fundamentum*, dicens hunc eſſe vnum ex locis, quæ B. Petrus notat apud Paulum difficilia, additque:

Ex Epiſt. ad Corint. 3.

Fa-

Lib. de Fid. & Oper. cap. 15.

Fateor hic me malle audire intelligentiores, atque doctiores.

25 Et quidem de ipſo Petro, nemo neſcit quam arduus locus illius ſit ille vbi de Chriſto quando deſcendit ad inferos, dicit, *His qui in carcere erant veniens prædicavit.* In cuius intelligentiam, & expoſitionem totus Auguſtinus incumbit, vt alibi obſervavimus ſenſum teſtimonij, & Auguſtini ſimul explorantes, totumque ſuum exercens ingenium nunquam ſatis ſibi acquieſcens, tandèm ait: *Quæ me moveant perſpicis, & alia fortaſiè ſi diligentius diſcutiantur poſſunt movere, vel apud nos ea cogitando, vel quod dignum eſt, etſi poſſumus, conſulendo quæramus.* Dignû proculdubio cenſeat Anonymus, quod Auguſtinus ab idiotis, & fœminis ſenſum quærat, & commentarium ſpectet.

1. Pet. 3.

Epiſt. 99. ad Euod.

Diſſ. 5. de ſpe. dub. ult.

26 Qui demùm generatim de tota Scriptura inquit: *Tanta eſt Chriſtianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia, vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliori ingenio conarer addiſcere ..... Tantaque non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verumetiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimiſque cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet; cum conſummaverit homo, tunc incipiet.* Ita nè homines quamlibet imperiti, fœminæque omnes ad legendas Scripturas idonei, otio, ſtudio, ingenio, ætate, acumine, non curioſitate, ſed flagranti deſiderio habentur?

Epiſt. 3. ad Voluſ.

27 Sed nè nimius, & à menſura exorbitans in hac re ſim, omitto modo quam plurima tum Auguſtini, tum & aliorum SS. PP. teſtimonia, non ea tantum quæ à laudato Bellarmino allegantur (quæ intacta apud ipſum videnda relinquo) ſed & plura alia ab illo, quemadmodum & adducta, non attacta, quæ à me obſervata, & hactenus allegavi, & poſtmodum ad alias propoſitiones, vbi & oportuniora ſint, adducam. Prætermittere tamen nequeo S. Gregorium Nazianzenum, quia ſolus ille ſufficit ad redarguendum, & pro merito ſuo Anonymum tractandum, confutans apertè & eius propoſitum, & impudicum mendacium quo affirmat, non eſſe vllum ex SS. PP. qui eam indifferen-

tem, & communem omnibus Sacræ Scripturæ lectionem non approbet.

28 Poſt relatam enim morum humanorum, & perſonarum diverſitatem, quia non eædem rationes, nec ijdem animorum impetus ſunt maris, & fœminæ, ſenectutis, & adoleſcentiæ, eruditorum, & indoctorum, ſubdit: *Iam ipſam verbi diſtributionem ..... divini inquam verbi, & excelſi diſtributionem, quam omnes hac ætate profitentur, ſi quis eſt alius, qui præfidenti animo ſuſcipiat, aut cuiuſvis ingenii eſſe cenſeat, hunc ego ſolertiæ nomine admiror, ne dicam ſtultitiæ.* Quo, amabo, nomine admirandus Nazianzeno Anonymus, non diſtribuens, non dividens, ſed integrum, & ſine delectu verbum Dei diſpenſans laicis omnibus, idiotis etiam, ac fœminis?

In Apolog. ſeu orat. 1.

29 Porrò S. iſte P. aliud omninò faciendum præſcribit, diſtinguens alios lacte tantum, alios ſolidiori cibo alendos, nempè pro cujuſque animi capacitate, viribus, & habitudine. In qua cibi diſpenſatione ſervanda, deſumptaque alias ex Apoſtolo, conſpirant omnes SS. PP. quin & prophani etiam iuxta illud, *infanti melli melle dato, &c.* Adeo enim illa rationabilis eſt, hæreticis tantum, Queſnellio, & ſuis Patronis inviſa. De quorum veſano intento acerbè conqueritur Nazianzenus ſequentibus verbis, quæ tametſi longiora, exſcribere non gravabor, quamvis carptim excerpta, omnia enim oportuniſsima ſunt, & rem penitus definientia.

1. Ad Corinth. 4.

Mard. lib. 14.

30 *Enimvero*, inquit, *Hebræorum ſapientes, hanc olim Hebræis legem fuiſſe narrant, in primis rectam, & laude dignam, quæ non cuivis ætati quivis Scripturæ liber concedebatur, nam nè hoc quidem utilius eſſe, quandoquidem nec tota ſtatim a quolibet percipi poſſit, ac, quod in ea reconditius eſt, ob externam ſpeciem imperitioribus plurimum detrimenti afferre poſſit .... At nobis nullus docendi, ac diſcendi terminus eſt conſtitutus.... Verum ita prolecta, & confuſa hæc res eſt, tamque malè afficimur, ut quamplurimi ex nobis (nè omnes dicam) prius ferè, quam primam comam abjecerimus, puerilique more balbutire deſierimus, prinſquam in divina atria introiverimus, prinſquam Sacrorum librorum, vel nomina ipſa noverimus, prinſquam novi, veteriſque Teſta-*

ſtamenti caracterem, & Authores cognitos habuerimus.... pietatis ſpeciem quandam nobis illinientes: ò præfecturam! O elevatum animum! Statim ſapientes, & Magiſtri ſumus, & in divinis rebus ſublimes.... Ac celeſtes nos ipſos deſignamus. Quis his non videat Queſnellianos proprijs coloribus expreſſos?

31 Verum adhuc eoſdem ſacræ Conſtitutioni *Unigenitus* refragantes: damnantes, reprehendenteſque humiles, qui colla ſubmittunt, ſequentibus ad vivum depingit. *Multum nos, ſi ita viſum fuerit, condemnantes, & vexantes, ac miſeris modis exagitantes, nec loco ullo ac numero ponentes abſcendunt, ſocietatem noſtram, vel haud plurium hominum aſpernantes.* Qui aliunde, ait Nazianzenus, cum negare nequeant, ſapientiam rerum divinarum, & humanarum quæ ex Sacris Scripturis habetur, excellere artes ſaltandi, & canendi, ita exinde eos redarguit. *Saltationis quidem, & cantus tibiarum doctrina quadam, & diſciplina eſt, ad idque & diuturno tempore, & plurimis laboribus, & ſudoribus opus eſt..... Sapientiam autem quæ omnibus præſtantem uſque adeò levem, & protritam eſſe exiſtimavimus, ut ad hoc ut quiſpiam ſapiens ſit voluntas ſola requiratur? Magna herclè ſtultitia hoc fuerit.*

32 At quid illi ad Nazianzenum adeo valide ipſos redarguentem? *Si hæc ad eos dicamus*, inquit, *erroremque paulatim repurgemus, aut alius quiſpiam doctiorum, & prudentiorum hoc nimirum illud fecerit: ſupra petras ſeminare, atque in aures non audientium loqui videatur. Ita nè hactenus quidem ſapientes ſunt, ut inſcitiam ſuam cognitam habeant.* Ergò malum hoc deplorandum, & ſolo Apoſtolico Petri, & Pauli gladio, Conſtitutione nimirum Sacroſancta, cuius vim (rumpantur licet) effugere non poſſunt, reſecandum erit.

33 *Hoc malum*, ait Nazianzenus, *lachrymis quidem, & luctibus, ſi quod aliud, dignum eſt: quod etiam ipſe ſæpè miſeratus ſum, non ignorans opinionem plurimum de re ipſa auferre, inaniſq; gloriæ ſtudium hominibus magno ad virtutem impedimento eſſe: morbum autem ſanare, ac reprimere, Petri cuiuſdam, aut Pauli fuerit, magnorum inquam illorum Chriſti diſcipulorum, qui unà cum gubernatione tam in ſermone,*

quam

quam in opere gratiam acceperunt, omnibuſque omnia facti ſunt, vt omnes lucri facerent.

34 Ita planè ſe geſsit SS. Petri ſucceſſor Clemens XI. pijſsimis primo, & paternis admonitionibus, coercitionibus poſtmodum, ac tandem æquiſsima damnatione, rebelles hos filios tam pravi dogmatis, & aliorum perverſorum, Authorum, & ſectatores, opere, & ſermone, juxta acceptam cum gubernatione Eccleſiæ deſuper gratiam, corrigens, ac reprimens. Vtinam effectus ardentiſsimis Parentis votis reſpondeat! *Nobis autem alijs* (vt & id à Nazianzeno mutuemus) *magnum, atque amplum fuerit, ſi ab his quibus emendandarum, & dirigendarum hujuſmodi rerum cura commiſſa eſt, rectè gubernemur, atquè ducamur.* Et de SS. PP. ſatis ad revincendum Anonymi mendacium.

35 Iam vero ſecunda ejuſdem Anonymi reflexio, æque falſa, & petulanti affirmatione confecta eſt. Vbinam quæſo invenit callidiſsimus homo, quod olim Hebræis omnibus permiſſum fuerit totam Scripturam legere? Ita ne licet imponere, & incautos decipere? Maiorem profectò fidem debemus Nazianzeno contrarium aſſerenti: *Alij libri*, ait, *ab initio cunctis patebant, & communes erant.... Alij autem his dumtaxat qui viceſimum quintum ætatis annum exceſſiſſent .... Quod ſcilicet ſola hæc ætas ſupra corpus aſſurgere, atque à littera ad ſpiritum recta aſcendere queat.* Vbi ſup.

36 Hoc ipſum teſtatur Origenes de lib. Cantic. *Aiunt obſervari etiam apud Hebræos, quod niſi quis ad ætatem perfectam, maturamque pervenerit, libellum hunc nè quidem in manibus tenere permittatur: ſed & illud ab eis accepimus cuſtodiri.* Hieronymus de eodem libro, & de alijs inquit: *Aggrediar Ezechielem Prophetam, cujus difficultatem Hebræorum probat traditio. Nam niſi quis apud eos ætatem Sacerdotalis miniſterij, id eſt, trigeſimum annum impleverit, nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis exordium, & finem legere permittitur, vt ad perfectam ſcientiam, & myſticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat.* His ergò teſtimonijs, & inverecundum Anonymi commentum planè redarguitur, & exemplum ex Hebræis in ipſum apertiſsimè regeritur.

In proœm. Homil. in Cant.

Epiſt. ad Paulinũ.

Quod

37 Quod autem in veteri Teſtamento fuerit Iudæis præſcriptum, quod ſemper ob occulos divinam legem haberent; non lectionem aſiduam, ſed curam obſervantiæ mandatorum illius iniunctam ſignificat: quemadmodum enim non auditores, ſed factores legis, ſimiliter non legentes, ſed obſervantes legem, laudantur.

38 Atque hoc ipſum intendunt exhortationes quæ in novo extant Teſtamento, alioquin nullum de re iſta relinqueretur vel apparens dubium, ſi lectio in illo cunctis ſupponatur præcepta: de qua alias indifferenter permiſſa omnibus, atque etiam fœminis, nullum exemplum eſt, nec verbum vllum in Sacra Pagina expreſſum, quod Anonymus fidem deſiderans, allegare debuerat; quin potius innumeris ex ea teſtimonijs poſſem illi contraria demonſtrare, ſi tãtiſper pervicaciam deponeret. Sat modo erit vnum ex vtroque Teſtamento producere. Illud ex veteri quo Oſſeas ſuas Prophetias claudit: *Quis ſapiens, & intelliget iſta? Intelligens & ſciet hæc?* Et ex novo illud Pauli: *ſapientiam loquimur inter perfectos .... Loquimur Dei ſapientiam in myſterio.* 1. ad Corinth. 2.

Atque alia ibi, clariſsimè denotant, ea non eſſe ſcripta vt ab imperitis, & fœminis legantur.

39 Hinc & manifeſtum fit, quam ineptè Anonymus perſuadere nitatur hanc lectionem communem fuiſſe, ex titulo nimirùm præfixo Epiſtolis Apoſtolorum, denotanteque eas ad omnes fideles directas eſſe: quod eſt, inquit, argumentum convincens, quia ab omnibus legebantur. Sed leviſsima prorſus, nec omnino vera ratiohe, eius ingenium flectitur, quando & nullo negotio illius fallacia convincitur. Et multis quidem.

40 Primò, quia ea ratione probaretur Epiſtolam Pauli ad Hebræos, & primam Ioannis, à nemine legendas eſſe, quoniam in titulis non exprimuntur hi ad quos illæ directæ fuerint. Secundò, quia etiam infantes, qui forte litteras non agnoſcebant, debuiſſent legere eandem Epiſtolam primam Ioannis, eo quod ibi dicit, *ſcribo vobis infantes.* Cap. 2. 14 Tertio, ob prædictam rationem non haberentur ſolius Pauli Epiſtolæ ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſalonicenſes, & ad Philemonem, eo quod in titulis ſcriptæ dicuntur, non à Paulo ſolo, ſed à Timotheo,

theo, vel ſimul à Sylvano, contra id quod animadvertit S. Ambroſius, ſeu Hilarius Diaconus, Commentar. in Epiſt. Pauli Author iuxta Criticos, dicens: *Trium quidem Epiſcoporum nomina litteræ continent, ſed ſenſus, & verba ſolius Apoſtoli ſunt.*

Commentar. in 1. ad Theſſal. cap. 1.

41 Quemadmodum ergò non tres illi ſimul ſcribentes, vel dictantes fuere, tametſi nomine trium Epiſtolæ ſcriptæ dicantur, ita & ſimiliter, non vt ab omnibus ſine vllo delectu legendæ, omnibus fidelibus, ſeu individuis Eccleſiarum dirigebantur inſcriptæ. Id quippè potius ad confuſionem, quam ad doctrinam deſerviret. Et quidem cum ſcribitur Reipublicæ, Congregationi, aut Communitati, quamvis ad omnes in ea ſtantes Epiſtola dirigatur, non propterea illa ſingulis legenda traditur, ſed pauciſsimis, primoribus, ſcilicèt, vel vni tantum ad id deſignato, qui reliquos vel audientes habet, vel de ſenſu, & contextu certiores facit.

42 Atque hoc ipſum in vſum fuiſſe antiquitus apud fideles, videtur inſinuari ab eadem Authore, qui exponens illud: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores;* cum munia iſta diſtinguat, per Paſtores intelligit, & deſignat lectores doctrinæ ſpiritualis, qualis continetur in litteris Apoſtolicis, dicens: *Paſtores poſſunt eſſe lectores, qui lectionibus ſaginent populum audientem, quia non in pane tantum vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Vbi notandum, quod non dicit populum *legentem*, ſed *audientem*. Item, ipſa eadem diſtributio miniſteriorum relata ab Apoſtolo, ſat denotat non fuiſſe olim conceſſam omnibus facultatem legendi Scripturas, quemadmodum nec exercitia aliorum.

In Epiſt. ad Epheſ. cap. 4.

43 Verum demus gratis Anonymo quod intendit, ne omninò inofficioſi ipſi videamur. Fuerit vtique olim, ſi ita placet, hæc Epiſtolarum Apoſtolorum lectio cunctis fidelibus communis. An propterea hodie id ipſum permittendum, imò conſulendum, ſuadendumque erit? Minimè gentium. Pro quo audiat laudatum Authorem ipſi reſpondentem, ac ſimul, hæc & alia antiquioris diſciplinæ Eccleſiaſticæ exempla, quæ paſsim per totum libellum amplificat Anonymus, pru-

prudentiſsimo iudicio excipientem.

44 *Poſtquam omnibus* Vbi ſupr. paulo poſt. *locis*, inquit, *Eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, aliter compoſita res eſt quam cœperat. Primum enim omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuſcumque diebus, vel temporibus fuiſſet occaſio.* De quo adhibitis nonnullis exemplis, ſubiungit: *Vt ergò creſceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt, & evangelizare, & baptizare, & Scripturas in Eccleſia explanare. At vbi autem omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & rectores, & cætera officia in Eccleſijs ſunt ordinata, vt nullus de Clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret non ſibi creditum, vel conceſſum, & cœpit alio ordine, & providentia gubernari Eccleſia: quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res, & viliſsima videretur.*

45 Hæc, & præſertim vltima verba, ſufficere poſſunt ad vindicandum iuſtiſſimum fulmen ſacroſanctæ Conſtitutionis Unigenitus, adverſum infelicem, quamvis audacem conatum Anonymi, defendentis hanc, & ſequentes eiuſdem argumenti propoſitiones. Sed placuit copia teſtimoniorum ipſum obruere, vt ſentiat quam deſtituta ſuffragio SS.PP. ſua cauſa corruat.

46 Quod ſi adhuc cenſeat eam ſuffultam authoritate ſui Queſnelij dicentis, quod Sacra Scriptura inter manus ipſas hominis in ſæcularibus negotijs occupati, nempe Eunuchi, regiæ gazæ Candacis præfecti, denotat debere lectionem illius toti mundo patere. Si, inquam hæc ratio videtur ſuo defenſori argumentum etiam convincens, ſciat illam adeo frigidam, & ineptam eſſe, ac ſi quis ſuadere vellet omnes homines curribus vehi debere, quia ille curru vehebatur. Vel quia Eunuchus iſte inter manus habebat computationes pecuniæ, quæſtuſque, ita ne reliqui alij, vel ſaltem, ſi mavis, quotquot fuerint Eunuchi, poterunt, aut debent in eodem miniſterio detineri? Nugæ. Itaque iniquum aſſertum, ineptiſsimo argumento ſtabilitur, vt quemadmodum illud damnationem, iſtud riſum mereatur. Sed quia de Eunucho iſto ſermo iterum infra redibit, ibi dicemus quid de eius lectione ſenſerint SS. PP.

LXXIX. PROPOSITIO DAMNATA.

Vtile eſt, & neceſſarium omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scripturæ.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

1. ad Corinth. 14. *Etudier, connoitre, & expliquer l'eſprit, la pietè, & les Myſteres de l'Eſcriture, eſt vtile & neceſſaire en tout temps, en tout lieu, & pour toutes ſortes de perſonnes.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

S. Chryſ. *Quis veſtrum, quæſo qui aſſiſtitis, vnum ſi exigatur Pſalmum poteſt memoritèr ediſcere, aut Scripturarum Sacrarum vllam aliam portionem? ..... Non ſum, inquit, ego Monachus, vxorem habeo, & filios, & curam domus gero. Hoc enim eſt quod omnia quaſi vna quadam peſte corrumpit; quoniam lectionem diuinarum Scripturarum ad ſolos putatis Monachos pertinere, cum multo magis vobis quam illis ſit neceſſaria: qui enim verſantur in medio, & vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine.*

Serm. 3. Lazaro. Iuxta Anonym.

Nullas hic proprias reflexiones habet Anonymus.

ADNIMADVERSIONES.

1 IN allegatione Chryſoſtomi incurioſus Anonymus nè dicam mendax, deprehenditur, quoniam verba adducta, non extant in Serm. 3. de Lazaro, vt ad marginem notat, ſed in 2. Homil. in Matth. opportunioraque ad propoſitionem præfixam poterat ex illo ſermone adducere; opportuniora, inquam, in ſpecie, ſed nequaquam probantia intentum, ſeu propoſitionem confirmantia. Non enim vnquam, aut vſquam apud Chryſoſtomum inuenietur, quod vtile ſit omnibus perſonis cuiuſcumque ſortis, omni tempore, & in omni loco, ſtudere, penetrare, & explicare ſpiritum, & myſteria Sacræ Scripturæ.

Hæc

Hæc namque omnia ſimul ſic accepta, adeò invicem pugnantia ſunt, vt nequeant vna & eadem propoſitione verificari: neque etiam per amplificationem, niſi ineptiſsimam, poterat ad ea hortari Chryſoſtomus.

2 Qui enim crebrò docet Scripturas non ſimpliciter, non temerè, ſed attentè, ſed ſtudiosè, quam diligentiſsimè legendas eſſe, ſcrutandas, per veſtigandumque altitudinem ſenſuum illarum: quomodo poterat earundem, non iam ſolam lectionem, ſed meditationem, intimioremque intelligentiam, & expoſitionem Spiritus Dei latentis, & myſteriorum reconditorum, in omni loco, omni tempore, & omnibus cuiuſcumque conditionis perſonis, ſuadere? Profectò ſi quidpiam eiuſmodi a Chriſoſtomo concionante ſuus populus audiſſet; non adornatas illas occupationes allegarent, non ad Monachos amandarent, ſed rem prorſus impoſsibilem omnibus, imò & abſonam, aut riderent, aut abhorrerent hortantem.

3 Ipſe quidem Paulus, quem Queſnellius præfata propoſitione commentari audet, non ab omnibus, ſed ab his tantum quibus deſuper datum eſt, non omni tempore, non in omni loco, ſed in Eccleſia tantum ibi prophetandum docet: ac mulieres non vt explicent, ſed vt taceant præſcribit, ac tandem caput illud ſic concludit *Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant.* Vbi honeſtas, vbi ordo, ſi omnibus, fœminis etiam: ſi omni loco, vel extra Eccleſiam: ſi omni tempore quamlibet importuno, liceat Sacras Scripturas exponere?

4 Non ita certè Paulum exponit antiquus commentator iam laudatus, qui ſingularem gradum, non commune officium prophetandi in eis verbis intelligit, dicens: *Quamvis magni ſint ſpirituales gradus, quos enumerat, hic tamen melior qui ad vtilitatem Eccleſiæ proficit, vt diſcant omnes divinæ legis rationem.* Gradus itaque inter magnos melior, quo aliqui ſcrutandis, & explanandis Sacris Scripturis præficiuntur ad vtilitatem Eccleſiæ, ab ea erit auferendus arbitrio vnius Queſnellij verba Pauli iniquè detorquentis? Atque hoc alias vtile, imò & neceſſarium audet affirmare? Erit proculdubio vtile ad promovendas hæreſes, ad corrumpendam Scripturam, ad perniciem animarum: & quæ vtilitas in

Sup. 1. Cor. 1.

ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem?

5 Oportet vtique, vt diſcant omnes divinæ legis rationem, ſed ſervatis vndique gradibus, & ordine, docentis, ſcilicèt, & diſcentis; legentis & audientis; in loco aliàs honeſto, tempore etiam oportuno; quia *omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniverſa ſub Cœlo.* [*Eccleſ.3.*] Appoſitè Rupertus Abbas exponit illud animæ ſanctæ deſiderium ex libro Cantic, *Aprehendam te, & ducam in domo Matris meæ, ibi me docebis*, de eo qui edoceri cupit per verbum Dei,& Scripturam Sacram. Vbi tamen? Non certè in omni loco, ſed in domo Matris, in loco ſancto.

6 Denique, ſi cunctis cuiuſcumque ſortis perſonis, licet ſtudere, cognoſcere, & explicare ſpiritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scripturæ, litturandum erit illud Tertuliani: [*Lib. de Pal.cap.3.*] *Sed arcana iſta, nec omnium noſſe*, de quo Jacobus Pamellius in notis, ait: *Locus inſignis veteribus vſitatiſſimus de Sacris Scripturis non cuivis propalandis.*

7 At contrarium volunt, iubentque Queſnellius, & eius defenſor, ac ſi pro cunctis ſponſores ſint de eo quod omnes, cuiuſcumque conditionis perſonæ, omni tempore, & omni loco, accedent ad Scripturam legendam, his requiſitis quæ Auguſtinus in lectore illius deſiderat, inquiens: *Cum quiſque cognoverit finem precepti eſſe charitatem, de corpore puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, omnem intellectum divinarum Scripturarum ad iſta tria relaturus, ad tractationem illorum librorum ſecurus accedat.* [*Lib. 1. de Doct.Chr. cap.40.*] Iuſtiſſimè ergò damnatur propoſitio, quæ tot abſona continens, ipſius Sacræ Paginæ, & SS. PP. ſenſui repugnat.

LXXXIV.

LXXXIV. PROPOSITIO DAMNATA.

Abripere à Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu illud eis clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

C'eſt fermer aux Chretiens la bouche de J.C. que de leur arracher des mains le N. Teſt. ou de le leur tenir fermè, en leur otant le moyen de l'entendre. 1. ad Corinth. 14. 5.

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

S. Gregor. *Studete queſo, fratres chariſsimi, Dei verba meditari, nolite deſpicere ſcripta noſtri Redemptoris, quæ ad nos miſſa ſunt.* Hom. 1 ſu in Ezech.

Idem. *Dominus hominum, & Angelorum pro vita tua tibi ſuas Epiſtolas tranſmiſsit, & tamen, glorioſè fili, eaſdem Epiſtolas ardentèr legere negligis .... ſtude ergò, quæſo, & quotidie Creatoris tui verba meditare. Diſce cor Dei in verbis Dei.* In ſua Epiſt. ad Theodor. Laicum.

Notulam hìc ad calcem adhibet Anonymus correſpondentem priori à ſe allegato teſtimonio S. Gregorij, dicens: *Pontifices illius temporis Homilias faciebant, atque id erat quod ſuis populis magnopere commendabant.*

REFLEXIONES ANONYMI.

IDem Pontifex, Homil. 15. in Evang. narrat cum Laude hiſtoriam cuiuſdam pauperis paralytici, qui appellabatur Servulus, qui tametſi eleemoſynis ſuſtentaretur, neque adhuc legere ſciret, non ideò ſe continuit ab emenda Sacra Scriptura, quam ſibi legi ita aſsidue faciebat, vt perfectè illam ediſceret, quantum eiuſdem capax erat.

ANIMADVERSIONES.

QUam dignum cenſoria virga verbum illud *arracher*, cui latinum *abripere* reſpondet, à Queſnellio in odium, & ſeditionem vſurpatum! Non enim abripimus è manibus fidelium ſa-

ſacros libros, qui probè ſcimus Sancta ſanctè tractanda eſſe: ſed monemus, hortamur verbis etiam pacatis, ne illis vtantur, qui vel non ſanctè vti, vel periculosè abuti poſſunt.

2 Id quod ipſe ab Anonymo allegatus Gregorius nos docet loco eodem ſupr. Ezech. ibi ſæpè admonet nos, non tam legere Scripturas, quam audire Prædicatores eas exponentes, atque indigere interpretationibus Patrum, tum pro veteri, tum pro novo Teſtamento, quia inquit: *Lucerna Prophetici ſermonis, tam quidem intelligentibus lucet, ſed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obſcuritatibus permanet.* (*Ib. hom. 14.*)

3 Neque ad verba Dei meditanda (quod tantum obiecto loco ſuadet) opus eſt, vt quiſque illud ex privata lectione ſibi hauriat; neque is ſenſus Gregorij, quo planè abutitur Anonymus: non enim idem eſt meditari, ac legere; neque vnicum ad meditandum medium eſt lectio, alioqui non tenerentur ſacra myſteria meditari Chriſtiani, qui litteras non norunt: ſed ſat eſt quod anxiæ mentes verba Dei ab ore prædicantium avidè excipiant, vt in meditatione interioris ſenſus ignis animi irrequietus exardeſcat, & quieſcat: *Per hoc*, ait, *quod a Sanctis Prædicatoribus lucidè dicitur, mentes audientium fulgorem claritatis intimæ, in qua reclinentur inveniunt. Per hoc enim quod luculentè & apertè audiunt, in illud quod clareſcit in corde, requieſcunt ::: quia per lucem ſermonis invenitur apud animum claritas quietis.* (*Ibid. num. 14.*)

4 In idemque collimant plurima adhuc eiuſdem Patris teſtimonia, quæ plenis manibus poſſem afferre. Vnum aut alterum, alijs dimiſsis, producam. *Ecce cum* inquit, *Sacram Scripturam legimus, ſi omnia ad litteram ſentiamus, virtutem diſcretionis amiſimus. Si omnia ad ſpiritalem allegoriam ducimus, ſimilitèr indiſcretionis ſtultitia ligamur.* Laicorumnè erit propria hæc diſcretionis virtus? *Quid enim*, inquit, *Cœli nomine niſi Sacra Scriptura ſignatur? ::: Quod ſicut pellis extenditur, quia per Scriptores ſuos carnis lingua formatum, ante oculos noſtros per verba Doctorum exponendo diſplicatur.* Et poſteà: *In ſacro eloquio & dictis occultioribus atq; ſublimioribus ſatiantur fortes, & præceptis apertioribus nos parvu-* (*In Ezech. lib. 1. Homil. 5.*) (*1. in Ezech. Hom. 9.*)

vuli nutrimur. Vndè ſcriptum eſt: montes excelſi cervis, petra refugium herinacijs. Habeant enim montes intelligentiæ, qui tam contemplationis ſaltus dare noverunt: ſed petra ſit refugium herinacijs, quia nos parvuli & peccatorum noſtrorum ſpinis cooperti, & ſi intelligere alta non poſſumus, in petra noſtro refugio, id eſt, in Chriſti fide ſalvamur. Non ſunt igitur apta paſcua herinacijs, puſillis, ſcilicet Chriſti fidelibus, culmina Scripturæ, neque eis illa interdicens, ideò Chriſti os obturat Gregorius, quibus alioqui tantum cibum à fortibus, & doctioribus prius veluti decoctum, propinatum concedit.

5 Neque illud ſuaderet ſumendum à Theodoro illo ad quem ſcribit, niſi in eadem Epiſtola ſupponeret eum capacem, & dono ingenij, alijſque deſuper præditum. Ait quippè: *Quia donum ingenij, donum rerum, donum miſericordiæ, atque charitatis, à Sancta Trinitate percepit.* Quæ omittere Anonymus non debuerat, quemadmodum neque ad marginem affectatò adnotare Epiſtolam illam ad *quemdam Theodorum laicum* à Gregorio ſcriptam, ac ſi ille foret homo idiota, & de media plebe,

6 Nam parum ſincerè iſta. Quoniam ſuppoſitis in quocumque, ſeu laico, ſeu non laico, prædictis Spiritus Sācti donis, nemo erit qui ab eius manibus novum Teſtamentum abripiat. Nemo qui eidem clauſum teneat: & dum præfata laici cuiuſdam nota, deſignatur Theodorus iſte, trahitur doloſè in exemplum laicorum omnium, etiam inſipientium, homo aliqui doctiſsimus, & Gregorio chariſsimus, quem magnificis gloriæ, & excellentiæ titulis, filiumque compellat: totque donis à Sancta Trinitate acceptis pollentem affirmat. Ineptum igitur fallaxque confingitur exemplum à Theodoro iſto, quamvis laico, ad reliquos quos vulgò laicos appellamus.

7 Nec quod Gregorius dixerit, Sacras Scripturas eſſe litteras ad nos miſſas pro vita noſtra rectè inſtituenda, intentum Anonymi confirmat. Iam enim alibi oſtendimus, quod cum mittuntur, diriguntur vè, litteræ, ſeu Epiſtolæ, ad populum, Rempublicam, vel Communitatem aliquam, non vt à ſingulis, vel à quolibet explicentur ſeu legantur, mittuntur; nec cuilibet licet eas accipere, aperire, & perlegere; ſed ijs tantum, vel qui primores ſunt,

ſunt, vel quibus id muneris demandatum eſt.

8 Sed præſtat audire Auguſtinum, qui cum hoc ipſum ante Gregorium protulerit dicens: *Et hæ de illa Civitate unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt, ipſæ ſunt Scripturæ, quæ nos hortantur vt benè vivamus.* Poſtea exponit qualiter, & à quibus litteræ illæ explicandæ & legendæ ſint, adeo perſpicuè, adeoque coherenter cum teſtimonijs ex Gregorio a me allatis, vt facile quis ſibi perſuadeat, Gregorium & verba, & ſenſum ab Auguſtino mutuaſſe.

Enarrat. in Pſalm. 90. Conc. 6.

9 Ambo namque Cœlo comparant Sacram Scripturam, ex illo: *Extendens Cælum ſicut pellem*: Cœlo inquam, cuius ſuperiora aquis teguntur, iuxta illud. *Qui tegis aquis ſuperiora eius.* Auguſtinus autem nubes eſſe dicit aſcenſum ad Cœlum iſtud, ex eo: *Qui ponis nubes aſcenſum tuum*, atque inquit: *Habet nubes aſcenſum Cæli. Oſtendam & nubes aſcenſum Cæli huius, ideſt, divinarum Scripturarum. Quid eſt hoc fratres? Vtinam me Dominus Deus meus inter illas qualeſcumque nubes numerare dignetur, & ſi viderit quam nebuloſa nubes ſim. Omnes tamen Prædicatores verbi veritatis, nubes accipi poſſunt. Quicumque ergo infirmi non poſſunt aſcendere in hoc Cælum ad intellectum Scripturarum, per nubes aſcendant ::: Aſcenditis in Cælum divinarum Scripturarum, hoc eſt intellectum earum, per prædicationem noſtram ::: Ecce intellectum eſt, quantum Dominus donavit prædicantibus nobis. Non enim nubes de ſuo munere pluunt.*

Enarrat. in Pſalm. 103.

10 Pulchra equidem allegoria! Omnibus igitur pluit Dominus a Domino, e Cœlo, ſcilicet, Scripturarum, verba & ſenſus, aquas & myſteria illis obtecta. Sed ſi non cuique fas eſt adire Corinthum, multo minus omnibus æque licet aſcendere in Cœlum ad hauriendas aquas de fontibus Salvatoris: infirmis namque, imperitis, laicis, id duntaxat conceſſum, vt ponant nubes aſcenſum ſuum, & de nubibus bibant. Nemoque illorum dicere audeat, levabo in Cœlum manum meam. Id Auguſtinus, id ex ipſo Gregorius docet. Iniquum ergo patrocinium ex Gregorio ſibi, & ſuo Queſnellio comminiſcitur Anonymus.

11 Qui & falſo in adiecta notula affirmat, hoc maximè in ſuis Homilijs anti-

quos

quos Summos Pontifices populo commendaſſe, vt nempè ſinguli e plebe aſsidue Scripturam legerent. Nihil iſtius rei apud ipſos: de quo neque vnum incorruptum teſtimonium habet Anonymus quod producat, neque alias ad compeſcenda peccata populi, frænandam licentiam, reformandos abuſus, imbuendam pietatem, & Religionem; atque vno verbo, ad totius legis obſervantiæ exhortationem; quæ vnicè earum homiliarum finis, & ſcopus ſunt, aptum medium erat commendare gentibus Scripturæ lectionem, quæ ignaris litterarum, impoſsibilis; pauperibus, & in negotijs ſæcularibus occupatis, difficillima; ac plerisque infructuoſa, periculoſa etiam, & fortaſis, eorumdem vitio & inſcitia, perniciosa foret. Procul ergo a Summis Pontificibus, vt medium adeo lubricum ad intentum finem ſuadendum, aſſumerent. Procul à Sanctiſsimis Paſtoribus, quod tradentes ſacros codices inter manus ſimplicium ovium, has in intellectibus manuum ſuarum deducere paſcendas vellent.

12 Aſt, quid opus erat Homilijs, quæ Scripturam explicatam, & veluti maſticatam, & decoctam traderent, ſi maxima illarum exhortatio eo tenderet, vt vnuſquiſque ſibi aſſumeret Scripturam legendam, maſticandam, decoquendam? Ad quid illi exceptores Homiliarum Sancti Gregorij, dum ipſe eas pronuntiabat, vel à Notario in Eccleſia recitabantur, quorum mentionem facit Epiſt. ad Secundinum, ſi Sacram Scripturam quam explicabant, non audiendam tantum, ſed legendam, ſed pro arbitrio cuiuſque ab ipſis auditoribus exponendam, magnopere hortarentur?

13 Profectò incaſum laboravere antiqui Pontifices, totque alij SS. PP. ſuis concionibus ad populum Scripturas explanantes, fruſtraque Sanctiſsimus Pontifex noſter Clemens XI. imitatus Gregorios, & Leones, tot admirabiles, & Sancta vnctione plenas ad ſuum populum Homilias habet, in queis præcipua noſtræ Fidei myſteria credenda, & colenda ſic exponit, loquente nimirum cum ipſo, & in ipſo Sacra Scriptura, vt ex opportuniſsima illius permixtione, & connexione, ſenſus, & mentem ad Sacrarum Litterarum intelligentiam illuminari; & voluntatem ſimul ad pietatem, Religionemque inflammari. Fruſtra inquam

D illa,

iſta, ludicraque forent theoremata, ſi his Homilijs præcipuè hortandi forent auditores, vt vnuſquiſque Scripturam privatim legat, ſenſuque proprio, ſenſus abditos, & myſteria latentia ſibi eruat.

14 Quod attinet ad hiſtoriam paralitici Servuli, quam narrat Gregorius, obſervare debuerat Anonymus, quod non intendit ibi, nec proponit Sanctus Doctor imitandam illam, ſeu ſolertiam, ſeu curioſitatem Servuli in addiſcenda Scriptura. Hoc duntaxat ſimpliciter refert, vt hominem paralyſi affectum, bene adhuc occupatum oſtenderet; ſolamque eius conſtantiam in doloribus, & æquanimitatem in flagellis tolerandis imitandam proponit. Vt igitur Gregorius non colligit ex ea hiſtoria rationem, ad ſuadendum alijs lectionem Scripturæ, nec debuit Anonymus exemplum exinde ſumere, vt authoritate Gregorij excuſſet Queſnelium illam ſuadentem.

15 Longè ab hoc intento Gregorius vt vidimus. Adeoque longè, vt ſi quiſpiam vellet contra ipſum tenere, quod pueri apti ſunt ad prophetandum, ex eo, quod Hieremias, atque Daniel, pueri cum eſſent prophetavere, aiente aliàs Gregorio: *Iuxta rationis vſum, doctrinæ ſermo non ſuppetit niſi in ætate perfecta*: Nequaquam inquam eo exemplo ille redargui pateretur; imò nullum ibi exemplum agnoſcit, dicens: *Nec contra hæc quempiam movere debet, quod Hieremias, atque Daniel prophetiæ ſpiritum pueri perceperunt, quoniam miracula in exemplum operationis non ſunt trahenda. Omnipotens enim Deus, & linguas infantium facit diſertas, & ex ore infantium, atque lactentium perficit laudem. Sed aliud eſt quod nos de doctrinæ vſu, atque diſciplina diſcimus, aliud quod de miraculo ſcimus.* Non igitur prælato exemplo Sancti illius paralitici, qui cum litteras funditus ignoraret, plenè Sacram Scripturam edidicit, ſuadendi ſunt omnes ad eam legendam & diſcendam. Nam miracula non ſunt trahenda in exemplum operationis, quia aliud eſt quod nos de doctrinæ vſu, atque diſciplina diſcimus.

Lib. 1 in Ezechiel. Hom. 2.

LXXXI. PROP. COND.

Obſcuritas Sancta Verbi Dei, non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab eius lectione.

PROPOSITION DU P. QUESTEL.

Sur ce que l'Eunuque n'entendoit pas l'endroit d'Iſaie qu'il liſoit: *L'obſcurité Sainte de la parole de Dieu, n'eſt pas aux laiques une raiſon pour ſe diſpenſer de la lire. Pretendre la pouvoir entendre par ſon propre Eſprit, & ſans le ſecours des Docteurs de l'Egliſe, c'eſt une étrange preſomption.* *Act. 8. 32.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

S. Chryſoſt. *Quid igitur, inquiunt, ſi non intelligamus ea, quæ continentur libris? Maximè quidem, etiam ſi non intelligas illic recondita, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia. Quamquam fieri non poteſt vt omnia ex æquo ignores: propterea ſiquidem ſpiritus gratia diſpenſavit illa, temperavitque, quo publicani, piſcatores, tabernaculorum opifices, paſtores, idiotæ, illiterati, per hos libros ſalui fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere poſſit excuſationem, vt omnibus facilia conſpectu eſſent ea quæ dicuntur; vt & opifex, & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctiſſimus ex audita lectione aliquid lucri vtilitatiſque reportaret.* *Serm. 3. de Lazaro.*

Nullas hic reflexiones Anonymus. Sed addit tantum notulam, in qua obſervandum vult, quod Chryſoſtomus in hoc ipſo loco vtitur eodem quo Queſnellius exemplo, nempè Eunuchi, ad hortandum fideles, nè a lectione Sacræ Scripturæ abſtineant ob eius obſcuritatem.

ANIMADVERSIONES.

1 VIdit proculdubio in hac ſui Queſnellij propoſitione Anonymus intolerandam abſurditatem; vtque eam vel quomodolibet vitaret, vel

ſalcem temperaret, adiunxit damnatæ, aliam eiuſdem authoris, quæ tamen, & cum intento illius, & cum priori repugnat, & aliàs totú ſibi quod comminiſcitur ex Chryſoſtomo patrocinium evaneſcit.

2 Etenim quod quiſque debeat, & cuique liceat proprio ſpiritu ſibi eruere ſenſus ſacrarum Litterarum, id omnibus ac ſingulis interius diſpenſante gratia Spiritus Sancti, etiam vbi obſcuriſsima plurima, & intellectu difficillima in eis occurrunt, error, & origo hæreſum Lutheri fuit; ad quem ſtabiliendum oportuit permittere, & ſuadere omnibus earumdem aſsiduam lectionem, atque ad id neceſſum erat, & a Lutheranis ſtatutum, quod tota Biblia in cuiuſcumque gentis, & nationum propria lingua verſa, & vulgata haberetur.

3 Ex hinc ſolemne Lutheranis dogma eſt, quod omnes laici etiam, & cuiuſcumque ſortis homines, ſibi ius vendicent ſcrutandi, & intelligendi Scripturam, cuius obſcuritas, aut profunditas, non ſit illis ratio diſpenſandi ſe ab eius lectione, neque præſtolandi interpretationem ab Eccleſia, ſeu ab illius Capite viſibili; ſed ſinguli ſibi privatim ſint diſpenſatores myſteriorum Dei.

4 Hoc perverſiſsimum dogma ſtatim ſe offert aſſertum præfata propoſitione Queſnellij, eadem, ni fallor, inevitabili conſequentia, qua neceſſariò colligitur Bibliam Sacram verti debere in omnium linguas, ſi ſemel proponatur ab omnibus legenda. Nam & hoc ipſo ſuppoſito, ac toties à Queſnellio ſtabilito, æquè neceſſarium infertur, quod omnes eam legentes & meditantes, eius ſenſus, aut rectè, aut ſiniſtrè, percipiant, & intelligant.

5 Id quippe omninò neceſſarium eſt: nam quo ingenio, qua vi, quo modo fieri poteſt, vt homo litteras noſcens, atque libro ſibi materno idiomate loquenti incumbens, nec benè, nec malè illum intelligat, ac nihil penitus ex eo percipiat? An hic fortaſis verum erit illud, quod videntes non videant, & audientes non audiant? Non equidèm. Nam etiam ſi obcæcatione, ſeu vitio videntis & audientis, videri & audiri poſsit quod videndum, & audiendum non eſt; impoſsibile tamen eſt, quod nihil prorſus videat, qui videt; nihil omninò audiat, qui audit. Dum igitur affirmatur, quod neque obſcuritas, & altitudo Verbi Dei, eſt lu-

cta

cis ratio diſpenſandi ſeipſos ab eius lectione, intenta à Luthero dogmata, non tam inſinuantur, quam irrefragabili illatione aſſeruntur.

6 Vt non ſic errantem ſuum Queſnellium Anonymus repreſentet, ex ipſo ſubiungit, quod ingens præſumptio eſt intendere Verbum Dei proprio ſpiritu & abſque auxilio, ſeu adiutorio Doctorum Eccleſiæ intelligere. Optime quidem. Verum liceat & nobis, ex repugnante complexione vtriuſque propoſitionis, ſequentes alias veriſsimas, & manifeſtè collectas enuntiare.

7 *Ingens præſumptio eſt laicos hortari, imò & Religione compellere, ad continuam lectionem Scripturæ, cuius particularem intelligentiam ſi habeant, præſumptio eſt.* Item: *Ingens præſumptio, quin & ridicula antiſtaſis eſt, velle quod laici aſsiduè Scripturam legant, & ſimul nolle quod eam proprio ſpiritu, ſeu rectè, ſeu pravè, intelligant.* Item: *Ingens præſumptio eſt, propugnare quod obſcuritas ſancta Verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſeipſos ab eius lectione, & ſimul quod eadem obſcuritas eſt illis ratio, vt ſe ipſos impoſsibilitèr contineant ab eius perceptione,* Item: *Ingens præſumptio eſt, obligare laicos vt cum Sacram Bibliam continuo legerint, ſuſpenſo proprio iudicio, teneantur Doctores Eccleſiæ adire, & innumera commentaria ſimilitèr ſtudere, laici cum ſint, vt tutò valeant ſenſus, & myſteria illius intelligere.* Ac tandem vt alia omittam: *Ingens præſumptio eſt hæc omnia, & ſingula, petere, & ſpectare à laicis.*

8 Tot, atque adeo pugnantia aſſerta colliguntur ex duabus illis, & nunquam cohærentibus propoſitionibus Queſnellij. Nec mirum, nam velle vtramque conciliare, perinde eſt, ac velle, Catholicum cum Lutherano componere. At quid exindè niſi chimæra? Ergo infœlici prorſus labore tentat Anonymus prioris errorem, poſterioris lenimento, vel dedicere, vel temperare.

9 Cui nec ſuppetias fert malè commodatus Chryſoſtomus, nam per verba ex ipſo allata, aut reprobatur poſtrema propoſitio Queſnellij, aut prima, & iuſte damnata, non ſuffulcitur. Non enim ait ibi Chryſoſtomus, quod laici, & illiterati non præſumant intelligere quæ legunt, nec iubet eos ſuſpendere perceptionem, & iudicium, vſque dum à Doctoribus Ec-

cle-

cleſiæ edoceantur. Quinimo ſupponens, *non poſſe fieri ut omnia ex æquo ignorent*, aſſerenſque, quod *per gratiam Spiritus Sancti fit, ut omnibus ſint facilia conſpectu ea quæ in eis libris dicuntur*, ſatis innuit, prædictos non egere explicatione Doctorum ad ea intelligenda, quæ vult ab eiſdem legenda.

10 Vnde vnum ex his neceſſariò concluditur, videlicèt, vel quod Chryſoſtomus allegato teſtimonio non ſuffragatur propoſitioni damnatæ; neque intendit, vt in ea dicitur, quod laici debeant ſine vlla diſpenſatione totam Scripturam legere, quod mihi veriſsimum eſt, & mox aparebit, vel quod eodem ipſo teſtimonio manifeſte repellit poſtremam ex Queſnellio propoſitionem adiunctam, quod re ipſa pluſquam falſum eſt.

11 Antequam veritatem prioris partis iſtius dilemmatis oſtendam, patiantur quæſo Anonymus & Queſnelliſtæ redargui in hunc modum. Ita legenda, & intelligenda eſt à laicis omnibus etiam idiotis, Scriptura, vei in præfato teſtimonio docet Chryſoſtomus, aſt ibi nequaquam docet, ne præſumant eam intelligere ſine adiutorio Doctorum Eccleſiæ, quod aliàs propugnat Queſnellius; imò S.D. videtur ſignificare, quod inexpectato illorum iudicio, ad eam proprio ſpiritu intelligendam ſe accomodent, quia, inquit, *omnibus facilia conſpectu erunt ea quæ in eis libris dicuntur*: ergo allato teſtimonio reprobat Chryſoſtomus, aut ſaltem non approbat, propoſitionem Queſnelij damnatæ per Anonymum additam.

12 Conſequens iſtud, tametſi recte deductum, cenſendum eſt falſum ob reverentiam Chryſoſtomi. Attamen vera, & vrgentiſsima eſt exinde adverſus Queſnelliſtas ſequens conſequutio & reflexio. Quamvis Chryſoſtomus videatur adeo perſpicuè affirmare, quod laici, etiam idiotæ, poſſunt impunè, & abſque præſumptionis culpa ſenſus Sanctæ Scripturæ quam legunt, privatim ebibere, nihilominus Queſnellio liber, ac licet, & meritò, in hoc ab eius ſententia diſcedere, & ex adverſo affirmare, quod ingens laicorum præſumptio foret, ſi intenderent poſſe per ſemetipſos Scripturam intelligere: proptereaque expectare & conſulere debent expoſitiones Doctorum Eccleſiæ. Ita ille, & merito inquam, nè Lutheranum dogma ſtatuere

vi-

videretur. Sed cum idem Queſnellius propugnat legendam eſſe à laicis, & ſine vlla excuſatione Scripturam, quia id ſibi videtur docere & hortari Chyſoſtomus, cur nobis, & Catholicis omnibus, non ſimilitèr liceat huic aſſerto reſtagari, illudque penitus abhorrere, quia exiſtimamus, vt re ipſa eſt, Lutheranorum eſſe? An nè nobis tantum, & non Queſnellio, piaculum erit à Chryſoſtomo recedere?

13 Sed neque in vno, nec in alio inſimulandus Lutheraniſmi eſt Chryſoſtomus, quamvis Lutherus, & Queſnellius de ſuo favore glorientur. Neque enim S. Doctor reprobat cum Luthero, quod in ſecunda propoſitione Queſnelij enunciatur: neque approbat cum Queſnellio, quod in priori Lutherana, & damnata ſtabilitur. Non enim ita accipienda ſunt eius verba in eo Serm. de Lazaro, vt eis velit ſerio omnes ſuos auditores adhortari ad lectionem totius Sacræ Scripturæ, ſed ſolummodo ad earum partium quæ à ſingulis pro cuiuſque captu percipi poterant.

14 Idque non obſcurè colligitur, cùm ex eo quia inquit, *quod omnibus erunt facilia conſpectu*; nam id de omnibus in Scriptura contentis minimè dici queunt; tùm, quia cum nec iubeat, nec moneat conſulendos vnquam Eccleſiæ DD. ad rectum ſenſum Sacrorum Librorum explorandum, ſed potius ſignificet illum poſſe optimè ab vnoquoque comprehendi, exinde colligitur non intendiſſe, quod integram Scripturam omnes æque legerent, ſed duntaxat, partes, aut portiunculas illas quæ accommoda quadam diſtributiones, ſingulis aptas, & vtiles eſſe poterant.

15 Et nè voluntaria exiſtimetur hæc Chryſoſtomi explicatio, ea ſatis probatur, eruditi Hiſpani Ferdinandi Velloſillo ſententia, in ſuis animadverſionibus (quas libuit ipſi appellare advertentias) in Chryſoſtomum, quæque adeo neceſſariæ viſæ ſunt ad eius mentem longè à ſenſu hæreticorum, qui de illius patrocinio gloriantur, aſſequendam, vt ad calcem ſexti Tomi operum S. D. ex editione Antuerpiana anni 1614. excuſæ, adderentur.

16 In eis igitur hæc ad rem noſtram habet. *Quod autem ait* (Chryſoſtomus) *Divinas Scripturas ſic eſſe perſpicuas, vt à quovis intelligi queant..... referenda ſunt ad prima rerum credendarum* *Advert. in 2 tom. quæſ. 21.*

prin-

principia, & præcipua benè vivendi præcepta cognitu facilia, ut ſunt morales ſententiæ, & ſacra quædam hiſtoriæ formandis moribus utiles: de his ergo, adhortationes Chryſoſtomi intelligendæ ſunt. Hæc ille, qui paulo antea exponens Chryſoſtomum dicentem in eod. Serm. de Lazaro, *neminem poſſe ſalvari ſine lectione Sacræ Scripturæ,* inquit; *credendum eſt, eum per lectionem Sacram intellexiſſe præcepta Decalogi, & ſymbolum, quibus prorſus ignoratis, certum eſt neminem conſequi vitam æternam.* Ad iſta, atque adeo pauca, reſtringit laudatus Vellosillo lectionem à Chryſoſtomo omnibus iniunctam.

17 Quod ſi quis adhuc contendat clariora eſſe verba Chryſoſtomi, quam ut hanc intelligentiam queant ſuſtinere. Quiſquis ita urgeat, ſi aliàs reverenter de Chryſoſtomo, ac ſimul catholicè ſentiat, contentus debet eſſe generali illa explanatione
Numer. 3. nuper à nobis ex Bellarmino adhibita, quod nempè in his concionibus, per amplificationem tantum, prædicta, & ſimilia protulit Chryſoſtomus. *Pro cuius defenſione,* ita ibi Vellosillo. *Concionatorum verba non ſemper eſſe eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt: multa enim per hyperbolem ſæpè enuntiant.. ... Hoc & Chryſoſtomo contigit potiſsimum de hoc argumento loquenti .... Deſiderabat omnes, ſi fieri poſſet, eſſe Theologos, & Præceptores: ſicut olim Moſes dicebat: quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det ei Dominus ſpiritum ſuum?* Appoſitum profectò exemplum, ac mire cohærens cum ſupradictis ex Magno Gregorio.

18 Mitto quæ ſup. in animadv. ad 1. prop. attulimus ex eod. Chryſoſt. & alijs SS. PP. merito ponderantibus obſcuritatem, profunditatemque Sacrarum Litterarum, ne videlicet quivis, non alioqui bene inſtructus, & affectus, audeat eas ſcrutari. Omnia enim illa propoſitionem præſentem cenſura & damnatione digniſsimam oſtendunt. Quin & ipſæ propoſitiones, ſi attente conſiderentur, invicem ſe reprobant, & confodiunt. Ut enim familiare eſt nova dogmatizantibus, nunquam fieri poteſt ut ſibi bene conſtent: neque efficere valent, ut rectè cohæreant ea quibus ſimplicem, ideoque ſanam & inconcuſam, doctrinam pervertere tentant.

Ecce

19 Etenim ſatis, & abundè hucuſque oſtendimus has duas propoſitiones mutuo pugnantes. At ſi vltra iſtæ comparentur cum præcedentibus, contrarios apertè ſenſus præſeferre, ſtatim apparebit. In hac enim, ſola Scripturæ lectio laicis indiſpenſabilis aſſeritur: ſola inquam, quia in adiectis verbis iubentur, nè eam præſumant intelligere, inconſultis Doctoribus Eccleſiæ. In præcedenti autem affirmatur, *vtile eſſe, & neceſſarium omni tempore, omni loco, & omni generi perſonarum eius myſteria ſtudere, ac cognoſcere.* Item, quod *Chriſti os Chriſtianus obturat, quiſquis abripiens ab eorum manibus nouum Teſtamentum, ſeu clauſum illis tenens, ab eis auferi modum illud intelligendi.* Igitur aliud noctua ſonat, aliud cornix.

20 Verùm etiam ſi omittam quæ alibi allegata ex SS. PP. & hìc ſufficere adnotata arbitror, prætermittere nequeo S. Auguſtinum, qui opportunè, & ex inſtituto agens de *ſtudio ſapientiæ, & meditatione Legis Dei*, nè aliqua quæ ibi habet Queſnelliſtæ in ſuum ſenſum, vt aſſolent, detorqueant, preſtat quæ ſequuntur audire. *Ideo*, inquit, *fratres chariſſimi quicumque ex vobis lectiones ſacras legere, & intelligere poſſunt, in his ſtudium impendant ..... Qui verò ſenſum locutionis ſacræ ex lectione non poſſunt percipere, attentius audiant interpretantem, vt recipiant ſaltem inde ædificationem.* Qui igitur percipere nequeunt ſenſum Scripturæ ob eius obſcuritatem, ſufficientem rationem ſe diſpenſandi ab eius lectione habent, vt qui nullam ex ea ædificationem recipere poſſunt. Imò potius ſe exponentes, ſi legerent quæ non intelligunt, periculo depravationis illius, & propriæ perverſionis, hoc ipſo ab ea lectione diſpenſati cenſentur, etiam ſi de alia lex eſſet, aut præceptum, quod aliàs nullibi extat.

Serm. 1. in Fer. 6. poſt Dom. Paſ.

21 Nec obſtat exemplum Eunuchi Reginæ Candacis in notula Anonymi iterum reproductum. Iam quippè diximus, quot, & quam ridicula ex eo colligi poterant: & cum aliunde res illa tot miraculis peracta fuerit, conſtat iam etiam ex Magno Gregorio, quod *miracula in exemplum operationis non ſunt trahenda.*

22 Fuit enim ſingularis providentia Dei ad converſionem illius Æthiopis, quod tunc in manibus haberet, le-

geretque librum Iſaiæ, quem non intelligebat. Fuitque etiam, vt ſatis innuit Hieronymus ſtatim allegandus, quædam illius veluti obiurgatio, illud Philippi, *putas ne intelligis quæ legis?* Ac ſi diceret, cur, aut quarè legis quæ non intelligis? Veluti denotans reprehenſione dignos, qui Sacras Litteras, quas non intelligunt, legunt. Potius ergo obiurgandi, qui docent legendas indiſpenſabiliter, ab his etiam quibus illarum propriam intelligentiam alias interdicunt.

23 Quod autem vnicè ac rectè ex toto iſto inuitato, & mirabili euentu colligitur, eſt, non eſſe conceſſum, aut poſsibile, quod homines laici, & ineruditi Sacram Scripturam ſine Doctore, & ſine Commentatore intelligant. Ob id enim miſſus ad Eunuchum Philippus. Ergo quemadmodum ineptè quis alios hortaretur vt legerent, quæ non intelligunt, ineptiſsimè etiam, audacterque affirmat Queſnellius, nec quia laici Scripturam non intelligunt, aut intelligere poſſunt, ideo ab eius lectione diſpenſari, vt non ſe diſpenſavit Eunuchus, cuius alloqui factum ita exponit Hieronymus: *Vt intelligeres*, inquit, *te in Scripturis Sanctis* Epiſt.103 *ſine prævio, & monſtrante ſemitam, non poſſe ingredi.* At qui legit, re ipſa ingreditur, neque vllus proprior eſt ingreſſus, quam lectio.

24 Quem ſi in Æthiope non reprehendit forſam Hieronymus, vel etiam ſi illum laudaret Chryſoſtomus, non propterea valet ſeriò proponi laicis omnibus imitandus. Ipſe namque Chryſoſtomus ibidem ait, non Philippum, non hominem, ſed Deum, vel Angelum in perſona Philippi veniſſe ad Eunuchum inſtruendum: *Miſit illi Deus*, inquit, *Doctorem illicò, verum non adeſt Philippus, ſed ſpiritus qui moverat Philippum, adeſt.* Vbi ſupr. Licebit nè propterea cuicumque laico Sacram Scripturam ex conſilio Queſnellij legenti, expectare tanto exemplo, & ſententia Chryſoſtomi, vt ad eum de ſenſu edocendum venirent Spiritus Sanctus, aut Angelus? Magna hæc quidem præſumptio foret, quam ſuperius exprobratam ab Auguſtino relinquimus.

25 Verba igitur illa totaſque eventus Eunuchi non ad exemplum imitandum, ſed per hyperbolem, & amplificationem prolata fuere à Chryſoſtomo: aliàs ſibi adverſarium haberet non ſolum

lum Hieronymum, ſed expreſsius Auguſtinum dicentem: *Et certè ſpadonem illum, qui Eſaiam Prophetam legens non intelligebat, neque Apoſtolus ad Angelum miſſit, nec per Angelum ei quod non intelligebat expoſitum, aut diuinitus mente ſine hominis miniſterio reuelatum eſt: ſed potius ſuggeſtione diuina miſſus eſt ad eum, ſeditque cum eo Philippus, qui nouerat Eſaiam Prophetam, eique humanis verbis, & lingua, quod in Scriptura illa rectum erat, aperuit.*

In Prol. ad lib. de Doctrin. Chriſtian.

LXXXV. PROPOSITIO COND.

Interdicere Chriſtianis Lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Euangelii, eſt interdicere vſum luminis filijs lucis, & facere vt patiantur ſpeciem quandam Excommunicationis.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

L'Eſcriture, & particulierement l'Euangile eſt noſtre lampe.... En interdire la lecture aux Chreſtiens, c'eſt interdire l'vſage de la lumiere, & leur faire ſouffrir vne eſpece d'Excommunication. *Luca 11. 33.*

Notat hic Anonymus, quod cum ex ſententia Irenæi proprium Chriſtiani ſit, nutrimentum de Sacra Scriptura, iuxta ſenſum Eccleſiæ accipere, idcirco Queſnellius ait, eſſe quandam Excommunicationem illi eius lectionem interdicere. *Lib. 5. cap. 20.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

SANCT. Bernardus. *Si tepidus es, & euomi iam formidas, non diſcedas ab eloquio Domini, & inflammabit te, quia eloquium eius ignitum valdè: quod ſi tenebras ignorantiæ plangis, diligentèr audi, quid loquatur in te Dominus Deus, & erit lucerna pedibus tuis Verbum Domini, & lumen ſemitis tuis.* *Serm. 24. de Diverſ.*

*** *** *** *** ***

ANIMADVERSIONES.

1 NULLAS ſupra hanc propoſitionem reflexiones facit Anonymus, & immeritò, debuerat namque illam cum præcedente conferre, inveniretque plane aſſertum in hac errorem Lutheri, quem in alia fruſtra, & inconſequenter declinare tentat. Manifeſtum itamque eſt, quod Evangelium non in verbis, ſed in ſenſu; non in cortice, ſed in medulla; non in littera, ſed in ſpiritu quem illa continet, lumen eſt illuminans omnem hominem, & nos filios lucis faciens: ergo interdicens aliquibus Chriſtianis ſolam Evangelij lectionem, vſumque tantum exterioris litteræ, & corticis, quod nos facimus, nè ſcilicèt indocti, & inſtabiles, quæ non intelligunt ad ſuam perditionem depravent, vt inquit D. Petrus, non propterea vſum luminis illis interdicit, aut vetat.

2 At vero qui Chriſtianis legentibus Evangelium omnino interdicit vſum medullæ, ſpiritus, ac ſenſuum illius, præſcribens nè vllam intelligentiam verborum quæ iubentur legere, hauriant, ſed eam quærere teneantur à Doctoribus Eccleſiæ, hic proculdubio, nempè Queſnellius Anonymo laudante, illis vſum luminis prohibet, facitque vt patiantur ſpeciem quandam excommunicationis, adeò iniuſtæ, vt ortæ à præcepto omnino tyrannico, præſcribente nimirum vt Verbum Dei legant, & ne quidquam intelligere audeant, vtque in lumine ſuo ne videant lumen.

3 Hæc apertè colliguntur facta reflexione ſupra vtramque propoſitionem ex mutua collatione illarum, ſuppoſito, aliàs principio à me aſſumpto, quod inconcuſum eſt, omnibus acceptum, ab Auguſtino ſæpiſſimè illuſtratum, præſertim libr. *de Spirit. & litt.* ad illud Apoſtoli, *littera occidit, ſpiritus autem vivificat*: cuius alioqui opportunum ex Evangelio exemplum alibi vidimus. Eſtque illud ab ipſo etiam Bernardo firmatum. *Serm. in Dom. 4. poſt Pent.*

4 Cuius aliàs teſtimonium ab Anonymo pro ſuo Queſnellio aductum, infidelem prorſus allegatorem convincit. Non enim ibi Bernardus agit de Verbo Dei ſcripto, ſeu de Scriptura Sacra; ſed

ſed de Verbo Dei minimè ſenſibili, ſeu de Deo interius tantum ad cor hominis loquente per ſalutares quas immittit cogitationes. *Quoties*, inquit, *ſalubris cogitatio in mente verſatur, Divinus ſine dubio ſpiritus eſt qui loquitur, aut per ſe ipſum ſanè, aut per Angelum ſuum.* *Vbi ſup.* Et poſteà: *Quanta ſolicitudine cogitatio ſalubris non alitèr quam Divinæ dignationis ſermo ſuſcipi debeat.* Cuius alioqui mirabiles effectus ità recenſet. *Sonans in auribus animæ vox divina, conturbat, terret, dijudicatque: ſed continuò ſi benè adverteris, vivificat, liqueſacit, caleſacit, illuminat, mundat.* Cum quibus aptè conſonat ſequens ſententia ex verbis ab Anonymo allegatis: *Diligentèr audi quid loquatur in te Dominus Deus.*

5 Non ita profectò ſonat, & cohæret, quod Anonymus gallice vertit, ſcilicèt: *Ecoutez ce que le Seigneur vous dira*: hæc enim non reſpondent illis: *Quid loquatur in te*, vt apertè liquet. Ergo infidelitèr prorſus allegat, vertit, & immutat verba Bernardi, vt nimirum loquentem de interiori Verbo Dei, de vſuque recto illuſtrationum divinarum, loqui faciat de exteriori, & ſcripto Verbo Dei, deque vſu luminis ſub tegumento litterarum latentis.

6 Verbum Dei, de quo Bernardus, vtpotè non ſcriptum, ſed duntaxat inſpiratum, nulla lectione, ſed interna tantum auditione vſui permittitur. Verbum autem Dei ſcriptum, ſeu Evangelium, eſt quo in præſenti vult Queſnellius vt omnes aſsidua lectione vtantur. Diverſus ergo vtriuſque luminis vſus. Non igitur bene, neque ad rem, vtitur ipſe Anonymus teſtimonio Bernardi: quin malignè eo abutitur ad confirmandam ſui Queſnellij propoſitionem.

7 Quæ tam longè abeſt vt à Sancto Doctore approbetur, vt qui loquens de quatuor gradibus, ſcilicèt, lectione, meditatione, oratione, & contemplatione, quibus anima ad Deum aſcendit, inquit: *Quid prodeſt lectione continua tempus occuppare ..... niſi ea etiam maſticando, & ruminando ſuccum eliciamus?* *In Scala Clauſ.* At Queſnellius interdicit Chriſtianis maſticare litteram, aut corticem, atque elicere privatim exindè ſuccum, iubetque à Doctoribus Eccleſiæ requirendum; cui & annuit

iſte

ipſe Bernardus alibi de ſe ipſo legente, & docente Evangelium, & de alijs ſolummodo audientibus, dicens: *Non poſſum fratres in hunc modum ſingula maſticare. Vos eſtote animalia műda, & ruminatia, vt fiat ſicut ſcriptum eſt; theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis.* Non ergo ſtatim coguntur ſpeciem aliquam excommunicationis, per hoc quod his quibus non competit maſticatio, interdicatur lectio, quæ ſine illa, non niſi ad occupandum inutiliter tempus,& forſam periculosè, prodeſt.

Serm. 1. in Feſt. Omn. SS.

8 Et quidem, ſi ita tanquam exccommunicati habendi ſunt qui prohibentur Sacram Scripturam legere; certè excommunicati quoque erunt, qui ex diſciplina ordinatiſsima Eccleſiæ prohibentur munera alijs iniuncta exercere. Excommunicati igitur erunt, qui in Eccleſia Scripturam, & Evangelium legere, aut prædicare nequeunt, qui Sacramenta conferre non poſſunt; atque ij etiam qui ad excommunicandum alios iuriſdictionem non habent. Quod qui diceret, & ridiculum quid, & Authori ſupra laudato planè repugnans aſſereret.

9 Qui igitur homines laicos, idiotas, ſæcularibus negotijs præpeditos, ac mundanis curis diſtentos, à lectione Sacræ Scripturæ excludit, tanquam ad hoc miniſterium ineptos, non idcircò eis vſum lucis interdicit, vtpotè qui ab Eccleſia, & eius Doctoribus, tamquam ab Angelis ſuperioribus, illuminari poſſunt: quo apto alias, & ordinatiſsimo modo, non communi, & ſterili lectione, verè, & optimè nutriuntur Chriſtiani, ac de Scriptura nutriri vult Irenæus in notula Anonymi allegatus.

10 Nec qui ita Chriſtianos nutrit, aut nutriendos docet, vllam excommunicationem ſuſtinere facit, alioqui iſtius flagitij reus deplorandus foret S. Cyrillus Alexandrinus dicens: *Omni virtute nitendum eſt, vt ab occupationibus ſæculi, & à mundanis actibus liberi, & ipſas etiam, ſi fieri poteſt, ſuperfluas ſodalium fabulas relinquentes, Verbo Dei operam demus, & in lege eius meditemur die, ac nocte.* Et cum ibi excludat totum ipſum Iſrael ab intelligentia rerum etiam hiſtoricarum, inquiens: *Talia quædam* (in Levitico *dicuntur, vt etiam illum ipſum carnalem Iſrael ab*

Lib. 4. in Levitic. Initio.

ab hiſtorica intelligentia penitus excludant : hoc ipſo totus ille populus iniuſta ſententia excommunicationis à Cyrillo lata innodatus eſſet, ſi Queſnellio, & Anonymo credimus.

)(o)(

LXXXIIJ. PROP. COND.

Eſt illuſio ſibi perſuadere quod notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & ortæ ſunt hæreſes.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Sur l' entretien de J. C. avèc la Samaritaine. C' eſt une illuſion de ſ' imaginer, que la connoiſſance des myſteres de la Religion, ne doive pas etre communiquee à ce ſexe par la lecture des libres ſaints, apres cet exemple de la confiance avèc la quelle Jeſus ſe manifeſte à cette femme. Ce n' eſt pas de la ſimplicitè des femmes, mais de la ſcience orgueilleuſe des hommes, qu' eſt venu le abus des Ecritures, & que ſon neès les hereſies. *Ioan. 4. 26.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

SANCT. Baſilius. *Quo circa quæ Chriſto per Virginitatis profeſſionem copulata eſt tanquam ſapientiæ ac Verbi Dei ſponſa, ſapiens ac prudens ſit neceſsè eſt, vt omni ſtultitia, & inſipientiæ nota, iugi divinarum rerum meditatione longius exploſa, ſapientiæ cui coniuncta eſt ornetur pulchritudine.....Deo Dei Verbo perpetua dilectione ſociari, cum eo colloqui, & in eius, die noctuque, lege meditari: & his quidem quæ ad ſponſum ducunt, lege ſcilicèt, & Evangelio: & ſi qua his conſona ſponſi decorem exponunt oblectari.* Ita ad litteram ex editione Pariſina anni 1618. Non ita forſam fideliter Anonymus teſtimonium gallicè allegat. *In lib. de Virginit.*

Idem. *Quod ſi autem de Divinis Scripturis deſumptam atte-* *Ep. 284. ad quand. Matron.*

attuleris conſolationem, neque mei, neque alius cuiuſquam alterius ratio deinceps habenda erit, qui tibi congrua deſignet, & ſuppeditet; cum ſatis conſilij tibi ſubminiſtraverit Sanctus Spiritus, & ad tuum commodum procurandum viam muniat, & manu te ducat.

Ep. 285. ad Eleuther. Idem. *Filiam nobiliſſimam per te ſalutamus, quam admonitam volo vt in meditatione verborum Domini perſeveret.*

REFLEXIONES ANONYMI.

SEntentia, & praxis S. Hieronymi quo ad lectionem Sanctæ Scripturæ reſpectu mulierum, adeo omnibus ſunt cognitæ, vt ſupervacaneum ſit eius teſtimonia allegare. Sola namque nomina Lætæ, eiuſque filiæ, Demetriadis, ac viduæ Furiæ, Sanctæ Paulæ, & cuiuſdam puellæ à Gaudentio educatæ, nondumque ſeptem attingentis annos, ſufficiant ad refricandam memoriam conſiliorum, omnium quæ de hac re Sanctus iſte Pater habet.

ANIMADVERSIONES.

1 ILluſum, an potius illuſorem cenſeam Queſnellium hac ſua propoſitione fœminis vel adblandientem, vel inſidiantem? Nam vtrumque verum ex iterato illo iudicio Salomonis: Prov. 5. 2. & 6. Cap. 9. 13. & 17. *Nè attendas fallaciæ mulieris.... vagi ſunt greſſus eius, & inveſtigabiles.* Et alibi: *Mulier ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens .... Vecordi locuta eſt, aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior.* Si ab his illuſus Queſnellius, miſerandus, ni culpandus foret: Ibid. 12. *Si autem illuſor, ſolus portabit malum.*

2 Nam cui ille perſuadebit, mulieres generatim, & indefinite loquendo, ſcilicèt omnes, occupatas eſſe debere in lectione Scripturarum, vt indè hauriant notitiam myſteriorum noſtræ Religionis? Id vecordi ſuadendum, & ab ipſis quibus aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior, quibus tamen opportunè Auguſtinus: *Ne hominibus ſub hac occaſione deceptis, ac deceptoribus.... aurem curioſam præbeatis ad incognita ſcienda,* Tract. 97 in Ioann.

cum

cum mentes invalidas habeantis ad vera, & falſa diiudicanda. Hæc mulieribus, & de Queſnellio, Anonymo, ac reliquis Queſnelliſtis dicta ſunto.

Ibid. 3 Idem rurſus, & explicatius. *Cavete*, inquit, *timendo, & orando ne irruatis in illud ænigma Salomonis, vbi mulier inſipiens, & audax, inops panis effecta, convocat prætereuntes dicens: panes occultos libenter attingite, & aquæ furtivæ dulcedinem. Hæc enim mulier vanitas eſt impiorum, cum ſint inſipientiſſimi aliquid ſe ſcire opinantium, ſicut de iſta muliere dictum eſt. Quæ cum ſit inops panis, promittit panes, id eſt, cum ſit ignara veritatis, occultos tamen panes promittit, quos tamen dicit libenter attingi, & aquæ furtivæ dulcedinem, vt ea ſcilicet libentius, & dulcius audiantur, & agantur, quæ palam in Eccleſia dici, credique prohibentur.* Nemo prorſus ignorat quanto ſtudio Paulus prohibeat, quod mulieres doceant, & in Eccleſia loquantur, iubet vt taceant, & in ſilentio diſcant, atque viros ſuos (non quidem Scripturas) interrogent: de quo plura ad rem Patres, & Interpretes eius loca exponentes, S. maxime Ambroſius videndus ſi placet.

1. ad Corinth. c. 14. 1. ad Timoth. 2.

4 Adhuc tamen audiendus Auguſtinus qui ad illud Pauli, *ſapientiam loquimur inter perfectos*, exponens qui ſint perfecti, ait: *Qui per habitum exercitatos habent ſenſus ad ſeparandum bonum à malo: hoc verò quæ invalida, & inexercitata mente non poſſunt, profectò niſi fidei quodam lacte teneantur, & inviſibilia quæ non vident, & intelligibilia quæ nondum intelligunt credant, facilè ad vanas, & ſacrilegas fabulas promiſſione ſcientiæ ducuntur.* Aut ergo mulierum ingenia non invalida, non inexercitata habenda erunt, aut dum ipſis Sacra Scriptura familiaris deſideratur, ſui ingenij facilitate, & mobilitate, quia *vagi ſunt greſſus earum*, in errores ſacrilegos ducentur. Tract. 98 in Ioann.

5 Et quidni? Aiente eodem Auguſtino: *Quid quod mulier hæc inſipiens, & audax, ſub Chriſtiano vocabulo ſceleſtas hæreſes condidit, tot nephandas fabulas finxit?* Ita planè: quia fœminæ ait Hilarius Diaconus: *Cupidæ ſunt diſcendi, cum iudicium non habeant probandi.* Nec minus ad hæc pericula ducit earumdem naturalis curioſitas, vnde, & illis prædicta cupiditas. propterea que optimè Bernardus Sororem ſuam, de

Vbi primo

Ad c. 1. Epiſt. ad Timoth. 2.

quæ poſtea) alloquens, ne ſit in inveſtigando curioſa admonet, dicens: *Curioſitas*
Lib. de modo bene Viv. Ser. 54.
damnoſa peritia eſt, ad hæreſim provocat, in fabulas ſacrilegas præcipitat mentem. En igitur quod non ex ſola hominum ſuperbia, ſed etiam ex nimia facilitate, & curioſitate fœminis congenita, oriuntur, & Scripturarum abuſus, & hæreſes.

6 Et quidem non poſſum me continere, quin hic cum Quinctino allegato à Jacobo Pamellio ſequentia, & digna prorſus obſervatione exſcribam. *Christiane Lector,*
Advers. In libr. de præſcrip.
ſi quid unquam certò credidiſti, certò certius hoc unum credito: quæcumque modo ſit, aut olim fuerit hæreſis .... in ea fuit, & eſt dux fœmina facti. Nulla eſt unquam, quæ ſuas Helenas, & Philumenas, non habeat. Et heu! Helenæ iſtæ miſeram modo Galliam noſtram complere ſatagunt. Imò compleverunt iſtis neſcio quibus barbatulis Gnoſticis in gynæceo quidem prædicantibus ſuis, ut appellant, ad populum verò ſecretariorum nomine tectis.

7 Quas ut depingat proprijs lineamentis, videtur ea delumpſiſſe ex ænigmatica muliere Salomonis, addens: *Sunt inſuper, & curioſæ, loquaces, & garrulæ, videlicet, loquentes quæ non oportet, quas Tertullianus propriè nominat hic Procaces.* Si tamen ſcire deſideras vndè illis tanta procacitas, & garrulitas? Audi rurſus dicentem: *Ab anno Domini 1521. quo paſſim Biblia Sacra prophanari cœpit vernaculis populorum linguis, adeò quoque mulieres inceperunt pro fuſis, & collo theologari, ut inventæ ſint quæ de Scriptis Pauli themata colligerent, de quibus eſſent illæ paratæ publicè quibuſvis diſceptantibus, & in quibuſvis Scholis reſpondere.* En cur, & quomodo, a nimia fœminarum curioſitate, à facilitate, à loquacitate, ortæ hæreſes, & errores, vt pudeat Queſnellium, quod velit tantum malum, probata, & commendata cauſa, vel denuò in ipſa Gallia inſtaurare, vel amplius fovere.

8 Pudeatque ſimilitèr, & Anonymum, quod intenderit doctrinam tam pernicioſam defendere, vindicare, quin & ſacrare authoritate S. Baſilij: cuius teſtimonia importunè, & infideliter adducta, imò mendosè tranſlata, & turpiter adulterata, nefarium ſui conductoris conſilium vnicè manifeſtum reddunt, revincuntque.

In-

9 Infidelitas, & mendacium in translatione, aut verſione gallica, ex eo evincitur, quod Baſilius in priori loco, nec verbum habet de lectione Scripturæ, aut veteris, & novi Teſtamenti, qua delectari debeat ſponſa. Id tantum dicit, quod illa curet *Deo Dei Verbo perpetua dilectione ſociari. In eius die noctuque lege meditari. Lege, & Evangelio oblectari.* Quæ omnia vt fiant, opus non eſt *lectione*, quam Anonymus comminiſcitur; nec Græco verbo, verbum iſtud reſpondet. Cui non ſolum hic, ſed in vltimo teſtimonio de filia Eleutheriæ placuit, vt & alibi, pro *meditatione*, legere, & exſcribere *lectionem*: ibi enim iſta: *Quam admonitam volo, vt in meditatione Verborum Domini perſeveret.*

10 Turpius adhuc adulterat ſecundum teſtimonium ex epiſtola ad Matronam. Totam namque illius ſententiam pervertit, vt ad pravum Queſnellij ſenſum accommodet. Non enim inquit Baſilius, quod ſi Matrona quærat in Divinis Scripturis conſolationem, ibi Spiritus S. ſubminiſtrabit illi conſilia neceſſaria, viam muniet, manu ducet. Ita Anonymus ſua gallica verſione: quæ apertè ſonant, quod Matrona legente, Spiritus S. intus de ſenſu edocebit illam. Qua ſententia ſi Queſnellius defenditur, ipſe, & Anonymus plane redarguuntur, & quod amplius peiuſque eſt, Lutheranorum dogma firmatur. De quo ſupra.

11 Sed longè ab hoc ſenſu verba Baſilij aientis. *Cum ſatis conſilij tibi ſubminiſtraverit Sanctus Spiritus, & ad tuum commodum procurandum viam muniat, & manu te ducat.* Hæc namque ſignificant Matronam illam virtutibus, ac donis Spiritus S. antea præditam, & viam eiuſdem iam per ipſum munitam, ac manu ductam: quæ ſanè mulierem edoctam, inſtructam, Deo devotam, & ab ipſo illuſtratam, aut laudant, aut prædicant: his ergo dotibus ornatam, nihil mirum ſi ad quærendas ſibi in ſcripturis conſolationes hortetur. Non igitur quod intendit, & exprimit ſua generali propoſitione Queſnellius, docet allegatis teſtimonijs Baſilius.

12 Veruntamèn demus vltro, quod in his locis permittat, aut iubeat, quod fœminæ iſtæ Scripturam legant. An propterea omnibus eadem lectio ſimiliter permittenda? Minime. Neque enim, quia plures adhuc fœminæ

fuere, ac ſunt, quæ legentes Scripturas, eas depravarunt, & ſeipſas, alioſque, miſerè deceperunt, vt palam fit ex adducto teſtimonio Quinctini, non ideò tam triſti, ac multiplici exemplo audemus eandem lectionem in reliquis alijs fœminis, ſine vlla exceptione damnare. Ergo nec licere debet Anonymo, vel ſuo Queſnellio, quod generatim omnibus mulieribus permittant, ſuadeantque legendam Scripturam, quia aut Hieronymus, aut Baſilius teſtantur nonnullas fœminas illam cum fructu legiſſe.

13 Scimus namque aliquas, pauciſsimas tamen, extitiſſe, ac forſan exiſtere, quibus Deus ingenium virile donaverit, tantumque ſuæ ſapientiæ lumen, vt tuto potuerint Sacram Bibliam legere, difficillima quæque interpretari, & exindè myſteriorum Religionis notitiam, & ſibi proficuam, & alijs profuturam haurire. Ita planè Gertrudis in ſuis libris quos merito appellat, *Illuſtationes Divinæ pietatis*. Ita & in ſuis ſcriptis Thereſia a Ieſu: ſed an idcirco, aut reliquas omnes fœminas ſimiliter illuſtratas exiſtimavimus, aut nequaquam egentes ſimili illuſtratione, vt Sacrorum Librorum lectrices, & commentatrices ſint? Illuſus prorſus, ac illuſor qui id affirmet.

14 Iam qualis Baſilio fuerit, aut qualis eſſe voluerit, Virgo illa cui ſuadet iugem meditationem (non lectionem) in Lege Dei, & Evangelio, habes ex ipſo paulo ante dicentem: *Serenum igitur oportet eſſe virginis animum, ac divinis cogitationibus veluti ex quodam puriſſimo fonte ſtagnantem, tranquillum, pacificumque durare, vt neque irruentis extrinſecus per aures verbis agitetur, neque irruentibus per oculos formis à ſtatu illo ſuæ quietis fluctuans deviet*. En virginem tot dotibus ſanctitatis, puritatis, & virtutis conſtantiæ præditam. En Gertrudem. En Thereſiam.

Loco alleg. ex lib. de Virg.

15 Similiter Matrona illa ad quam ſcribit, fœmina erat virtuoſiſsima, quam generoſæ indolis, & animi à mundi tumultibus remoti, & Deo vnicè vacantis, ibi laudat. Talem igitur fœminam poterat Baſilius monere vt ſibi ſumeret de Scripturis conſolationem: nec tamen ideò hortatur vt ſolatium ſuum in aſsidua omnium Sacrorum Librorum lectione ponat.

Non

16 Non enim poterat mulieri committere totam Bibliam legendam, qui alibi docet dogmata, & myſteria obſcura Scripturæ ſilentio eſſe tractanda, neque efferenda ad aures vulgares, & populares. *Eſt autem ſilentij ſpecies*, inquit, *etiam obſcuritas qua vtitur Scriptura, intellectu difficilem redens dogmatum ſententiam.* Nec qui rurſus ait: *velut ingenij exercitamentum itidem, & in Scripturis ſtudio eſſe voluit obſcuritatem ad vtilitatem mentis humanæ .... Requiritur autem præter vitæ puritatem, aſsidua in Scripturis exercitatio, vt maieſtas, atque arcanum Divinorum Verborum perpetua meditatione animo imprimatur.* Qui ergo ita, & rectè de Scriptura ſentit, non potuit fœminæ etiam puritate vitæ excellenti, totam illam legendam conſulere.

Lib. de Spirit. S. cap.27.

Proœm. in Iſai.

17 Quod ſi Hieronymus allegatus ab Anonymo in ſuis reflexionibus, totos codices ſacros à filia Lætæ legendos voluit; obſervare etiam debuerat, qualem ibidem deſiderat Virginem ſic inſtruendam; quæ nimirum Græcè, ac Latinè erudita ſit, quæ SS. Cypriani opuſcula, Athanaſij Epiſtolas, & *Hilarij libros inoffenſo decurrat pede:* ac tandem, quæ *neſciat ſæculum, vivat Angelicè, ſit in carne ſine carne.*

Epiſt.7.

18 Similiter, & Demetrias quam ad legendam, & ediſcendam Scripturam adhortatur, fœmina erat, quæ, inquit, *indè capit, vbi alijs deſiſſe, perfectæ, conſummatæque virtutis eſt*: atque ex prudentia, & doctrina pollens, quæ adeò ſecurum reddebat Hieronymum de eius conſtantia in fide adverſus fraudulenta venena hæreticorum, vt dicat: *Certus ſum, quod ſi audieris non recipies.. ....Dabit tibi Deus in omnibus intellectum.* Tanta illi de eius merito, & fide, fides: imò de eiuſdem erga Sedem Apoſtolicam obedientia, & obſervantia, quam potius ex allegato Hieronymi loco adnotare, diſcere, & imitari debuerant Anonymus, & reliqui Queſnelliſtæ.

Epiſt.8.

19 Quia enim exurgebat tunc hæreſis polluens fidei ſimplicitatem, cuius Anaſtaſius Romanus tunc Pontifex, *ſtatim noxium percuſsit caput, & ſibillantia hydra ora compeſcuit*, vt hanc iterum pullulare cognovit Hieronymus, ita Demetriadem alloquitur: *Te pio charitatis affectu præmonendam puto, vt Sancti Innocentij, qui Apoſtolica Cathedra, & ſu-*

ſupradicti viri ſucceſſor, & filius eſt, teneat fidem, nec peregrinam quamvis tibi prudens, callidaque videaris, doctrinam recipias.

20 Preſtaret igitur, vt Queſnellius, Janſeniſtæque, deſumerent ſibi ex Hieronymo, obſervandumque fœminis conſulerent ſaluberrimum monitum iſtud, vt Sanctiſsimi Clementis qui Apoſtolicæ Cathedræ, & Anaſtaſij, atque Innocentij ſucceſſor, & filius eſt, tenerent fidem, & ne ab eo, totieſque damnatam Janſenij, & Queſnellij peregrinam doctrinam, iterum recipere, & inſtaurare ſatagerent.

21 Hoc illis ex Hieronymo ſalutare conſilium ſumendum, eiuſque obſervantia erat, & ipſis, & alijs fœminis, vt Demetriadi ſuadenda, non lectio continua Sacræ Scripturæ, huic Virgini aliàs permiſſa, quia prudens, quia callida, quia ſancta: quæ ſi reliquis omnibus mulieribus ſimiliter permitteretur, timendum, imò, & ſperandum de illis foret, quod ibidem Hyeronymus inquit: *Iuxta vetus eloquium, cum loqui neſciant, tacere non poſſunt, docentque Scripturas, quas non intelligunt*, vt nempè Gnoſticæ Galliarum, de quibus antea. Ibid.

22 Ad Furiam viduam ſcribens, monet etiam vt Scripturas legat, fateor: ſed adeo capax, & Hieronymo probata illa erat, cui ſtatim iniungat: *Poſt Scripturas Sanctas, Doctorum hominum tractatus lege*. Et cui in fine luculentiſsimos libros ſuos contra Jovinianum legendos committit. Epiſt. 10.

23 Quod attinet ad Paulam, quamvis Hieronymus conſolans illam ſuper obitu Bleſillæ, ad idque allegans teſtimonia Scripturæ, addat hæc: *idcirco dicimus, ne ignorantia Scripturarũ auctoritatem tibi præberet in luctu*: quo videtur ſignificare ipſam Sacræ Scripturæ ignorantem eſſe; nihilominus, quia fœmina iſta tanta alias ex dono Dei, & magiſterio Hieronymi, ſapientia, & prudentia pollebat, vt non dubitaverit S. Doctor eidem nuncupare ſuam ex Hebræo translationem Eſaiæ, tametſi ibi dicat: *Neque ignoro quanti laboris ſit Prophetas intelligere, nec facilè quempiam poſſe iudicare de interpretatione, niſi intellexerit ante quæ legerit*: his inquam non obſtantibus, lubens adhuc conſentiam Anonymo affirmanti Hieronymum permiſiſſe, & tradidiſſe Paulæ totam Bibliam legendam. Epiſt. 25. Præf. 117.

Ve-

Verùm, an propterea ille reliquas omnes fœminas, eiſdem virtutis, & ſapientiæ donis ditatas, tantoque magiſterio ſimiliter inſtructas habebit? Non equidem. Ergo neque eodem modo valentes tutò Scripturas legere, affirmare iure poteſt.

24 De Pacatula autem per Gaudentium inſtituenda, nihil mirum ſi ab iſto rogatus ſcripſerit, oportere, quod poſt ſeptennium (non antea) libros quoſdam Scripturæ memoria retinere inciperet, hæc ſcilicet puella, quæ virginitati perpetuæ deſtinata, Deo vnicè deſpoſanda, & tota mancipanda erat. An, & propterea fœminæ omnes erunt à primis annis eodem modo educandæ? Inepte igitur Anonymus hæc pro ſuo Queſnellio allegat, quæ tot exceptionibus abundant, vt in exemplum operationis communis non ſint trahenda. Quod ſi adhuc vult, ſingularibus ijs exemplis, vniverſalem illam propoſitionem in tuto à fulmine ponere, revincam & ego illum, alio opportuniori ex eodem Hieronymo mox allegando.

Epiſt. 12.

25 Interea tamen, vt ſentiat quid Hieronymus cenſuerit de ipſo Evangelio, quod conſulit memoriter diſcendum à Pacatula, audiat ipſum ſic ibi loquentem: *Evangelij intelligat maieſtatem, ad cuius fulgura omnis mortalium ſenſus hebetatur.* Tantæ ne Anonymo ſoliditatis ſunt quarumcumque mulierculărum ingeniola, vt valeant indemniter fulgura hæc excipere, & in mentibus ſuis radios adeò refulgentes admittere, vt tanquam ex clypeis aureis reſplendeant etiam montes ab eis? Apage.

26 Igitur ſi quæ vnquam fuit, aut fuerit fortaſis fœmina ſancta, docta, prudens, & à Deo ſpecialitèr illuſtrata, vel ſimul ab homine pio, & erudito laborioſè inſtituta: quod hæc legerit, aut legat Sacros Bibliæ Codices, per Baſilium, per Hieronymum liceat, quemadmodum, & forſam poſtea per Bernardum ſorori ſuæ licuit. Verùm quanta, aut qualis etiam hæc fœmina fuerit, habes ex eodem in prologo, vbi meliorem ſe ipſo, ideſt doctiorem, eam dicit, prudentiaque, ac ſanctitate excellentem laudat.

Lib. de modo bene Viv. Ser. 50.

27 Adhuc autem, & vt abundantiùs redarguam Anonymum, ſentio, quod neque iſti SS. PP. neque alij vnquam hortantur fœminas, etiam ſanctas, & doctas, vt per ſe ipſas Scripturam legant, eo nimirùm ſenſu, quo

pro-

profertur in propoſitione Queſnellij, & quem intendit confirmare Anonymus, vt videlicet, exinde immediatè, & propria inventione notitiam myſteriorum noſtræ Religionis deſumant. Credendum namque non eſt de eximia prudentia, & ſanctitate tantorum virorum, quod occupationem adeo periculoſam lubricis fęminarum ingenijs confiderent.

28 Sed exiſtimo ſuis admonitionibus voluiſſe, vel quod lectioni ſpirituali incumberent, & meditationi legis, & Verbi Dei, in libris alias aſceticis, tamquam in aptis commentariolis per ipſos, aut per alios compoſitis. Vel quod, cum Sacram Scripturam in ſe ipſa ab illis fœminis legendam aliquando monent; id ab eis faciendum ſupponunt, ea cautione, & reſtrictione intellectus, vt non alium ſenſum præſumerent indagare, nullum alium eruere, & probare, niſi quem ipſi SS. PP. vel alij interpretatum, aut probatum, ipſis traderent.

29 Primum eſt quod Baſilius in locis allegatis, quodque Bernardus in ſuo libro ad ſororem, obvio ſenſu voluiſſe indicant. Poſtremum autem clariſsimè colligitur ex Hieronymo, Epiſt. ad Lætam. Sed manifeſtius adhuc cõſtat ex eiuſdem præfatione in Eccleſiaſten ad Paulam, & Euſtochium, vbi rationem reddens ſui commentarij inquit: *Cum adhuc Romæ eſſem, & Eccleſiaſten Sanctæ Bleſillæ legerem, vt eam ad contemptum mundi huius provocarem ..... rogatum ab ea, vt in modum commentarioli obſcura quæque diſſererem, vt abſque me poſſet intelligere quæ legebat.*

30 En igitur Hieronymum legentem, en Bleſillam audientem. En illum interpretantem librum, alioqui non nimis obſcurum: en iſtam ab ore illius diſcentem, & non niſi ductam ſuo Commentario, intelligentem. Vtque ſcias quæ fœmina hæc fuerit, audi eundem Hieronymum mortuam illam ita deplorantem. *Quis*, inquit, *ſine ſingultibus tranſeat orandi inſtantiam, nitorem linguæ, memoriæ tenacitatem, acumen ingenij? Si Græcè loquentem audiſſes, latinè eam neſcire putares. Si in Romanum ſonum lingua ſe verterat, nihil omninò peregrini ſermo redolebat. Iam verò quod in Origine quoque illo Græcia tota miratur, in paucis, non dicam menſibus, ſed diebus, ita Hebrææ linguæ vicerat* *Epiſt. 25.*

erat difficultates, vt indiſcendis, canendiſque Pſalmis cum matre (Paula) *contenderet.*

31 Hæc erat Bleſilla quæ nec librum Eccleſiaſtes ſine Commentatore Hieronymo legere preſumebat. Eat ergo Anonymus, & ſingulari hoc exemplo alia à ſe allata metiatur, invenietque prorſus abſonam, & nullo ſuffragio dignam vniverſalem ſui Queſnellij propoſitionem, quæ mulieres omnes Debboras, & Prophetiſas *in contumeliam virorum*, vt olim aiebat Theodoretus, & in adulationem ipſarum, effingere, & æſtimare audet. *In lib. Iudic q. 14.*

LXXXII. PROP. COND.

Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Sur le 21. ou les Apotres diſent qu' on liſoit Moiſe dans chaque Ville, dans les Sinagogues le Jour du Sabat. *Le Dimanche qui à ſuccedè au Sabat, doit etre ſanctifie par des lectures de piete, & ſour tout des Saintes Ecreitures. C' eſt le lait du Chretien.... il eſt dangereux de l' en vouloir ſerrer.* *Act. 15.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

NICOLAUS I. *Sanè ſciendum eſt, quoniam idcirco in diebus feſtis ab opere mundano ceſſandum eſt, vt liberius ad Eccleſiam ire, Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus inſiſtere, eloquijs Divinis intendere, &c. poſſimus..... Quæ omnia ſi quis negligens orationi tantum vacare voluerit, & ad cæteras mundi vanitates licitos labores converterit, melius illi fuerat ipſo die, beati Apoſtoli Pauli præceptis obaudiens, laborare manibus ſuis, vt haberet vnde tribueret neceſſitatem patientibus.* *In Reſpõſ. ad Bulg. cap. 12.*

REFLEXIONES ANONYMI.

POſſent quam plura alia SS. Patrum ſupra hanc propoſitionem adduci. Sed ratio, aut veritas in ea incluſa, adeo conformis eſt primis notionibus Religionis, quod ipſi Iudæi, Rabbinique de ea nos inſtruerent, ſi neceſſarium foret. Quoniam cum Pagani ipſis opponerent, quod ſeptimam ſuæ vitæ partem in otio tranſigebant, ob ſanctificationem Sabbati: Philo ab Euſebio allegatus, ſimulque Rabbi Manaſſes, reſpondent, nequaquam ad otioſitatem ipſorum fuiſſe Sabbatum inſtitutum à Deo; ſed imò vt in eo occuparentur in lectione, & meditatione divinæ legis.

Præpar. Evãg lib. 8. cap. 2.

ANIMADVERSIONES.

1 PARUM Fuerat Queſnellio, & Sectatori Anonymo, dogmata Lutheranorum velle nobis ſuadere, niſi, & nos ad imitandos ritus Iudaicos hortarentur: quia enim Iudæi Sabbatum lectione legis ſanctificabant, contendunt & ipſi, Chriſtianos debere ſimiliter lectione Sacræ Scripturæ diem Dominicum ſanctificare. At nec SS.PP. id docent, neque id Nicolaus I. præſcripſit. Quin potiùs paulo antea laudat S. Gregorium Magnum, qui prohibentes aliquid operari in die Sabbati, Prædicatores Antichriſti appellat: *Qui veniens*, inquit, *diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri. Quia enim mori ſe, & reſurgere ſimulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum. Et quia judaizare populum compellit, vt exteriorem ritum legis revocet, & ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat, coli vult Sabbatum.* Similiter ergo revocantes in exemplum à Chriſtianis imitandum ritum Iudæorum, iſtorum Prædicatores iure meritò appellari poſſunt.

Ibi. c. 10.

Lib. 13. Epiſt. 1.

2 Vt vt res apud Iudæos fuerit; apud Chriſtianos tamen nullibi, & à nemine præſcriptum eſt, quod dies Dominicus debeat lectione Sacræ Scripturæ ab eis ſanctificari. Nec Gregorius ibi, nec Nicolaus vllum de lectione, adhuc indeterminata, verbum habent. Ille, ſolius orationis meminit dicens, in eis diebus *omnimodo orationi-*

nibus inſiſtendum. Quod & Nicolaus ad litteram exſcripſit. Iſte autem inter plurima pietatis opera, quæ in diebus feſtis à Chriſtianis agenda enumerat, nihil tamen de lectione Scripturæ, neque adhuc de ſola lectione dicit; vt hinc mireris audaciam, & confidentiam Anonymi allegantis in ſuffragium propoſitionis Queſnelij, teſtimonium, quod nec verbo ſaltèm, nec leviter eam attingit.

3 Verùm adhuc magis mirandum affectatum ſtudium, quo illud gallicè vertit, immutat, permutat, & corrumpit, vt, invitum licèt, ad ſenſum, & intentum Queſnellij trahat. Quod manifeſtum fiet, ſi illud totidem verbis à Nicolao prolatum exhibeamus: nam ſupra tantum latinum reddidimus, vt Anonymo placuit illud allegare.

4 Igitur hæc ſunt Nicolai ad Bulgaros verba: *Sanè ſciendum eſt, quoniam idcirco in diebus feſtis ab opere mundano ceſſandum eſt, vt liberiùs ad Eccleſiam ire, Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memorijs Sanctorum communicare, ad imitationem eorum aſſurgere, eloquijs divinis intendere, eleemoſynas indigentibus miniſtrare valeat Chriſtianus: quæ omnia ſiquis negligens orationi tantum, &c.* En integrum teſtimonium. Inquo, inter tot pietatis opera ſic diſtinctè, ſic accurate recenſita, nulla de Sacra Scriptura legenda, nec de lectione fit mentio.

5 Verùm perpende primò interruptam, & ſilentio præteritam ab Anonymo tot operum piorum narrationem, & ſeriem, quaſi puderet ipſum ea particulatim referre, non inventa, & relata interea lectione, quam deſiderabat. Vndè, & perpendè vlterius, quòd vt hanc tanquàm à Nicolao deſignatam intrudat, interpolatis alijs antecedentibus, & ſubſequentibus, hæc tantum affert: *Eloquijs divinis intendere*, ac ſi id perinde valeat, ac Sacram Scripturam legere; quo planè incautos decipere avet; quoniam inter plura, & propria ſignificata verbi *intendo*, hoc vnum quod eſt *legere*, aut improprium, aut purè violentum eſt. Proprie enim, quamvis non præcipuè, ſignificat *conſiderare, ſe applicare, & advertere attentè*: quæ omnia optimè conſtant, & per optimè reſpondent verbis, & in-

tentioni Nicolai, ſi diebus feſtis Chriſtianus Verbo Dei audiendo, ſeu concionibus, incunctanter incumbat. Prædicta ergo confirmatio propoſitionis Queſnellij ex Nicolao, nec Ludimagiſtris probari poteſt.

6 Dies feſtos ab omnibus Chriſtianis obſervari, & ſanctificari debere, lex ſanctiſsima Eccleſiæ eſt traditione, SS. PP. doctrina, atque vſu confirmata. De quo videndi Athanaſius, Gregorius Niſſenus, Cyrillus Hieroſol. Origenes, Euſebius Alexand. Gregorius Nazianz. Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus, atque Sacrorum Conciliorum Decretis roborata. Sed valdè notandum, quod in tot locis ad marginem allegatis, vbi mundana officia prohibentur, & ſpiritualia his diebus exercenda iniunguntur; nec Concilia, nec Patres praeſcribunt Chriſtianis, quod in lectione Sacræ Scripturæ occupentur: nec de hoc verbum vllum apud ipſos. Imò Tridentina Synnodus iniungit Epiſcopis, & Parochis, vt his diebus Sacras Scripturas, & Legem Divinam fidelibus annuntient, & quod iſti Parochiæ ſuæ interſint ad audiendum Verbum Dei. Quod ſi eiſdem eſſet vtilis, & congrua Scripturæ lectio, culpandum foret de illa ſilentium.

De Annuntiat. De Occurſu Domini, & Symeo. De Eod. Hom. 30. in div. Orat 3. in Iul. Hom. 66. ad pop. Lib. 1. de Virg. Epiſt. 29. ad Euſt. Lib. 3. ctr. Fauſt. Cōc. Lugdon apud Grat. de Conſecrat. diſt 3. Gangr. Can. 10. Trident. ſeſſ. 24. cap. 4.

7 Verùm rogo, ad quid futura vtilis lectio, quæ annuente Queſnellio, & approbante Anonymo, ſupponitur laicis legentibus penitus inutilis quia ſteriiis, vt quibus ipſi intelligentiam eorum quæ legunt, ſub pœna præſumptionis interdicunt. Profectò qui ſic infructuosè occupatum in die feſto Chriſtianum volunt, otioſum planè deſiderant, atque eo improbo, & periculoſo otio detentum, de quo non iam Rabbini, ſed Auguſtinus Iudæos arguit, vt hinc ſuo ipſo exemplo feriatur, & convincatur Anonymus. *Sabbatum,* inquit, *in præſenti tempore otio quodam, & languido, & fluxu, & luxurioſo celebrant Iudæi. Vacant enim ad nugas.* *Enarrat. in Pſalm. 91.*

8 Non igitur damnoſum, ſed vtiliſsimum eſt, Chriſtianum à lectione Scripturæ retrahere, in qua abſque intelligentia occupatus, in otio languido, & fluxu erit, nudas litteras percurrens, atque idcirco nugis tantum vacans. Si autem eas percipere, & ſenſus per ſemetipſum colligere audeat, præſumptuoſus erit, & periculo prævaricationis, & perverſionis expo-

poſitus. Ergo vtrobique damnum, ſola privatione lectionis vitandum.

9 Non tamen propterea eum ab omni lectione abſtinere volumus, ſed imò conſulimus, hortamurque, vt in his ſe exerceat libris, in queis aut vitæ Sanctorum narrantur, ac reprehenſione vitiorum, & commendatione virtutum animus ad Dei cultum, ac Legis Divinæ obſervantiam excitatur, & promovetur. Ij enim ſunt libri vtiliſsimi ineruditis laicis viris, ac fœminis, pro vniuſcuiuſque captu ſeligendi, neque enim omnes, & ſine vllo prorſus delectu ſingulis conveniunt, quorum lectione ad reliqua pietatis opera, quæ Nicolaus digna Chriſtianis ad ſanctificandos dies feſtos reputat, alacriores, & promptiores erunt.

10 Qua propter eruditus Cabaſutius inter plura quæ affert ex Sacris Concilijs, & Galliarum edictis vetanda, & præſcribenda plebi in die Dominico, & alijs feſtis, nullam alioqui lectionis Sacræ Scripturæ mentionem faciens, prædictos libros pios, & ſpirituales ab ea legendos deſignat, dicens. *Vt ſcilicèt Divinis Officijs intra Eccleſiam, atque prædicationibus, & catechiſmis, & piorum librorum lectionibus intereſſet, aut propoſitis publicè, aut privatim ſanctis meditationibus, vt ægrotantes etiam, aut alioqui afflictas perſonas viſitarent; vt etiam in privatis habitaculis preces vocales, & roſſaria recitarent.*

Noit. Eccleſ. ad ſec. 16. ad Concil. Rem. n. 5.

11 Hæc igitur eſt lectio; hæc ſunt exercitia fructuoſa, quæ laicos in die feſto occupare debent; quibus apertum infert damnum, ſuadetque otium, & periculum, quicumque eos ab ijs operibus retrahit, volens cum Queſnellio vt in lectione Sacræ Paginæ tempus, & operam perdant.

LXXXVI.

LXXXVI. PROPOSITIO COND.

Eripere ſimplici populo hoc ſolatium iungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt vſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

1.Corint. 14.16. Sur le verſet de Saint Paul : Que ſi vous ne lovez Dieu que du cœur, comment celui qui n'que du ſimple peuple repondrat il *Amen*, à la fin de votre action de graces, puis qu'il n'entend pas ce que vous dites. La lovange, & la priere publique dans l'Egliſe, eſt auſsi pour le ſimple peuple. *Lui ravir cette conſolation d'unir ſa voix à celle de toute l'Egliſſe, c'eſt vn vſage contraire à la pratique Apoſtolique, & au deſſein de Dieu.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Seſſ. 22. cap. 8. COncilium Tridentinum : *Et ſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, vt vulgari paſſim lingua celebraretur. Quamobrem retento vbique cuiuſque Eccleſiæ antiquo, & à Sancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum matre, & magiſtra probato ritu, ne oves Chriſti eſuriant, nevè parvuli panem petant, & non ſit qui frangat eis, mandat Sancta Synodus Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios ex ijs quæ in Miſſa leguntur aliquid exponant : atque inter cætera Sanctiſsimi huius ſacrificij, myſterium aliquod declarent diebus præſertim dominicis, & feſtis.*

REFLEXIONES ANONYMI.

EST Igitur Concilij Tridentini intentio, quod populo detur ſolatium intelligendi id, quod in Miſſa dicitur. Atque à fortiori ratione ſenſui illius conforme eſt, quod ſi-

de-

delibus explicentur aliæ partes officij divini, vt nimirum illi ex corde, & ſpiritu deprecentur, nè fame pereant, iuxta expreſsionem Concilij, non invenientes qui eis panem frangat. Vſſus habendi divina officia lingua vulgari expreſſa in horarum libris, & in alijs, eſt ita generalis, ac frequens in Gallia, vt niſi totus illius clerus damnetur, damnari nequeat hæc propoſitio Patris Queſnellij, quæ ab eo vſu non plurimum diſtat.

ANIMADVERSIONES.

1 VIX crederem quantum poſſit ignorantia, huiuſque pediſequa pertinacia, ſibi blandiri, niſi tam intempeſtiva allegatione Sacri Concilij Tridentini viderem, quod propoſitio nullo fulcimento innixa, quod cauſa omni iure orbata, tanto alias teſtimonio, quamvis omnino incommodo, immò ſenſu, & verbis ipſis penitus renuentibus, intenditur roborari. Quid enim facit ad hoc quod plebs debeat vocem ſuam cum cantoribus, aut Lectoribus divinorum officiorum in Eccleſia, vel Choro iungere; quod Concilium iubeat Parochis, vt per ſe ipſos, vel per alios, explicent adſtantibus in diebus feſtis ſacra Miſſæ myſteria? Sanè nihil ad chordam.

2 At maior adhúc, & nunquam toleranda audacia eſt, adducere Tridentinum ad confirmandam propoſitionem, quam ipſa S. Synodus anathemate percellit. Quod enim ſolatium habebit populus vocem ſuam voci Eccleſiæ iungens, cum divina myſteria, & officia celebrantur, ſi aliàs orationes iſtæ, & deprecationes non vulgari lingua, non alta voce; ſed latinè, ſed & ſubmiſsè dicantur? Certé nullum. Proptereaque Anonymus ait, intentionem Concilij in loco ab ipſo allegato eſſe, quod populo detur ſolatium intelligendi id quod in Miſſa dicitur: ad quod omninó neceſſarium eſt, quod Miſſa tota dicatur voce palam intelligibili, & in lingua populo nota, & vulgari.

3 Idque ipſum eſt, quod olim Lutherus auſus eſt effutire, vt plebeios, ac rudes homines ſibi conciliaret, quodque Lutherani colligi ſomniant ex Apoſtolo Paulo, & confirmatum volunt à Ss. Baſilio, & Chryſoſtomo. Quin & *1. Corint. 14. In lib. q. 278. Hom. 35.*

& ipſe Anonymus hoc planè intendit, laudans morem habendi in libris pijs, & manualibus, lingua vulgari expreſſas, Miſſæ Orationes, Pſalmos, aliaque, ac cenſet non poſſe præfatam propoſitionem Queſnellij damnari, niſi & vſus iſte ſimul damnetur. Quod ſi ad prædictum finem factæ ſunt illæ traslationes, quod earum vſus cum hac propoſitione damnetur, per me vtique liceat.

4 Verum audiat oportet Tridentinum ſui Queſnellij propoſitum damnans ſimul cum dogmate Lutheri his verbis: *Siquis dixerit Eccleſiæ Romanæ ritum quo ſummiſſa voce pars canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere.... Anathema ſit.* Prohibet igitur S. Synnodus, & ſub anathemate vetat, ne populus iungat vocem ſuam, voci celebrantis Sacroſancta altaris myſteria, præſertim dum verba canonis, & conſecrationis ſummiſsè pronunciat, & ne Miſſa lingua vulgari, quam ſolam populus intelligere poteſt, dicatur. Ergo ne propterea pijſsima Mater Eccleſia ſuis eripit filijs ſolatium? Quam crudelis, vel Queſnellio, vel Anonymo noverca erit, quæ parvulis eſurientibus, neque intimiora panis deſiderati myſteria, neque eiuſdem conſecrationem, fractionemque, atque totius Sacroſancti Sacrificij conſummationem, audienda, intelligenda, & voce filiorum peragenda permittit!

Seſſ. 22. Can. 9.

5 Aſt inquies. Benè eſt, quod iſta populo audienda, percipienda, & concitanda vetentur: verum magnum populo fidelium ſolatium eripit, qui ne iungat vocem ſuam voci ſaltem pſallentium, aut recitantium horas canonicas facit.

6 O! Quam miram ac devotam concinnitatem dignamque Divino cultui, templa ſacra reſonarent, ſi omnes in eis adſtantes audiremus ſimul loquentes noſtris linguis magnalia Dei. Atamen ſi Queſnellius, ſi Anonymus id deſiderant, oportet,vt antiquiſsimam ſubDamaſo Synnodum Laodicenam reprobent, ipſorum intentum his verbis damnantem: *Non oportere præter canonicos cantores, qui ſuggeſtum aſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Eccleſia.* Ergo ne,& hoc ſolatium ſimplici populo eripiendum? Itá planè.

Can. 15.

Sed

7 Sed hic miranda effrenata Queſnellij confidentia aſſerentis, adverſari praxi Apoſtolicæ, atque intentioni Dei, praxis iſta, & intentio Eccleſiæ ſuæ, his documentis, & Canonibus Conciliorum ſancita. At hoc ipſum eſt, quod olim, ac ſemper Lutherani dixere, & Novatores inculcant, videlicèt, fuiſſe Eccleſiæ praxim, & ad conſolationem fidelium opportunam, & cohærentem intentioni Dei, ab Apoſtolo etiam commendatam, & ab Auguſtino laudatam, quod populus adſtans Pſalmos in Eccleſia càneret lingua ſua, nēpè vernacula, & omnibus nota. Ita in confeſsione Uvitemberg. oblata Tridentino: *Auguſtinus ſcribit alicubi Ambroſium Epiſcopum Mediolaneſem inſtituiſſe, vt cætus cantaret Pſalmos quibus ſeſe mutuo in expectatione malorum conſolarentur .... Hic cantus, quia factus eſt lingua vulgo nota, & habuit pium vſum, commendatione digniſsimus erat.* En expreſſum Lutheranum dogma. *De Hor. Canon.*

8 Quod etiam, vt innumera huius rei teſtimonia omittam, hoc fuit potiſsimum negotium concertationis inſtitutæ in Anglia Catholicos inter, & Hæreticos initio Regni Eliſabethæ, vt noviſsimè teſtatur Larrey: vt hinc appareat, quam accepta ſit hæreticis propoſitio Queſnellij, quamquè grata eiuſdem ab Anonymo defenſio. *Hiſtor. Angl. tom. 6.*

9 Cui nullas ſuppetias ferunt, nec textus Pauli, nec Auguſtinus ab eis allegatus. Fuerit vtiquè olim vſus, tuncque laudandus, vt omnes in Eccleſijs particularibus, Pſalmos, & Hymnos canerent. Iam verò de hoc alitèr ab vniverſa Eccleſia determinatum, & Canonibus Conciliorum antiquis, ac modernis ſtatutum eſt. Iſta namque ad ritus pertinent, quos poteſt Eccleſia, vbi oportere viderit immutare: cum non de perſonis, quæ canere debent, ſed ſolummodò *de Hymnis, & Pſalmis canendis*, ait Auguſtinus, *& ipſius Domini, & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta.* *Epiſtol. 119. ad Ian. Concil. Tolet. 17. Can. 12.*

10 Habentes igitur ab vniverſa Eccleſia, de his qui canere debent, præcepta, & exempla, non ſanè piè, non Catholicè; ſed temerè, ſed ſchiſmatice eiuſdem conſuetudinem evertere molitur, qui novos, ſeu iam obſoletos, & alioqui particulares ritus introducere audet: quos etiam ſi alicubi obſervatos laudaverit aliquando Auguſtinus, hoc ipſo tamen quod nec

Concilijs, neque conſuetudine vniverſæ Eccleſiæ probantur, reſecandos putat, inquiens: *Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, neque in Concilijs Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorũ diverſis moribus innumerabiliter variantur .... ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo.*

11 Abeant ergo qui ſibi plaudunt de eo quod in libris pijs expreſſos habent lingua materna Pſalmos, & Hymnos, divinorumque Officia, vt ab omnibus legi, cantari, & intelligi poſsint: expediretque potius, vt populus cor, & intentionem menti, & intentioni Eccleſiæ, quam vocem voci, iungeret. Nec quia illa prædictas translationes alicubi, vel invita permittat, cenſendum eſt approbare. *Eccleſia Dei*, inquit ibi Auguſtinus, *inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat: & tamen quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.*

12 Varij fuere antiquitùs ritus canendi in Eccleſia, de quibus plura Baronius, & Spondanus. Fuitque etiam olim commune, & laicis, ſeu populo, Pſalmos alternatim, & Hymnos canere: non inficior. Verùm Eccleſia prudentiſsimé, vel ſaltèm propter vocum inconcinnitatem, & confuſionem, id paucis, aut ſolis Clericis reſervavit. Nec modo ritus iſte reprehendendus eſt, quia ille olim laudandus erat; alioqui plures quos hodiè Romana Eccleſia, & ex vetuſtioribus reformatos habet, præſertim circa adminiſtrationem Sacramentorum, celebrationem Miſſarum, liturgiaſque vituperandi forent: cum potius illi tanquam omnium aliarum Eccleſiarum matri, & Magiſtræ, & vt omnis erroris, aut ſchiſmatis ſuſpicio, vel ſpecies tollatur, reliquæ conformari debeant, vt ad rem, & ex multis Strabo docet. *De Rebus Eccleſ. cap. 25.*

13 Neque etiam propterea populo eripitur ſolatium vllum. Nam quod ex iocunditate canendi Dei laudes fideles habere poterant, ſát, & abundè compenſatur voluptate audiendi quas Clerus ritè modulatur, vt appoſitè Lactantius: *Si voluptas eſt audire cantus, & carmina, Dei laudes canere, & audire iocundum ſit. Hæc eſt voluptas vera, quæ comes, & ſocia virtutis eſt.* *Lib. 6. divin. inſt. cap. 21.*

14 Et hæc de Queſnellij pro-

propoſitionibus circa lectionem Sacræ Scripturæ ſufficiant, quas & anathemate dignisſimas, æquisſima cenſura inuſtas, & iniquisſima defenſione nunquam roboratas, ſatis, ni fallor, oſtendimus, vt quas nullis teſtimonijs SS. Patrum, ſi fideliter, ſi candidè allegentur, neque Anonymus confirmat, neque novus poſt ipſum Hexaplorum Author, & columnarum auctor corroborat, cuius ſimilima portenta nihil negotij poſt hac erit ex adverſo adductis convincere. Nam vterque ambo.

15 Verum poſt tam malè conductas ab Anonymo in favorem ſui Queſnellij SS. PP. authoritates, addit tantummo ſuæ cauſæ diffidens, quod circa lectionem Sacræ Scripturæ hæc duo diſtingui debent, ſcilicèt, & quod ad dogma pertinet, & quod ſpectat ad prudentiam. *Dogmatis*, inquit, *eſt quod lectio Scripturæ ſit communis omnibus.* Quod iterùm ex dictis à ſe, & ſummatim collectis ſuadere nititur.

16 *Prudentia verò*, ait, *eſt, non ſingulis, aut quibuſcumque integram ſcripturam permittere: ſed aliquibus ob ſuam particularem diſpoſitionem, non libros omnes in diſcriminatim, ſed aliquos tantùm deſignandos, & ab eis legendos, tradi debent. Interdicere autem generatim laicis, ac fœminis Scripturam Sacram, contradicit eidem Scripturæ, antiquis Pontificibus, atque omnibus SS. Patribus: eſtque velle in Galliam inducere regulas* Indicis, *eo conſilio, quod Eccleſiæ Gallicanæ libertates penitùs evertit.*

17 Ita ille præclarus dognatum menſor, ac diſtributor. An aut potiùs tutiuſque fidendum prudentiæ Anonymi, quam Sedis Apoſtolicæ? Prudentius né habendum iudicium illius, quam ſupremi Chriſti Vicarij? An & iſtud inter libertates Gallicanas eidem reponere liceat? Scelus. Non enim has, & quas comminiſcitur Anonymus, ſibi vendicat libertates Sanctisſima Eccleſia, Sedis Apoſtolicæ ſemper obſervantisſima, Paſtorum, Virorumque religione, pietate, doctrina inſignium, & olim, & modò pulcherrima ſponſa, & fœcundisſima mater: quæ & ſi renuerit recipere regulam IV. & aliàs Indicis, vt dimanantes à particularibus Congregationibus: attamen illæ, ac potisſimum IV. vt publicatæ à Summis Pontificibus Pio IV. & Clem. VIII. ex diſpoſitione Tridentini, omni ſunt obſervantia dignisſimæ. *Seſſ. 25.*

18 Veruntamen Anonymus libertatum ſpecioſo (an & invidioſo?) nomine, ac prætextu, ſe, & Queſnellium ſuum obtegere vult, vt lis litem pariat, & peculiarem controverſiam cauſam communem faciat. At benè eſt quod cum occulatiſsimis Gallis negotium agitur. Et vt cum Auguſtino loquar: *Concedamus iſta* (Anonymum) *ſenſiſſe, vt ille dicebat, qui non inveniebat aliud quod diceret ..... ad imperitorum illecebram quaſi magnum aliquid prædicaret.*

De morib Manich. cap. 11.

19 Tandem. Adverſus cuncta hæc, & impia Queſnellij dogmata quibus ſatagit ſuadere permittendam eſſe laicis, & imperitis, lectionem S. Scripturæ, plurima, & pulchra habet Caſsiodorus in lib. Divin. Inſtit. quem maximè legendum commendamus. Et ex quo modo ſat ſit illud allegare, cap. 15. *Meritò enim Patribus noſtris de hac re maxima cura fuit, ne tunicaDomini, quam truculentis militibus ſcindere non licuit, Lectoribus ſubiaceat, imperitis*, vide quam petulanti mendacio dicant Ianſeniſtæ contrarium abuſum placuiſſe SS. Patribus.

§. II.

§. II.

DE DISCIPLINA POENITENTIÆ;

LXXXVII. PROP. COND.

Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minùs, ſatisfacere Iuſtitiæ Dei antequam reconcilientur.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

C'eſt une conduite pleine de ſageſſe, de lumiere & de charité, de donner aux ames le tems de porter avec humilite, & ſentir l'etat du peche; de demander l'eſprit de penitence, & de contrition, & de commencer, au moins, à ſatisfaire à la Iuſtice de Dieu, avant que d'etre reconciliez. *Act.9.6.*

Notulam ſequentem adhibet Anonymus. *P. Queſnellius reflexionem hanc facit occaſione trium dierum, quos S. Paulus inter ſuam Converſionem, & Baptiſmum, in ieiunio, & oratione traduxit. Authores Bullæ nollent tamen, quod neque uno duntaxat die, illi abſolutio dilata foret.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Epiſt. 31. inter alias S. Cyp.

CLERUS Romanus. *Tantummodo operit vulnus, qui non ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem. Hoc non eſt curare, ſed ſi dicere verum volumus, occidere.* Ita in editione Coloniæ, anni 1617.

De lapſo.

S. Cyprianus. *Irrita, & falſa datur pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam.*

Lib. 1. de Pœnit. cap. 9.

S. Ambroſius. *Nonnulli ideò poſcunt pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare.*

REFLEXIONES ANONYMI.

VIs harum expreſſionum SS. PP. demonſtrat quanta circunſpectione locutus ſit P. Queſnellius, qui contentus extollere modum quem erga peccatores conſiliantur habendum, nulla tamen cenſura inſequitur modum oppoſitum. Quod adhuc minùs facit in propoſitione LXXXVIII. quoniam rem ipſam non niſi ex parte ſolius peccatoris reſpicit; cui proponit vt ſe intra diſpoſitiones humilitatis contineat, quemadmodum ſe continuerunt decem leproſi, qui à longè ſtantes non audebant accedere ad Ieſum-Chriſtum.

ANIMADVERSIONES.

1 VEra circunſpectio, & homine Chriſtiano, ac verè humili digna, erat, cum praxi quam his temporibus docet, & prudentiſſimè obſervat Eccleſia ſentire; quàm malle ipſam de laxatione antiqui rigoris reprehendere. Habet namque ipſa teſte Auguſtino omnem medicinam, & apud ſe quovis tempore exploratam ad ſanandas animas. Cum ea namque loquens inquit: *Proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis ſuis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat.* Quæ,

De morib. Eccl. cap. 30.

&

& iuxta ipſum, optimè cognoſcit, *quibus timor, quibus conſolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus diſciplina, quibus obiurgatio, quibus ſupplicium debeatur; oſtendens quemadmodum, & non omnibus omnia, & omnibus charitas, & nulli debeatur iniuria.*

2 Tantam, & tam diverſam de perſonis, morbis, remedijs, temporibuſque rationē, Eccleſia ſola habet, habendamque ſola docet ad curandum humanos animos, opus alioqui arduum iuxta eundem Auguſtinum: *Quod autem attinet*, inquit, *ad diſciplinam per quam ipſi animo ſanitas inſtauratur .... difficillima omnino res eſt.* Sed Queſnellio, & Anonymo facillima, vt qui in ipſa negatione, aut prolatatione remedij, quam tantopere extollunt, ſaluberrimum, & tutiſsimum remedium inveniunt. Mira profectò, & ineffabilis ars medendi, tot illa atque omnino diverſa continens ad varios diſſimileſque morbos animi, ſi Deo placet pellendos! Pro qua laudanda mirum adhuc quod non etiam allegent Auguſtinum dicentem: *Sunt verò alia quibus multimodi varijque morbi animarum, magna quadam, & propſus ineffabili ratione ſanantur.*

Ibi c. 17.

Ibi c. 28.

3 Nemo ſanè erit, vel mediocritèr in Hiſtoria Eccleſiaſtica verſatus, qui neſciat qualis olim fuerit diſciplina pœnitentiæ erga peccatores, & lapſos: quotque gradus pœnitentium Eccleſia diſtinctos habuerit: quibus, & ob quæ crimina, & quandiu durans illa publica imponebatur. Neque vna, & omnino conformis fuit ſemper de re iſta conſuetudo, aut praxis: diverſis namque temporibus, diverſi etiam Canones Conciliorum, ac Patrum inſtituti reperiuntur: & quandoque etiam invenitur temperata pœnitentia, quæ paulò ante viguerat, vt liquet ex Niſſeno. *Ad Letol. Can. 8.*

4 Alij namque ex his Canonibus prohibent omninò permitti vllam publicam pœnitentiam niſi ob publicum, & vulgatiſsimum crimen. Alij eam ſuſcipiendam voluere etiam ob crimina occulta. Alij innuunt publicæ pœnitentiæ adiungendam eſſe publicam delicti, etiam occulti, confeſsionem. Alij ſuſtinent ſufficere ſecretam penes vnum Sacerdotem exomologeſin. Alij Clericos criminoſos ad publicam pœnitentiam cum laicis obligatos, præſertim ante IV. ſæcu-

Carthag. 3. Can. 32. Ambroſ. lib. 1. de pænit. cap. 16. Concil. Tolet. 4. Can. 14. Leo M. Epiſtol. 138. apud Joa. Mor li. 4. de Pænit. cap. 12. Baſil. ad Amph. Can. 3.

Tertul. de Pudic. cap. 12. & 14. Concil. Arel. 1. Can. 14. Ex 1. Nicæno Can. 11. & 12. Gregor. Neocæſ. Can. 11.

ſæculum, volunt. Alij nequaquam pœnitentiæ adactos, ſed ab honoribus, & gradu Clericali tantùm depoſitos, aiunt. Alij tria tantum crimina, nempe infidelitatem, homicidium, & luxuriam, publica pœnitentia expianda dicunt. Alij crimen etiam falſi, ſeu in chartis, & ſcripturis, ſeu in falſis teſtificationibus, & calumnioſis accuſationibus. Alijque adhuc alia, addiderunt. Alij pœnitentium gradus tres duntaxat diſtinguunt, ſcilicet. *Auditorum, Subſtratorum, & Communicantium.* Alij quatuor, nimirum *Lugentium, Audientium, Proſtratorum, & Conſiſtentium*, ſine communione, deſignant. Alij tandem, vt plurima adhuc omittam, diverſimodè omninò, pœnitentibus loca, intra, vel iuxta Eccleſiam diſtribuunt.

5 Ut hinc manifeſtum fiat, quod per duodecim ſecula, quibus publicarum pœnitentiarum diſciplina viguit, nulla omnino conſtans, & vniformis extitit praxis ab Eccleſia communiter, & immutabilitèr recepta; ſeu quam illa non permiſſerit, vbi, & vt oportere exiſtimabat, mutari, inviolata ſemper fide, & religionis fundamento inconcuſſo, quia vt loquit Tertullianus: *Hac lege fidei manente, cætera iam diſciplinæ, & converſationis, admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicèt, & proficiente vſque in finem gratia Dei.*

Lib. De Virgin. vel. initio.

6 Hoc quod aliunde ſufficit ad commendandum modum quo erga peccatores pœnitentes ſe gerit Eccleſia; demonſtrat vlterius quam temere audeat Queſnellius eius praxim de quotidiana pœnitentium reconciliatione exprobrare, ac ſi modus quo illa vtitur, vacuus penitùs ſit ſapientia, lumine, & charitate; ſoluſque excogitatus à Queſnellio volente, aut novos Canones conſtituere, aut antiquos renovare, plenus his chariſmatibus ſit, ſcilicèt operante, & proficiente vſque in finem gratia Dei per ipſum, non per Eccleſiam, tametſi huic, non autem illi dictum ſit: ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

7 Ad hanc igitur petulantiam retundendam in promptu eſt duo demonſtrare, videlicèt, & quod modus à Queſnellio deſideratus, ſapientia, lumine, & charitate caret: & quod modus quem Eccleſia obſervat, his ſingulis dotibus, aut requiſitis, pollet. Utque vtrumque præſtem, id tantum premitten-

tendum duco, de quo mecum Queſnelliſtæ facilè conſentient, ſcilicèt, nos loqui de peccatoribus verè, & ex cordè pœnitentibus, ſeu accedentibus ad Sacramentum cum debita diſpoſitione, de qua Confeſſarius prudentem fidem, & exiſtimationem, ſuadentem ſibi ſpem vitæ corrigendæ, concipiat.

8 Qui igitur, ita verè de peccatis proprijs dolenti, eaque, & eorum occaſiones deteſtanti; abſolutionem, & reconciliationem differret, eo etiam motivo, vt onus, & ſtatum peccati ad tempus cum humilitate portaret, ac ſentiret; vtque peteret ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, inciperetque ad minùs ſatisfacere iuſtitiæ Dei ante reconciliationem, vt inquit Queſnellius: qui, inquam, ita erga illum ſe gereret, inſipiens omninò foret, atque adeo ab omni ſapientia longè diſtans, ac ille cui Bos, aut Aſinus in puteum Sabbato caderet, expectaretque ob legem Sabbati non violandam, diem ſequentem ad illum è puteo extrahendum, & à naufragio liberandum.

9 Hoc namque exemplo vtitur Sapientia ipſa incarnata, quæ totius ſapientiæ fons, & exemplar eſt, contra eos qui tacitè exprobrabant ipſi, quod in die Sabbati hydropicum curaret. Et notandum, quod Auguſtinus ait hydropicum iſtum ſignificare *divitem avarum, malè altoqui vtentem divitijs*, propterea que magnū quendam peccatorem, quem nihilominùs continuò curavit Chriſtus, nolens expectare, vt diutius onus hydropis, & ſtatum peccati portaret. Tantum ergo Sapientiæ exemplum debemus, & nos, ſi ſapientes eſſe volumus, imitari, nam quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. *Luc. cap. 14. 5.* *Lib. 2. qq. Evang.*

10 Nec minùs quàm ſapientiæ expers eſt luminis prudentiæ, modus oppoſitus. Nam quæ prudentia eſſe poteſt, hominem onere peccati gravatum, derelinquere in eo miſerrimo ſtatu, in quo pondere ipſo peccati, & lubricitate fragilitatis ad vlteriora peccata feratur, eo faciliùs appetenda, quam perſeverantia in pœnitentia, quo ſunt delectabiliora præ iſta, & quia abyſus abyſum invocat? Sat oneris, ſed iam cum gaudio, & gratitudine ſuſcepti, portat homo tranſlatus de morte ad vitam, ferens ſecum ſanctum vlterioris lapſus timorem, præ con-

ceptam diſplicentiam peccati, debitum ſatisfaciendi, abſtinendi ſe à periculis, atque etiam a multis rebus alioqui licitis; item obligationem renovandi vitam, & ſe Deo perpetuò devovendi ob acceptum tantum iuſtificationis beneficium.

11 Hæc onera quamvis iuſtificato grata, & adiuvante ipſa gratia collata per Sacramentum, placide toleranda, ſufficiunt vt homo cautè, & humiliter ſe gerat, & in ſpiritu contritionis, & ſatisfactionis perſeveret. Ut quid ergo alia imponenda ſunt, quæ fortaſſe animæ non poterunt portare, quia in ipſo ſtatu peccato nimis lubrico, & vires per ipſum debilitantur, & pronitas ad iterùm ruendum miſerabilitèr expeditur?

12 Profectò Chriſtus Dominus ſanans Paralyticum, in porticibus piſcinæ repertum, non procraſtinavit remedium, non diſtulit curationem, iniungens illi, vt antequam ſanaretur, tolleret, & portaret grabatum ſuum: ſed priùs eum ſanum fecit, & poſtmodum onus grabati portandum iuſsit. Onus inquam, non ipſius peccati, ſed reatus illius, ſed ruboris, ſed compunctionis, & confuſionis, quia illud perpetraverit. Ioa. c. 5.

13 Pulchrè, & opportunè S. Gregorius Magnus: *Quid eſt enim, quod in Evangelio ſanato cuidam Dominus dicit: ſurge tolle grabatum tuum, niſi quod per grabatum voluptas corporis deſignatur? Et iubetur vtique, vt hoc ſanus portet, vbi infirmus iacuerat: quia nimirum, omnis qui adhuc vitijs delectatur, infirmus iacet in voluptatibus carnis, ſed ſanatus hoc portat vbi infirmus iacuerat, quia divino adiutorio ereptus a vitijs, euſdem carnis contumelias poſtmodum toleret, in cuius prius deſiderijs requieſcebat.* Mor. lib. 23. in cap. 33. Iob. c. 24.

14 Ita ſe geſsit Chriſtus cum Paralytico, qui conſenſu omnium SS. PP. typus erat peccatoris indurati: atque hoc ipſo prudentiæ lumine ductus eius Vicarius, & reliquorum omnium Miniſtrorum Princeps S. Petrus, ſimilem omnino modum curandi ſervavit erga Æneam qui Paralyticus etiam iacebat, & vt Arator ait, *defunctis vivens membris*: qui peccatoris, immò iuxta Gloſam ordinariam, totius generis humani languentis imago erat, cui protinus ſanitatem reſtituit, dicens: *Sanat te Dominus Ieſus-Chriſtus: ſurge, & ſternè tibi.* Act. 9.

15 Ad quæ verba Vene-

nerabilis Beda: *Ideò iuſſum Paralytico ſanatum ſurgere, & ſternere ſibi, vt qui fidei ſoliditatem perceperit in corde, non ſolum torporem in quo feſſus iacuerat, diſcutiat, ſed etiam bona opera in quibus requieſcere valeat, paret.* Conſonatque Gregorius dicens: *Ut & deſerat ſurgendo, quæ fecit, & inveniat ſternendo, quæ fecerit.* Sanandus igitur primùm peccator eſt, vt poſtea torporem diſcutiat; non autem antea torpor diſcutiendus, vt poſt diſcuſſum ſanetur. Hic enim imprudens, ac præpoſterus ordo medendi foret.

Ibi. — Vbi ſup.

16 Utque deniquè demonſtrẽ charitati adverſari modũ à Queſnellio laudatum, ſat eſſet ob oculos ei ponere hominem illum, quem in via ab Hieruſalem in Hiericò, à latronibus expoliatum, ſauciatumque, Sacerdos, & Levita (puta Queſnellius, & Anonymus) immiſericordes, ſemivivo relicto, præterierunt, quem ex charitate debuerant ſtatim curare, vulneraque eius alligare, vt Samaritanus fecit, à Chriſto propterea laudatus, & ab ipſo etiam cuidam Legis perito in exemplum imitandum propoſitus. Queſnellius tamen, & Ianſeniſtæ omnes non ſimilitèr, ſed alitèr faciendum iudicant cum peccatoribus, quos homo iſte ſpoliatus, & ſaucius, conſentientibus Patribus, repræſentat: cum ijs alioqui peccatoribus, qui nec plagas vitare poſſunt, vt Ianſeniſtarum dogma eſt: cum his videlicèt, qui iuxta ipſos fatalitèr eas contrahunt, defectu gratiæ indiſpenſabilitèr neceſſariæ ad illas vitandas. Sufficere inquam debuerat exemplum illud, vt illi inhumanitatem exuerent, digniuſque de Divina erga homines charitate, & de humana fragilitate iudicarent.

Luc. c. 10

17 Sed adhuc ipſis in hac re imitandum iudicium Chriſti peccatricem Magdalenam curantis proponit S. Ambroſius dicens: *Dominus noſter Ieſuſ-Chriſtus iudicavit magis homines beneficijs alligari poſſe, & provocari ad ea, quæ ſunt rectè facienda, quam metu: pluſque charitatem proficere, quam formidinem, ad correctionem.*

Epiſt. 10. ad Marcel lin.

18 Hinc Magdalena, verè de peccatis dolens, ſtatim ac ad pedes Domini accedit, abſolvitur, vt notavit neſcio quis Victor, dicens: *Vide quid audiat: filia fides tua te ſalvam fecit. Dudum peccatrix, abſoluta mox filia, & in Domini pace cõfeſſim abſoluta dimittitur, quæ ſuorum*

Lib. de Pœnitent. cap. 17.

bello criminum vaſtabatur. Hoc eſt illud propheticum oraculum: cum converſus fueris, & ingemueris, tunc ſalvaberis: & dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Noluit itaque piiſsimus Dominus Magdalenam vlteriùs ligatam relinquere, & dimittere, vt ſarcinam peccatorum ſuorum cum fletu, & gemitibus amplius portaret, quo & dignior abſolutionis efficeretur. ſed mòx, confeſtim ei peccata dimiſsit, quia ad inſtincandum vere dolentem, multumque diligentem, neſcit tarda molimina virtus Spiritus S.

19 Hoc ipſo exemplo provocat, & animát idem Author reliquos peccatores, benè aliàs vndequaque diſpoſitos, vt feſtinent à miſero vitiorum ſtatu emergere: quia amantiſsimus pater ita prompta pœnitentia flectitur, vt feſtinet etiam remedium: *Si de profundo luxuriæ*, inquit, *& de mundana* Ibi. *voluptatis gurgite feſtinas emergere, atque ad pœnitentiæ officia capeſſenda ex temulentis actibus reſpirare, ne putes quod te ab ipſo adeo elongaveris, aurem tibi eius obcludi: mox vt pulſaveris fores aperiet, & in ſepta cohortis ſuæ miſerandum miſerator includet, tantum eſt, vt doloris tui querela flectatur.*

20 Iſte ergo eſt modus proculdubio ſapientiſsimus, prudentiſsimus, & amantiſsimus, quo Deus erga peccatores ſe gerit: ſcilicet pulſanti peccatori, mox fores aperit, confeſtim ſibi illum reconciliat, eius miſeretur, intra gaudia admittit. Et tamen rationem omnino oppoſitam audet Queſnellius laudare, audent, & Ianſeniſtæ omnes extollere tanquam plenam ſapientia, lumine, & charitate: & quod peius eſt, hanc præ alia ſe obſervare gloriantur, tanquam ſeverioris diſciplinæ cultores, venientes ad nos in virga, non in charitate, ſpirituque manſuetudinis, qui & ſolos ſe prædicant morales, aut morum reformatores, cum in allegatis Chriſti Domini exemplis animavertere debuiſſent cum Ambroſio; *quam moralis Dominus ſit, vt exemplo ſui* Vbi ſup. *eos ad pietatem provocet: moralis eſt etiam cum arguit.*

21 Verum nos ab Auguſtino edocti. *Demus ope-* Epiſ. 50 *ram vt pernicioſiſsima hæreſis de Eccleſijs auferatur, quæ ſemper ſimulat pœnitentiam, vt docendi in Eccleſijs habeat facultatem, nè ſi aperta ſe luce prodiderit foras expulſa morigtur.*

Ra-

22 Rationem modumque Chriſti D. imitatur Eccleſia, nuſquam ab Sponſo *Luc. 18.* diſſentiens, aut diſsimilis, qui nec Publicano contrito diſtulit iuſtificationem, ſed *quinque tantum ſermonibus*, ait laudatus Victor, *celebrata eſt* *Vbi ſup. cap. 16.* *tota confeſsio*. Quando ſcilicèt vere dolens, *ſe publicat verecundia reum, peccatum pectoris percuſione crebrò commemorat, & cor conſcium, pugni admonitione contundit, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori.* Et quid tunc? *Statim*, inquit, *meruit iuſtificari verecundia, quæ probata eſt in humilitate confeſſa.* Statim nimirùm, non poſteà; neque enim ante reconciliationem iuſtus eſt amplius portare grave illud onus, cum quo *ingreſſus ille templum fuerat, peccatorum mole decurvata cervice.*

23 Similitèr hodiè Miniſtri Eccleſiæ ſe gerunt erga peccatores, ipſa ſcilicèt modum approbante, quæ ſimul cum ſapientia, prudentia, & charitate, habet etiam à Sponſo ſibi collatam promptiſsimam eius virtutem ad ligandum ſolvendumque: illam videlicèt, qua & ipſe leproſum confeſtim mundavit, & cæcis lumen petentibus, nihil moratus lumen reſtituit, vt obſervavit Cyrillus Alexandrinus dicens: *Non enim voluit increpare dicentem lepro-* *Dial. de Trinit. lib. 6.* *ſum, Domine ſi vis potes me mundare. Removens quodammodò ab eo ignorantiam indignam, promptè pollicebatur, imò iam & parabat incipere petitionẽ: volo enim dicebat, mundari. Quoſdam verò cæcos quoniã accurrentes dicebant, miſerere noſtri fili David, rogavit iterũ: quid vultis vt faciam vobis? Petentibus verò ſibi deſideratum lumen concedi, reddebat nihil moratus.*

24 Si Anonymus exemplum iſtius leproſi adeò promptè à Chriſto ſanati perpenderet, fortaſis omitteret quod pro ſuo Queſnellio pravè allegat, decem nimirùm leproſorum, qui non audentes ad Dominum accedere, *ſteterunt à longe*. Sed & iſtud contra ipſum apertè militat, quoniam ſic etiam ſine mora ſunt ſanati, vt cum à Chriſto ad Sacerdotes mundandi miterentur, *dum irent, mundati ſunt.*

25 Nolumus tamen vti hoc exemplo malè alioqui ab ipſo conducto, quoniam cum ſolummodò loquamur de reconciliandis ſine mora *Luc. 17.* peccatoribus ritè diſpoſitis, neutiquam id approbandum, vel etiam reprobandum erat

exem-

exemplo illorum leproſorum, quorum intentio, & ſollicitudo ſalutis exinde perverſa demonſtratur, quod cum decem mundati fuerint, *non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo*, niſi vnus tantum.

26 Neque aliud quod in ſita notula adhibet, baptiſmi, ſcilicet S. Pauli a tribus *Act. 9. 7.* ſuæ converſionis diebus tranſactis in oratione, & ieiunio, ad rem eſt: quoniam negotium fuit tunc de homine ad fidem, & religionem converſo, & idcirco ante baptiſmum cathechizando, & de myſterijs Fidei inſtruendo, ad quæ etiam hodie Eccleſia temporis moram, & dilationem interponit.

27 Quodque iſta factum fuerit cum Paulo, conſtat ex illis Domini ad ipſum verbis: *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Ad *Lib. 1. in Ezech. Homil. 9. num. 4.* quæ S. Gregorius: *Iacens ergo hoc ſolum audire potuit, vt ſurgens diſceret, quod audiret; ſurgens verò hoc didicit, vt quæ cognoverat prædicaret.* Ineptè itaque egregius Scripturæ cõmentator Queſnellius ex hoc exemplo procraſtinandam cenſet abſolutionem fidelibus pœnitentibus: atque ineptiori adhuc petulantia Anonymus audet importuniſsimo exemplo ſuggillare ſacroſanctam Bullam *Unigenitus.*

28 Loca autèm ex SS. Patribus, quæ in ſuffragium ſui Queſnellij aducit, vt evincunt morem antiquum, tuncque laudandum (non tamen præcisè vbique, & ſemper imitandum) publicarum pœnitentiarum: æque demonſtrant inique affectum Ianſeniſtarum omnium animum, erga Eccleſiam, pravumque eorundem de illius inconcuſſa firmitate, & vnitate ſenſum repugnantem Divino Oraculo affirmanti, hanc ipſam eandem Eccleſiam ab ipſo ſupra firmiſsimam petram fundatam, duraturam in æternum.

29 Solemne namque Ianſeniſtarum dogma à ſuo Sancyrano maxime exceptum, quod à Lutheranis, & Calviniſtis antea fuerat excogitatum, atque illis, & iſtis caput plurimorum errorum, eſt, quod Eccleſia quæ hodiè extat, omninò diſsimilis, turpiter deformata, & conſequentèr non iam illa eſt, quæ per duodecim priora ſæcula extitit: per id ſcilicèt temporis in quo Diſciplina Pœnitentiæ publicæ viguit, vt ſupra notavimus. Hinc illis omnibus familiaris contemptus legum Eccleſiaſticarum,

morum, dogmatum, cenſurarum, quæ his noſtris temporibus, & à ſex vltimis ſæculis inſtituta, & latæ ſunt. Hinc acclamationes diſciplinæ, obſervantiæ, & priſcorum rituum, quas incauti, & ſimplices, qui ſemper præterita, & antiquata magni æſtimant, cum plauſu, atque etiam cum reverentia declamantium excipiunt, nimirùm dignos habentes & fide, & honore, quos plauſibilis reformatorum larva diſsimulat.

De morib. Eccleſ. Cathol.

30 Verùm hæc vt aiebat Auguſtinus, *illecebræ ſunt Manichæorum* (qui vt fatalis neceſsitatis etiam aſſertores, non erunt fortaſis innuiſi Queſnellio, & Ianſeniſtis) *quibus decipiuntur incauti, vt eos velint habere Doctores.* Attamen ſola quæ Catholica eſt diſciplina Eccleſiæ de vita, & moribus, valet nos ad veram virtutem, & pœnitentiam provehere, & illorum hypocriſim revelare. Quapropter teneamus *congruentem Catholicæ diſciplinæ ſententiam noſtram de vita, & moribus, in quo fortaſè intelligetur, & quam ſit facilè ſimulare, & quàm difficile habere virtutem.*

31 Congruentem dicit, & optimè, quia non omnia, omni tempore, & omnibus congruunt. Congruentem, id eſt, convenientem, etiam vbi ratio temporis congruit. Vnde ſi Anonymus, vt par erat, tempora, diſtingueret concordaret iura quæ allegat. Olim enim ſalubriter inſtituta fuit pœnitentia publica, de qua multa multi, & ex Patribus, & ex Authoribus Eccleſiaſticis. At his noſtris temporibus ſalubritèr etiam occulta pœnitentia, & reconciliatione nequaquam dilata, peccata expiantur. Utraque diſciplina pro diverſitate temporum vſa eſt Eccleſia abſque vlla ſui deformatione: quemadmodùm in vſu, & adminiſtratione aliorum Sacramentorum inepte diceretur deordinata, vel à ſe diſcordans, quod aliqua mutaverit, ſeu quod hodiè his non vtatur, quæ olim in praxi erant.

32 Ex quo & imprudentèr quis intenderet mores hodiernos moribus illis antiquis accuſare, & tanquam abuſus, aut relaxationes redarguere, allegatis ad id SS. PP. teſtimoniis, quibus priſcos illos, & laudabiles ſui temporis vſus probant, laudantque. Imprudentiſsimè namque vellet aliquis hodiè revocare in praxim, vſum priſcum laicorum excipiendi manibus, ſeu

etiàm

etiam Vaſculo, Sacram Euchariſtiam; atque item à fœminis linteamine illo, quod *Dominicale* dicebatur. Rurſus, quod infantibus lactentibus, cum baptizantur, Euchariſtia adminiſtretur, & ori infundatur Sanguis Chriſti de ſacro Calice: quæ ſuo tempore vſitata laudant Cyprianus, Nacianzenus, Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, & alij, quin & Concilia aliqua.

33 Neque plures alios ritus de eadem Euchariſtia, de Baptiſmo, de Eulogiis, & fermento, deque innumeris alijs, à Patribus commendatos ommitam, & vt propius ad rem accedam: imprudentiæ me procedendo arguerent Queſnellius, & Ianeniſtæ omnes, ſi cenſerem deponẽdos Epiſcopos, & Clericos, ſibi pſis adhærentes, & laicæ communioni addicendos, ob capitale crimen periurij in ſubſignatione formularij, ab ipſis commiſſum, etiam ſub prætextu ſilentij obſequioſi.

34 Dicere tamen debent modum ſic procedendi cum ipſis, plenum eſſe ſapiẽtia, lumine, & charitate, ſi vera eſt propoſitio Queſnellij, ſi optime confirmata ab Anonymo: quoniam praxis hæc & Pœnitentia, olim vſitata fuit, laudata à Baſilio, à Concilio Agathenſi ſancita, & commendata Canone Apoſtolorum, ita decernente: *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus fornicationis, vel periurij, vel furti conuictus, deponatur.* Si tamen nolunt ipſi ſeveram hanc, & ſuo tempore laudabilem diſciplinam ſubire, cur illam alijs peccatoribus ſuſtinendam prædicant? Certè quia, *gaudemus parili cunctos examine pendi, nec volumus parili nos cohibere libra.*

Ad Anonymi. Can. 32.

Can. 25.

Ferdin. Benevit.

35 Iam verò cum ſeverior illa diſciplina peccatorum pœnitentium, quæ antiquitùs floruit, non fuerit tunc ita vbique, & omninò conſtans, vt non ſuſtinuerit aliquam mutationem, & diverſitatem: pluresque, & nequaquam conformes ſententias Patrum habuerit, quas *n.* 4. inſinuavimus; quis propterea inter tot diverſos modos, aliquem illorum, vel tacitè accuſabit, vel vnum præ alio plenum ſapientia, lumine, & charitate dicet? Quis proindè audeat Eccleſiam non eandem per ea duodecim ſæcula, non eodem ſpiritu animatam, & moderatam aſſerere?

36 Præterea, cum nemo mediocritèr eruditus ignoret, quàm anceps ſit, aut diverſus Patrum conſenſus de pecca-

peca

peccatis publica illa, & diuturna pœnitentia expiandis, debuerat vtique Queſnellius hac ſua propoſitione illa determinare, & non ſic inconſideratè de omnibus peccatoribus, & quorumcunque criminum reis, canonem ſtatuere, ne, ſcilicèt, cum antiquas diſciplinæ Eccleſiaſticæ leges inſtauratas deſiderat, has ipſas, nimia earum extenſione temerare videretur: & ne ſuus Anonymus has ex SS. Patribus deſumeret confirmationes, quæ ſcopum non attingant, nec rei quadrant de qua agitur.

37 Quapropter hoc ſolummodò ex aſſerto Queſnellij, & ſuffragio Anonymi videtur colligendum, quod nimirùm quotquot hodie iuramento affirmant, & propria manu ſignant ſe deteſtari, ſe damnare, quinque propoſitiones Ianſenij ab Eccleſia proſcriptas, quas ſimul, ac seriò credunt ſanam veramque doctrinam Catholicam, & germanam Auguſtini continere, eſſeque, vt inquiunt, puriſsimum Evangelium gratiæ, atque ideò inique, & per errorem, vel iuris, vel facti, ab Eccleſia damnari: hi inquam omnes publicæ, ac diu duranti pœnitentiæ ſubijci debent, iudicibus Queſnellio, & Anonymo, non iam ob periurium tantùm: ſed quoniam nemini dubium, quod hoc fuerit olim, ſemperque ſit immane peccatum, ingensque flagitium, iuxta omnes ea pœnitentia publica expiandum, negare, ſcilicèt, damnare, deteſtari, veram, & ſanam doctrinam Catholicam, ad idq. libellos porrigere, quibus pravi, ſegneſq. olim Chriſtiani eam ejurabant, vt ſe bonorum proſcriptioni, exilio, aut ſupplicijs eriperent, quamvis non corde, & mente, ſed ficte, ac diſſimulantèr agerent. De his ergo pœnitentia publica plectendis, vltro conſentiam Queſnellio decernenti, & Anonymo alleganti Clerum Romanum, Cyprianum, Ambroſium, & quotquot Patres de Lapſis, de Pœnitentia, de Diſciplina Eccleſiæ ſcripſere.

38 Quorum inſuper allegata teſtimonia nihil ad rem evincunt, quia in eis loquuntur de peccatis iſtius generis, & quæ expectant ad primam claſſem deſignatam ab Auguſtino dicente: *Sunt quædam ita gravia, vt excommunicatione plectenda ſint.* Quæ ſic in genere ſumpta olim pœnitentiæ publicæ ſubiecta erant. Alia *De fide, & oper. cap. 26.*

K aa-

autem delicta non adeo immania, quamvis etiam mortalia, pertinent ad ſecundam, & mediam ante venialium claſſem, quam idem ita diſtinguit: *Quædam non ea humilitate pœnitentiæ ſananda, ſed quibuſdam correptionum medicamentis.* Non igitur his, de quibus nobis, & Queſnellio ſermo eſſe debet, aptantur loca ab Anonymo allegata, quæ de peccatis graviſsimis primæ claſsis humilitate diuturnæ pœnitentiæ, non autem quibuſdam medicamentis correptionum ſanandis, procedunt.

Ibi.

39 Demus tamen, quod ex adductis teſtimonijs vtcumque colligatur fuiſſe olim iniunctam, & obſervatam publicam, & diuturnam pœnitentiam pro omnibus, & quibuſcumque peccatis læthalibus expiandis. At in Epiſtola illa Cleri Romani ad Cyprianum, longè maniſeſtius eſt Clerum loqui de deſertoribus fidei, quia alioqui *proſpecta temeritate* (verba ſunt Cypriani ad Clerum) *pœnitentiam agere, & Deo ſatisfacere detrectantes*, pacem, & communionem ſibi dandam petulanter poſtulabant: *Qui delictis ſui magnitudinem non agnoſcentes* (verba ſunt Cleri reſcribentis) *momentaneam, & præproperam deſiderabant medicinam*; non aliàs eam humilitèr, ſed ſuſpectè, ſed cum ſtrepitu, & clangore petentes, non pulſantes Eccleſiæ fores, ſed potiùs confringentes; hi ſcilicèt, quibus *maximè*, inquit, *congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda.*

Epiſtol. Cypr. ad Cler.

Epiſtol. Cleri ad Cypr.

40 Cum itaque deſignari non poſsint his caracteribus peccatores qui humiles, verecundi, contriti, aut benè interiùs diſpoſiti, ad Sacramentum Pœnitentiæ accedunt: neque propterea illis aptantur, quæ Clerus Romanus de alijs refractarijs ſtatuit. Nam potius capaces, ac digni ſunt illius promptæ curationis, & reconciliationis, quam merentur vulnera planè retecta, & delinita, atque delicta ſincerè, & efficacitèr retractata: quam & Chriſtus Dominus nunquam diſtulit, vt tot exemplis à SS. Patribus etiam commendatis, obſervavimus.

41 Cuius nos, & doctrinam, & facta imitari debemus, ſi Cyprianum ipſum audimus (qui vt hinc ad illum gradum faciam) eo ipſo loco ab Anonymo allegato, inquit: *In Evangelio quoque poſtmodum Dominus in verbis Doctor, conſummator in factis, docens quid fieret, & ſa-*

De lapſis.

faciens quodcumque docuiſſet, quidquid nunc geritur, & geretur nonne ante præmonuit: Ita ille etiam vbi de lapſis, & diuturna eorum pœnitentia agit. In quibus maximè illud perpendendum, *quidquid nunc geritur, & geretur*: nam per hæc non ſolùm laudat tanquàm Chriſti doctrinam, & factis probatum, quod circa lapſos ſuo tempore gerebatur, ſed quod circa peccatores reconciliationem ritè petentes, tunc futurum erat, & hodiè geritur.

42 Atque id tantummodò reprobat, quod ſemper reprobandum eſt, nulloque tempore, & à nemine exercendum, neque vnquàm excuſandum, quod videlicèt fiat reconciliatio *antè expiata delicta, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam, ſacrificio, & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis.* Ibi. Quæ omnia, & ſingula, ſi prætermitantur, quemadmodum manifeſtant temerariam petitionem reconciliationis, & abſolutionem irritam, ſic etiam evincunt, quod debitè præmiſſa dignum redunt peccatorem abſolutionis, & gratiæ.

43 Qui autem ſine his diſpoſitionibus, & non tacti dolore cordis intrinſecùs, ad Sacramentum Pœnitentiæ petituri reconciliationem accedere audent, his, & nunc, retardandam illam, negandamque cenſet Eccleſia, vt quondam cenſuit Cyprianus, quia inquit, *operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis, & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur.* Ibi. Neque enim merentur curationem, nec ſanari poſſunt, qui vulnus detectum non exhibent, qui plagam curandam, nec ſibi ſenſibilem, nec medico tractabilem redunt.

44 De quorum numero ſunt qui ab occaſione, & à conſuetudine peccandi recedere nolunt, qui propterea cenſendi ſunt falſi pœnitentes, ſimulantes dolorem, & animum à vitijs abductum, quem aut nimis languidum habent, aut omninò non habent: & de quo ſufficientia ſibi ſigna, poteſt, ac debet Confeſſarius ex eiſdem ſumere, & obſervare. Hi, inquam, nequaquam ſtatim reconciliandi ſunt, ſed eis differenda, aut etiam neganda abſolutio eſt, vſque dum verè reſipiant, ex corde doleant, reſtituant, ab occaſione peccandi ſe ſubmoveant, & conſuetudinem pravam, contrarijs

actibus virtutum, quin, & privatione rerum, quæ aliàs ipſis licerent, vincant, & amittant. Iuſtum enim eſt, vt qui inſenſibiles facti ſunt miſeriæ ſui ſtatus, illum ad tempus ſupportent, vt pondus ſentiant, & ab eo liberari, ſeriò, & anxie deſiderent.

45 Veruntamen adhuc circa iſtos, præſertim ex fragilitate peccantes, cautè, & circumſpecte ſe gerere debet ſpiritualis medicus, cum prudentia ſcilicet, & diſcretione. Sunt namque omninò diverſi, quemadmodum ſunt animi, morbi. Sunt, & illorum vulnera eius generis, & indolis, quæ dure tractata, facile recrudeſcunt. De quo, & ad id plura, & opportuniſsima S. Gregorius. Vt igitur ſuſpenſio remedij, remedium ſit, non venenum, oportet, vti olim Clerus Romanus ad Cyprianum, *vt nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem.* Habes paucis explicatum modum plenum ſapientia, lumine, & charitate, quem ſemper ſibi conſtans, & pia mater, erga peccatores Eccleſia laudabiliter cuſtodivit.

Lib. 1. in Ezech. Hom. 11. num. 12.

Vbi ſup.

46 Ita, & prudentiſsimè olim S. Ambroſius inſtruebat Conſtantium dicens: *Nam etiam medendi periti cum vident notas ægritudines, vt ipſi appellant, medicinam quidem non adhibent, ſed tamen medicinæ tempus expectant, nec deſerunt invalidum* (nota quia de invalido loquitur) *ſed lenioribus verbis, aut quibus poſſunt palpant delinimentis, ne aut intermiſſa ægritudo deſperatione animi graveſcat, aut crudior medicinam reſpuat.* Hoc namque periculum creat, in hæc diſcrimina animas trahere cupit Queſnellius, cum ſic abſolute, & nulla ad rebus ta conſideratione, pronunciet procraſtinandam reconciliationem peccatoribus vere alias, & ex animo pœnitentibus: debuerat ſane cum eodem Ambroſio animadvertere, quod *cuius excluditur ſatisfactio, avertitur animus.*

Epiſtol. 19.

Ibi.

47 Et cum maximè verum ſit, quod in pleriſque rebus tarditas, & procraſtinatio odioſa eſt, multò magis in hac de qua agimus: pavet enim homo homini confiteri, & ſecreta cordis pandere. Id omnibus durum, quod vt vel ſemel, aliquando, & nulla mora fiat, Patres omnes, cunctique ſapientes conſulunt, vt ſcilicèt, nemo tardet converti ad Deum, nec differat de die in diem; ergo ad

id

id quamvis arduum, feſtinare debent peccatores: & hos nihilominus, quamlibet rectè diſpoſitos, non debent tunc eos abſolvere Sacerdotes, ſed irreconciliatos dimittere, ut nimirum perſeverantes in ſtatu peccati, non conſolati, ſed afflicti, non aleviati, ſed onerati, iterùm, atque iterum à pedibus Sacerdotis diſcedant? Et hic modus laudatur tanquam utilis ad humilitatem, & pœnitentiam? O utinam non potius ad deſperationem conducat!

48 Non equidem ſic iudicat Ambroſius, cuius ſequentia verba meditanda optamus: *Elevantur peccata, obumbrantur, teguntur..... ipſa nos in profundum tanquam molari depreſſos lapide mergent. Gravis eſt enim tanquam talento plumbeo ſuffulta iniquitas.* Portantes igitur diù tàm ingens, & iam ipſis non gratum peccatorum pondus, vel aſſuefacti ſarcinæ, de pœnitentia non amplius curabunt, vel potius quam ad humilitatem, ad deſperationem concitabuntur: *Tolle luctatori coronam,* inquit idem Ambroſius, *lentus iacebit in ſtadio. Tolle piſcatori capiendi efficaciam, deſinet iactare retia.* Quia quaſi perindè eſt tunc differre, ac auferre.

Ibi.

Lib. 2. de Pænit. cap. 3.

49 Quod & confirmat exemplo illo de Filio prodigo ad rem opportuniſsimo. Ipſo namque dicenti *peccavi*, illicò pater miſericors delicta condonavit: *Tam cito,* inquit, *veniam meretur, ut venienti, & adhuc longè poſito occurrat pater, oſculum tribuat, quod inſigne eſt ſacræ pacis.* Perpendatur quæſo illud, *venienti, & adhuc longe poſito.* Unde ſtatim ſic infert Ambroſius: *Ergo evidentiſsimè Domini prædicatione mandatum eſt, etiam graviſsimi criminis reis, ſi ex toto corde, & manifeſta confeſſione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti Cœleſtis refundendam gratiam.* Quis iam adeò pertinax Janſeniſta erit, qui hæc ab Ambroſio audiens, audeat auctoritate ipſius ſe protegere ad privandum hominem verè pœnitentem, & gratia abſolutionis, & participatione Sacroſanctæ Euchariſtiæ? Profectò ipſe S. Doctor ſtatim adiungit: *Unde nihil vobis ad excuſationem reſediſſe certum eſt.*

50 Utque plura alia, quæ ex eodem afferre poſſem, prætermittam, ſat ſit lectorem remittere ad duos ipſius de pœnitentia libros, qui totis ſuis paginis nihil magis reſonant, quam moderationem hæ-

habendam erga peccatores, miſericordiam, atque indulgentiam, qua *Dominus Ieſus compaſſus nobis eſt, vt ad ſe vocaret, non deterreret*, ſcilicèt, adverſus Novatianos, qui ſeveriorem de re iſta, imò duriſsimam diſciplinam affectantes, ad eam ſuadendam, loca etiam, & teſtimonia Sacræ Paginæ auſi ſunt vſurpare, vt Queſnellius, Anonymus, & reliqui Ianſeniſtæ faciunt. Ad quos omnes Ambroſius: *Fruſtra dicitis vos prædicare pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ. Homines enim ad aliquod ſtudium, aut præmijs, aut fructibus excitantur. Omne autem ſtudium torpeſcit dilatione.* Lib. 1. cap. 1. Cap. 16.

51 Et nè petulanti confidentia glorientur, vt aſſolent, de ſtrictiori diſciplina, de ſaniori doctrina, deque reformatione Eccleſiæ, & mundi, ſuggillantes paſsim alios, & condemnantes, vt quondam Socratem Athenienſes, veluti morum corruptores, ac ſi ipſi ſoli ſint veri Magiſtri morales, & integerrimi diſciplinæ Eccleſiaſticæ cultores, eo quod reconciliationem differentes, & conſolationem negantes afflictis peccatoribus, ſic eos magis, vt aiunt, ad pœnitendiam provocant: vtinam non potius, quod Paulus inquit, *vt abundantiore triſtitia abſorbeantur*: propterea audiant oportet eumdem S. Ambroſium, ſic de contrario documento Paulum laudantem: *Moralis Magiſter, & noſtræ fragilitatis conſcius, & pietatis divinæ interpres vult donari peccatum, vult conſolationem adhiberi, nè triſtitia pœnitentem tædio longè dilationis abſorbeat.* Cui ergo maior habenda fides, Queſnellio, an Paulo? Anonymo, an Ambroſio? 2. ad Cor. 2. 7. Cap. 17.

52 Porrò ſola ipſa Ianſeniſtarum praxis, ſuis quos habet horrendis effectibus, & abuſibus, deteſtandiſque quibus innittitur præceptis, ſe ipſam ignorantia, imprudentia, & temeritate plenam manifeſtat. Moniales quàm plurimæ, aliæque fœminæ, vt pridem Maria Angelica, pernicioſa hac doctrina à Sancyrano ſeductæ, & à confeſsione, & communione, tempore etiam Paſchæ ſemotæ, triſtia omnibus exempla ſunt peſsimorum tàm pravæ praxis effectuum.

53 Virtus iuſtificandi, & peccatorum remiſsiva, quam tantùm non negant Pœnitentiæ Sacramento, ſed nec adhuc concedunt actui perfectæ contritionis, & amoris Dei, ſed ſolùm habitui charitatis præ-

prædominantis (neſcio an infuſo, an acquiſito) documenta ſunt Ianſeniſtarum, è quibus illa impia etiam, & ab eiſdem exorta dogmata exurgunt; quod videlicèt, nec peccatori actu contrito, & ſua delicta humilitèr confitenti, danda ſit abſolutio, tanquam non vtilis non habenti adhuc habitum dominantis charitatis. Item, quod abſolutio dumtaxat eſt iudicium non faciens peccatorum remiſsionem, ſed purè declarans peccata per charitatem remiſſa. Rurſus: quod peccatum etiam læthale, vt non valens ſe ſolo dominantem habitum charitatis deſtruere, quia fortior eſt habitus quam ſolus actus, qui nondum generavit habitum oppoſitum, & vitioſum cupiditatis, hoc ipſo optimè fœderari poteſt cum ea habituali charitate prædominante, & conſequentèr cum ſtatu iuſtitiæ, & amicitiæ Dei.

54 Hæc inquam, & ſimilia Ianſeniſtarum commenta ſilentio, ac tenebris digna, quæ ſuis tamen locis revelabimus, ab eiſdem etiam iudicantur, vel ipſa ſua iniqua praxi omninò adnexa cum aſſerto Queſnellij; vel ex iſto inevitabilitèr colligenda. Et nihilominùs propoſitionem tot abſurditatum fœcundam admittitur Anonymus SS. Eccleſiæ Patribus attribuere, ſeu in eis defenſionis illius tentare rationem: at homo, tametſi audaciſsimus neceſſe eſt ſe convictum, aut ſaltèm intento fruſtratum, fateatur, viſis teſtimonijs hactenùs allatis cùm ex ipſis Patribus quos laudat, tùm & ex alijs à nobis allegatis, ne & hexaplorum auctor ob plures adhuc quos cumulare voluit, labentem cauſam denuò à ſe ſuffultam exiſtimet.

55 Qui enim ab eo laudantur, ſi antiquiores ſunt, vt Nazianzenus, Niſſenus, Chryſoſtomus, Theodoretus, & alij, ij planè loquuntur de peccatoribus qui priſcis illis ſæculis ſubijciebantur ob ingentia, crimina publicæ pœnitentiæ; de quibus ſatis ſupra. Qui autem non ita antiqui, vt Ceſarius, Gregorius VII. & S. Carolus, hi agunt de recidivis, & conſuetudinarijs, quos non facilè, aut temere abſolvendos, & nos dicimus, niſi cum prudenti Confeſſario de vera ipſorum diſpoſitione, dolore, & propoſito corrigendæ vitæ conſtet. De quorum ſenſu vlteriùs in ſequenti propoſitione ſermo erit.

56 Interea verò ne laudata praxis Eccleſiæ videatur deſtituta æquali, atque etiam maio-

Orat. de Pœnit. lib. 2 in Ezech Hom. 9. Reſponſ. ad Bulg. cap. 9. Serm de Fil. Prod. lib. 4. de Div. Off. cap. 16. Serm. de trip. Miſ.

maiori numero Patrum, ſufficiat hic etſi confusè allegare Baſilium, Gregorium, Nicolaum I. Chriſologum, Rupertum, Bernardum, & univerſim quotquot de Lazaro reſuſcitato, de Filio prodigo, de converſione Magdalenæ, & Latronis in Cruce agunt. Etenim omnes iſti nequaquam retardandam eſſe reconciliationem peccatoribus verè pœnitentibus docent.

57 Pro omnibus ſat ſit audire Chriſoſtomum, qui quamvis ex adverſo allegatus, vt priſcam illam pœnitentiam diuturnam laudans, nihilominus eum ſibi proponit peccatores multos, ac magnis etiam criminibus aggravatos, vt fuere Niniuitæ (non habentes alioqui Sacramentum Pœnitentiæ) ſeu vt erat Latro de Cruce pendens: ſi tamen ſeriò, & ſincerè, vt illi, pœniteant, vero ſcilicet dolore, firmo vitæ emendandæ propoſito, & fervendi deſiderio accedendi ad Deum, non dilatam reconciliationem, ſed imò acceleratam dicit: vt hinc conſtet quantum oporteat ſententias SS. Patrum de re iſta, non temerè, ſed conſultò, ſed cum debita diſcretione accipere, ne ibi, videantur ſibi contradicere, & invicem obſtantia docere.

Homil. 17. in cap. 9. Geneſ.

58 *Dominum*, inquit, *habemus miſericordem, & benignum, & non indiget magno tempore; tantùm magno fervore, & ſobrietate ad ipſum accedamus, rejectis ſæcularibus curis omnibus, & ſupernæ gratiæ innitamur. Nam & Niniuitæ tanta peccatorum multitudine aggravati, quia magnam, & veram pœnitentiam egerunt, non indigebant ampliori, quam trium dierum tempore, ad provocandam Dei bonitatem, & irritandam, quæ adverſum ſe lata erat ſententiam. Et quid dico Niniuitas? Latro in Cruce neque vno die opus habebat. Et quid dico die vno? Neque brevi hora. Tanta eſt Dei erga nos miſericordia. Nam vbi viderit voluntatis noſtræ firmum propoſitum, & ferventi nos deſiderio ad ſe accedere, non tardat, neque differt, ſed accelerat, ſuamque ſolitam liberalitatem exhibens, dicit: Adhuc loquente te, dicam: Ecce adſum.*

59 Hæc audiens obmuteſcat quiſquis præfatam propoſitionem Queſnellij tentat ex Scriptura, & Patribus firmare, infirmareque ſaluberrimam Sacramenti Pœnitentiæ virtutem. Tot namque exempla ex Sacris Litteris, totque SS. Patres ea laudan-

dantes, & in ſenſu omninò adverſo, ac ſolummodo praxi Eccleſiæ conformi, exponentes, dignam illam redunt cenſura, & fulmine; ſimulque evincunt defenſores illius, & aliarum, quæ ex iſta pullulant, *vt induſtriæ ſuæ acrimoniam oſtentent, auſteris cogitationum adinventionibus vſos,* vt olim aiebat Cyrilus Alexandrinus. *Lib. ad Euop.*

LXXXVIII. PROP. COND.

Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſsioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

On ne ſait ce que c'eſt que le peche, & la vraie penitence, quand on veut ètre retabli de abord dans la poſſeſsion des biens, dont le peché nous à depouilles, & quo on ne veut point porter la confuſion de cette ſeparation. *Luc. 17. 11.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

SANCT. Pacianus. *Nunc ad eos ſermo ſit, qui benè, ac ſapientèr vulnera ſua, pœnitentiæ nomine confitentes; nec quid ſit pœnitentia, nec quæ vulneri ſuo medicina noverunt.... Vos autem ſi quis eſt veſtrum, qui ſecari, & exuri ſuſtineat, adhuc poſſum eum curare. Ecce ſcalpellum propheticum: convertimini ad Dominum Deum veſtrum in ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra..... Admovebo adhuc ignes de cauterio Apoſtolico: videamus an ferre poſſitis.* *Paran. ad pœnit.*

Moxque Advertit Anonymus, quod à Paciano allegatur iudicium quo Apoſtolus inceſtuoſum Corinthum damnavit, nedùm in privatione bonorum, quæ amiſſerat per peccatum, ſed vt maneret per multum temporis ab externa communione fidelium ſegregatus. *1. Corinth. 5.*

REFLEXIONES ANONYMI.

QUamvis, inquit, conditio, aut parvitas huius ſcripti non permittat adducere plura, aut ampliori numero teſtimonia, ſat tamen liquet ex operibus vnde iſta colliguntur, quod Patres, Concilia, & ſcripta Summorum Pontificum eis ſunt plena. Et quod eandē ipſam doctrinam his vltimis ſæculis docuere, S. Carolus in ſuis inſtitutionibus, editis in lucem ex iniuncto Epiſcoporum Galliæ, in conventu anni 1655. Item Cardinales de Aguirre, Noriſius, Grimaldus Camuſius, denique primores Galliæ, & aliarum Eccleſiæ partium Epiſcopi, ac nominatim litteræ, ſeu præceptiones Paſtorales Epiſcopi Atrebatenſis per quadraginta, & amplius Galliarum Epiſcopos probatæ.

Rurſus: Conſideratis attentè damnatæ propoſitionis terminis, in ea agitur de peccatore cui dato tempore petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, nondum illum habet. Modus ſervandus reſpectu iſtius, eſt ei vltra dare tempus ad ſpiritum illum obtinendum, precibus ſcilicèt, & exercitamentis quibus ſe humiliet, ac ſentiat ſtatū peccati in quo eſt: per quæ exercitia tunc, & ille incipit iuſtitiæ Dei ſatisfacere. Si igitur in eventu iſto, in quo peccator nondùm habet ſpiritum contritionis, & pœnitentiæ, non ſapientèr differtur abſolutio, quando hæc ſapienter differenda erit? Numquid non iam forſan ſpiritus contritionis, & pœnitentiæ erit neceſſaria diſpoſitio ad recipiendam abſolutionem, aut imò ſuperba ipſa præſumptio hominis volentis repente reintegrari, nolentiſque, & detrectantis ſuſtinere confuſionem dilatæ abſolutionis, erit nè legitima ad eam ſuſcipiendam diſpoſitio?

ANIMADVERSIONES.

1 PRopoſitio præſens, quia ſuperioris additamentum tantùm, ac veluti corrollarium eſt, nihil præter verba, eaque captioſa addens, ſatis videri poteſt ex inibi dictis confutata, atque abundè detecta eius abſurditas, vt palàm repugnans praxi Chriſti Domini, & Apoſtolorum, Sacræ Scrip-

Scripturæ exemplis, & ſententijs Patrum. Quandoquidem neceſsè videtur impio ore dicendum Chriſtum, qui tot peccatores ſine mora Patri reconciliavit, qui tot de hoc ipſo exempla nobis reliquit Leproſos, Paralyticos, alioſque infirmos ſanans, neſcijſſe quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quoniam non diſtulit petentibus remedium, noluitque, vt amplius ſuſtinerent ſuorum peccatorum onus, ruboremque, & lepræ confuſionem.

2 Quid iam de ignorantia Apoſtolorum in hac eadem re dicendum, qui tantum Magiſtrum imitati, morem eiuſdem in curandis peccatoribus ſervarunt? Quid de Scriptura, ea nobis, ſed non ad noſtram doctrinam, vt volunt iſti ſapientes, narrante? Quid de SS. Patribus iſta laudantibus, & infinitam Dei bonitatem, & miſericordiam nobis per illa prædicantibus? Sed iam, qua fide promiſsionum Dei, qua animi contriti confidentia, qua ſpei ſublevantis alacritate, quo ferventi deſiderio, peccator ad eam infinitam pietatem confugiet, ſi nec bona, quæ perdidit per peccatum, ibi invenienda tunc expectat, quando & ipſe Deus fideliſsimus, ac promptiſsimus in ſuis promiſsionibus, ipſi interiùs dicit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos?* Et qui ſemper, ac omninò debet detrectare, vel momento vno ſeparari à Deo, inſipienſne, & ipſe erit, iudice Queſnellio, præſumptuoſuſque, ac ſuperbus, iuxta Anonymum, ſi detrectet eſſe ſeparatum à Deo?

3 At, inquit Queſnellius, ferre debet ille, ac ſuſtinere confuſionem ſeparationis iniquè ab ipſo factæ. Sed numquid, vt confuſionem ferat, ferre debet itidem peccatum? Vel ad eam ſuſtinendam ſat non eſt, quod illud tulerit, ſeu perpetraverit? An exiſtimat Queſnellius, quod deleto peccato, deletur, & rubor? Non ita pœnitens ille iudicavit, qui dixi: *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* *Pſal. 50.* Et quidem propriiſsima, promptiſsima, & diù durans peccati pœna eſt confuſio, quam homo etiam iuſtificatus, quamdiu hic vivit tolerare debet ob peccatum à ſe contra Deum commiſſum, tametſi gratia, & miſericordia ipſius iam remiſſum; quæ & vtiliſsima eſt ad exercitationem, & humilitatem, ad patientiam, ad cautionem.

4 Hæc eſt tutiſsima, & digna SS. PP. doctrina, quam Queſnellius haurire poterat ex

L 2 ore

Tract. 124. in Evang. Ioan.

ore Auguſtini dicentis: *Cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quamvis ut in eam veniret miſeriam, primum fuerit cauſa peccatum: productior eſt enim pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna: ac per hoc, vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem iam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa.*

5 Ignorat plane Queſnellius quid ſit peccatum, dum vult ad damnationem ſempiternam reum, detenta culpa, peccatorem detinere; dùm ſuadet manere ſeparatum a Deo, vt inde confuſionem ſuſtineat, qui ne confundatur in æternum, ſperat anxie, & ardenter deſiderat reconciliari Deo. Ignorat profectò, quid ſit vera Pœnitentia, dum cenſet, quod non ſtatim ac eam inchoat homo flens, & accuſans flagitia ſua, incipit eſſe iuſtus, vt eſt exexpreſſa ſententia S. Gregorij Magni aientis: *Quilibet peccator converſus in fletibus, iam iuſtus eſſe inchoat cum cœperit accuſare quod fecit. Cur enim iuſtus non ſit, qui contra ſuam iniuſtitiam iam per lachrymas ſævit?* Sed Queſnellius audet, vel iuſtificationem eius retardare, vel quod adhuc amplius eſt, immenſam Dei bonitatem, & pietatem cohibere, vt cum homo incipit eſſe iuſtus, Deus tametſi natura ſua benigniſsimus, non incipiat eſſe miſericors.

Lib. 1. in Ezech. hom. 7. n. 14.

6 Porrò vindex Anonymus ad Paciani ſententiam provocat, nolens aliàs advertere, quod iſte S. P. in ea paræneſi declamat contra detrectantes pœnitentiam publicam, quæ tunc in vſu erat, ob enormiſsima crimina: quod neque ad hodiernam Eccleſiæ praxim, neque ad occulta peccata, de quibus ſermo eſt, quidquam conducit, vt iam monuimus. Nihilominus Anonymus adhuc ſpirat ignes, ferrum, ſectionem, vſtionem, quæ commendat Pacianus tanquam remedia opportuna, vt peccator curationem ſentiens, noſcat quæ ſit vera pœnitentia, & ſuorum vulnerum medicina.

7 Verùm ſaltèm obſervare debuerat quantùm ibi S. P. commendet miſerationem Dei erga peccatores ex animo reſipiſcentes, exemplo quod allegat parentis, qui filium prodigum ad ſe venientem ſuſcipere non retardavit, ſed continuò, continuò, ſibi illum reconciliavit. *Eſt*, inquit,

mi-

S. Pacian. ibid. *mitis, & patiens, & multæ miſerationis, & qui ſententiam flectat adverſus malitiam irrogatam. Ecce promitto, polliceor, ſi ad patrem veſtrum vera ſatisfactione redeatis.... Dicendo etiam humile aliquid, & flebile: peccavimus in conſpectu tuo pater, iam non ſumus digni nomine filiorum: continuò de vobis, & pecus illud recedit immundum.... Continuò revertentes, & ſtola veſtit, & annulus honorabit, & paternus iterum complexus accipiet. Ecce ipſe loquitur: nolo mortem peccatoris, ſed ut revertatur, & vivat.* En ergo continuò revertentes, continuò & mundatos.

8 Cum igitur ſectionem, & uſtionem admovendas prædicat, publicæ pœnitentiæ, & publicè peccantibus medicamenta deſignat. Qualiter etiam inceſtuoſus ille, & nondùm pœnitens Corinthius, non niſi ob nefandum, & ſcandaloſum crimen, ſubijt illam ſeparationis ab Apoſtolo ſententiam. Unde eius exemplum ad rem non eſt. Quod ſi adhuc contendat Anonymus S. Pacianum velle quoſcumque indefinitè peccatores ſeparandos, & curandos ferro, & igne; audiat quæſo alium S. Patrem illuſtrioremque, ut qui non tam difficiles ſententias, ac Pacianus, aggreditur, contrarium planè docentem.

9 Is eſt Gregorius Niſſenus, qui duos ordines peccatorum diſtinguens, alios quos vinctos appellat, qui nempe nondum ſoluti à peccato originali, nec per lavacrum regenerati erant: alios autem quos debitores vocat, qui ſcilicet peccatis perſonalibus tenebantur, utroſque alloquitur dicens: *Venit gratia Regis duobus afflictis ordinibus concedens remiſſionem, nempe vinctis liberationem, debitoribus debiti remiſſionem. Et ideo ego quoque ambobus ordinibus convenientem aperio medicinam, & cum magna fiducia polliceor, quod ex diligentia procedet auxilium. Ne quis autem exiſtimet medicinam eſſe magnæ impenſæ, prædico ipſa medicamenta quæ ſunt adhibenda laborantibus. Nam illis quidem promitto ſanitatem per aquam, & lavacrum: horum autem per paucas lachrymas deleo morbum. Eſt enim ſimplex applicatio, & à Deo miſſum donum, & magnus re vera eventus abſque uſtione, & ſectione, à diuturnis liberari vulneribus, quæ paſſi ſumus à morſu Serpentis. Venite ergo qui malis affecti eſtis ad veſtram curationem, neque rem negligatis.* Orat. in V. eos qui diff. Bapt.

Noſt-

10 Nonnulla in his conſideranda ſe offerunt. Primò illud: *Ex diligentia procedet auxilium.* En remedium ex diligentia, non ex dilatione ſperandum. Secundo illud: *Per paucas lachrymas deleo morbum*, quia ſuppoſito quod illæ veræ lachrymæ ſint, opus non eſt longiori, & profluente fletu ad maculas detergendas. Tandem illud: *Abſque uſtione, & ſectione.* Quia quamvis vulnera ſint diuturna, ea tamen remedia vitanda ſunt, quibus forſan potius quam curari, exulcerari continget. Non ſic Queſnellius: ſed ita ſentit Niſenus, & languentes peccatores ad ſanitatem non utique procraſtinandam, ſed continuo recipiendam invitat, provocat.

11 Neque exiſtimandum es S. Carolum Borromæum, Sapientiſsimoſque Cardinales, & Epiſcopos, quos pro ſuo Queſnellio Anonymus allegat, alitèr ſe geſiſſe, ſeu methodum aliam curandi, & Niſeno adverſam docuiſſe. Da namque peccatores verè afflictos, verè que de peccato dolentes, & lachrymantes: quis credat viros illos cenſuiſſe, quod eis non conſolatio adhibenda, ſed addenda ſit afflictio, adque adeo ſæva, qualis eſt unici remedij, & anxiè expetiti prolatatio? Longe id ab illis prudentibus de ſalute peccatorum ſtudioſis, deque diſciplina, & moribus Eccleſiæ beneméritis.

12 Quod in ſuis litteris Paſtoralibus monet S. Carolus, eſt, quod conſuetudinarijs, & renuentibus à luxu, & occaſione peccandi, ſe ſubtrahere, non facile impertienda eſt abſolutio: quia enim minus bene diſpoſiti ſupponuntur, aut inveniuntur, indigni prorſus hoc ipſo habendi ſunt, qui ab eis vinculis ſolvantur, quibus irretiri amant, dum neque ea rumpere, neque eiſdem ex animo enodari deſiderant. Propterea que S. Carolus inſtruit ſuæ Diœcæſis confeſſarios, ne facile abſolvant quos probabiliter iudicant relapſuros, ſcilicet, quorum non vident emendationem aliquam, qui neque efficaci reſolutione occaſiones peccandi cum peccatis relinquunt; neque a luxu, & vita voluptuoſa, vndè illis pronitas ad labendum, ſe abſtinent.

13 Hæc enim omnia circa conſuetudinarios, & recidivos penſanda, & prudenter obſervanda à confeſſario, deſiderant, monentque S. Carolus, & quoquot alij de ædificatione populi Chriſtiani benè ſenſerunt: non autem intendunt, nec feriò intendere poſſunt, quod Queſnellius

enun-

nunciat, ſcilicet, denegandam, aut differendam eſſe abſolutionem his etiam peccatoribus, qui omnino rectè diſpoſiti, nimirum cum efficaci deteſtatione, & dolore de peccatis, cum firmo ſe corrigendi propoſito, cum humili alias, & ſincera eorumdem Confeſsione, illam ardentèr petunt: ſed expectandum tempus, vt curari valeant, ac ſi ad eos ſanandos præſentiſsimum potius remedium tempus ſit, quam ea mutatio dexteræ excelſi.

14 Non inquam hæc via methoduſve, tuta aut prudens eſt, in qua ſupplicium ipſum de peccatis ea dilatione ſumptum, fortaſis ad deſperationem, vel ad maiorem perverſionem, magis quam ad deſideratam ſatisfactionem conducet, vel vt ait S. Auguſtinus: *Ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, vt ea finita, non poſint finire ſupplicium.* Quare prudentiſsimè laudatus Niſenus, in ſuis de hac curatione Canonibus, ait: *Vbique autem hoc in ſupplicij genere, ante omnia videndum eſt, qualis ſit eius cui adhibetur, affectio; & non exiſtimare tempus ad medelam ſuſicere (quænam enim fuerit ex tempore medicina?) ſed eius qui ſibi per converſionem medetur, animum, & inſtitutum.*

Epiſt. 54. ad Macod.

Ad init. Can. 8.

15 Hæc verba ſi obſervaſſet Anonymus ad temperandam ſui Queſnellij Propoſitionem (quod alias videtur intendere ex his quæ in fine ſuarum reflexionum addit) non vtique exiſtimaret tantam temporis rationem habendam, ad medelam peccatoris: neque ita abſolute iudicaret omnium, & quorumcumque debitam diſpoſitionem eſſe à tempore petendam, & expectandam. Sed affectio, animus, inſtitutumque vniuſcuiuſque ſiggilatè, & accuratè expendenda ſunt. Si autem confeſſarius quemquam fictè, aut male diſpoſitum inveniat, ſui muneris erit cor illius ſalubribus monitis excitare, emollire, & accendere: atque antequam ad vltimum remedium, vel ſupplicium denegandi abolutionem deveniat, applicare, & experiri debet ea omnia medicamenta, quæ ad ſuperiorem Propoſitionem, & hoc ipſo ordine ex Auguſtino retulimus, ſcilicet Timorem, conſolationem, admonitionem, cohortationem, diſciplinam, obiurgationem, quæ ſi non ſuficiant, demum adhibendum ſupplicium. Ac tandem de re iſta, & contra Queſnellium plura, & opportuniſsima habet S. Auguſtinus loco ſuprà allegato, ac maximè videndo.

In animad. numer. 1.

§. III.

§. III.

DE TIMORE ET AMORE.

LXI. PROPOSITIO COND.

Timor non niſi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Luc. 20. 19. *La crainte ne arrête que la main, & le cœur eſt livré au peché, tant que l'amour de la juſtice ne le conduit pas.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Epiſt. 145. SANCT. Auguſtinus. *Inaniter autem putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia, & ſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri, ſed ideo non facit, quia impunè non poteſt fieri.*

REFLEXIONES ANONYMI.

P. *Queſnellius hanc propoſitionem enuntiat, eo motivo ſeu occaſione, quia ſcilicet Iudæi cum vellent mittere in Ieſum-Chriſtum manus, timore populi non fecerunt. Suprà quod, & ille ſequentem reflexionem immediate ante verba adducta propoſitionis facit.* Deus meus! Quid eſt cor hominis ſibi ipſi derelictum? Timor Dei, & iuſtitiæ æternæ, nullam ſuprà ipſum vim habet: timor autem hominum, & vnius temporalis calamitatis ipſum frænat, gubernatque. *Quibus videtur P. Queſnellium loqui de timore hominum, non de timore Dei.*

ANIMADVERSIONES.

1 CALLIDE tentat Anonymus hac ſua reflexione excuſare à Lutheraniſmo Queſnellium: ſed inanitèr, atque infeliciter, dum ſequentes de hac re propoſitiones illius non expungit. Quid namque evidentius quam ipſum loqui de timore Dei, cum in propoſitione immediata expreſsè loquatur de timore illius, qui poteſt animam mittere in gehennam? Item, ſequentes eiuſdem inſtituti procedunt de non adimplente divinam legem ſolum ob timorem: de timente, qui hoc ipſo eſt ſub maledicto legis: de illo, qui timore ſupplicij fertur ad deſperationem: de timore repreſentante Deum, vt dominum durum. Et generatim, cum in hac, & reliquis de re iſta propoſitionibus Queſnellius agat apertè de his qui ob peccata timent, qui ob timorem pœnæ à malo abſtinent, legem adimplent, pœnitent, voluntque Deo appropinquare; adeo perſpicuum eſt ipſum loqui de timore Dei, & de timente Deum, vt non niſi ineptiſsima, ac frigida tergiverſatione accipi poſsit de ſolo timore hominum, & de timente tantum homines.

2 Verumtamen nullum aliud vindici Anonymo ſupererat ſubterfugium, quo Queſnellium ſuum a Luthero iurato inimico, & oſſore Sancti timoris Dei, diſtingueret: nimis tamen manifeſtam latebram illi quæſivit, qua propter cum Luthero proculdubio ſapit, dum generatim, & ſine vlla debita diſcretione timo-

rem ſervilem, veluti malum, peccaminoſum pernicioſumque damnat: & vel ex hoc tantum, æquiſsima Cenſura, iuſtoque anathemate, hæc, & ſequentes de eadem re propoſitiones inuruntur.

3 Sed quoniam omnium illarum doctrina, eſt quoddam veluti compendium totius Ianſeniſmi, ceu ex qua ſua dogmata moralia pullulant, ceu ad quam rediguntur, operæ pretium erit eam intimius examinare, & perverſas quas ex illa colligunt propoſitiones perſtringere: quo apparebit, & quam digna damnationis ſit, & quam inconſultò pro ea allegent SS. Patres, ac præſertim Auguſtinum: ac demùm quam temere ſibi blandeantur, plaudantque de ſpecioſo Reformantium mores nomine, & munere.

4 Vtque omne id ea perſpicuitate pateat qua plene ſe convictum fateri poſit quiſquis non omnino factionarius, & pertinax, illa expendere velit; primò, & aliquantò fuſius agam de Timore in ſuis differentijs valdè notandis, & ex SS. PP. ac maximè Auguſtino, & Thoma deſumptis. Inde poſtremo, & preſsius de Attritione ex Timore concepta, aut genita, ſermo erit, quam potiſsimum his Propoſitionibus Queſnellius, cunctique Ianſeniſtæ totis conatibus petunt, quin, & ſubinde Sacramento Pœnitentiæ inſidiantur, vel potius, vt exiſtimo illud de medio tolere ſatagunt.

5 Ante quam ad eam veniamus pauca anteveniunt monenda. Primum, quod quamvis titulus iſtius, §. Sit, *de Timore*, & *Amore*, nihilominus hic nec Queſnellius quidquam exprofeſsò, vt aiunt, de amore habet, niſi in quantum neceſsitatem colligit, amoris, ex repulſo timore: cuius etiam in hoc methodum ſequar, id tantum de amore diſerens, quod ex abiecto ab illo, timore, occurret. Ex inſtituto autem poſtea de amore ſermo erit, ſub ſpeciali, de eo titulo, quem ipſe habet.

6 Secundum. Alia eſt controverſia de attritione cum Queſnellio, & Janſeniſtis, alia cum Theologis, & Doctoribus Catholicis. Prima diſcutit, an ex ſententia Tridentini ſufficiat attritio ad converſionem, & iuſtificationem peccatoris per Sacramentum Pœnitentiæ? Secunda autem quærit, quæ, aut qualis attritio ſi iuxta Tridentinum ad id ſufficiens, & requiſita? Vtramque viſum eſt hic breviter expedire: ſic tamen, vt prioris explicatio ſolis Canonibus, & ſententijs Tridentini in ſuo pro-

proprio ſenſu perficiatur : quæ enim de ſententia illius ſolummodo diſquiſitio eſt, non alijs argumentis, niſi quæ ex doctrina, & verbis ipſius conſtet, terminari poteſt, & debet. Poſterioris autem quæſtionis enodatio his rationibus peragenda eſt, quibus ad enucleandam, & aſſequendam mentem Concilij, fas eſt cordato Theologo, & viro catholico vti, ſalva ſemper, & incolumi Sacri Concilij definitione, & Theologorum aliter impunè ſentientium authoritate.

7 Nam ante omnia obteſtor me vltro adhærere velle, & obedire Decreto S. R. Inquiſitionis ſub Alexandro VII. edito die 5. Maij, anno 1667. prohibenti, ne qui diſquirunt, *An illa attritio quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei? &c. Audeant alicuius Scholaſticæ cenſuræ, alteriuſve iniuriæ, aut contumeliæ notâ, taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur; ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem*. Reverenter, inquam, ac libenter mandatum iſtud amplector, ſuſpicio, eiuſque obſervantiam polliceor, præſertim quando de re iſta noſtra erit cum Authoribus catholicis controverſia.

8 Quoniam quod attinet ad Queſnellium, Anonymum, ac reliquos Janſeniſtas, manifeſtum eſt, quod nequaquam Decreto prædicto ſe protegere poſſunt adverſus æquiſsimas quas merētur cenſuras : tum, quia omnino reſpuunt, & explodunt attritionem omnem, metumque gehennæ, tanquam diſpoſitiones, non tantum inutiles, ſed & incommodas ad Sacramentum Pœnitentiæ, & converſionem peccatoris. Tum, quia non inſuper aliquem actum dilectionis Dei, ſed ſolam prædominantem charitatem deſiderant, vt vera Pœnitentia, & converſio per illam fiat, & habeatur. Ac tandem, quia tam longe abeſt, vt præfato Decreto debitam obedientiam, & ſummiſsionem præſtent, quod potius effrænata licentia debachantur contra vtramque ſententiam, ſive affirmantem ſufficere illam attritionem, ſive vltra deſiderantem aliqualem dilectionem, cunctoſque vtriuſque partis Authores, veluti laxatores, & everſores

totius diſciplinæ moralis ſugillant, traducuntque. Ergò modeſtius cum illis agendum non erat;agemus tamen quantum per zelum veritatis,ſanioriſque doctrinæ liceat.

9 Ad rem igitur venientes. Nemo ex Theologis,Philoſophiſque moralibus eſt, qui non æſtimet tamquam aptam, & convenientem, diviſionem timoris in mundanum, ſeu humanum, ſervilem, initialem, & filialem, ſeu caſtum. Quatuor ſpecies iſtas, aut ſi mavis,quatuor membra timorem dividentia, approbat, & explicat S. Thomas ex vna averſione timentis à Deo, & ex triplici eiuſdem converſione ad ipſum: quia hoc maximè conſiderandum eſt,quando de timore agitur,*ſecundum quod*, inquit, *per ipſum aliquomodo ad Deum convertimur, vel ab eo avertimur.* 2. 2. q. 19.artic. 2.

10 Cum autem timor omnis, ſeu generatim acceptus, refugiat à malo quod formidat, & odio perſequitur: differentia propria quatuor enumeratarum ſpecierum, deſumenda, & penſanda eſt, tum ex motivo,aut ratione ob quam animus fugit à malo, tum & ex modo quo fugam arripit,ſcilicet, ex termino aut fine ad quem fuga ſua pervenit, & adhæret. Si namque quis propter corporis, & vitæ temporalis commoda habenda, ſeu incommoda vitanda, timeat malum quod imminet, ſic ab illo fugiens, vt animo adhæreat omnino his caducis tranſitorij boni commoditatibus, aut voluptatibus, quas vel cupit habere, vel formidat habitas perdere, & quæ à Deo omnino ſeparant, & faciunt timentem recedere ab ipſo: qui ſic, inquam, timet timore purè mundano timet, & ex immodico,ac inordinato ſui amore,fini adhæret,cui adhærere non debuerat; & a fine recedit,à quo nullatenus recedendum erat.

11 Timor iſte mundanus, vitioſus ſemper, & perverſus, necdum Theologis, ſed & Philoſophis eſt, quia cogit amare præpoſterum finem, & turpia quæque eligere, turpiſsimamque averſionem à Deo vel imperat, vel ſuadet. Illum reprobat Chriſtus Dominus eis verbis: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Videlicet, non adeò metuendam eſſe iacturam vitæ temporalis, ex nimio amore iſtius, vt propter illam vitandam, Deus, & vita animæ deſerantur: qualiter qui fidem coram tyrano negaret ob metum tormentorum, & mortis, ſeu alterius iacturæ, ex immoderato amore vitæ, ſeu alterius commodi temporalis con- *Ariſtot. 3. Ethic.capit. 1.* *Matth. 10.*

conceptum; ſic enim Deo ſummo bono, & fini vltimo, præferret minus bonum, & fines non vltimos, contra ea quæ Chriſtus docet: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Et, *qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Et, *qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Et, *qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.*

1. Joann. c. 15. Matt. ubi ſuprà. Luc. 14.

12 Multa habent SS.PP. contra timorem iſtum mundanum omni eorum execratione dignum: qui neque vllam iuſtam excuſationem vnquam prætexere potuit his qui deterriti minis, aut attracti blandimentis tyranorum, & oſtenſis tormentis, aut oblatis commoditatibus, Chriſtum negarunt Quorum nefarium, & infelicem metum multis exprobrant, quæ lubens omnitto, ſufficientem exiſtimans ad eius reprobationem illam S. Bernardi ſententiam: *Convertatur ad ipſum timor tuus, quia perverſus eſt timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum.*

Serm. 2. in cap. Ieiunij.

13 Sed quis hic obiter non videat, quam frivola ſit Anonymi pro ſuo Queſnellio excuſatio, dum intendit ſuadere, ipſum in his propoſitionibus non loqui de timore Dei, ſed de timore humano, vel mundano? Quod vtinam verum eſſet, quamvis ad expoſitionem, & propoſitum ipſius, omninò impertinens foret. Nemo namque ſi res ita ſe haberet, Queſnellium Lutheraniſmi inſimularet. Nemo de errore accuſaret, vel prave de Tridentino ſentientem redargueret. Quis enim vnquam poſſet ſomniare, aut fingere, timorem mundanum eſſe medium aliquatenùs conducens ad reconciliationem cum Deo? Quis adeò delirus, qui ſentiat, aut affirmet, quod timor omnino avertens à Deo, convertat animum ad ipſum: vt ſubindè velit Anonymus perſuadere, quod contra ſic delirantem, tot Queſnellius propoſitiones ſeriò, & ex inſtituto paraverit? Siccine cum chymera pugnantem Queſnellium credamus?

14 Hic igitur humanus timor omnino diſtinguitur ratione averſionis à Deo, ab alijs tribus, nimirùm, à ſervili, initiali, & caſto, ſeu filiali; cum ex adverſò tres iſti, animum timentis, vel actu, vel potencia ad Deum convertant; diverſimodè tamen, ſeu ex motivis penitùs diverſis, aut tendentia diſſimili: in quo ſita eſt illorum ad invicem differentia, & maior aut minor bonitas reſpectivè: quæ om-

omnia quia plerumque confunduntur, tum ab ipſis timentibus ex facili permixtione paſsionum, ſeu affectionum animi; tum ab alijs ea non intimius obſervantibus, vel vt par eſt diſtinguentibus; ex quo quiſque colligit ad nutum, ex SS. PP. ſententias quas iſti alias congrua diſcretione proferunt, ſeu laudantes, ſeu vituperantes timorem, idcircò, & vt omnia dilucidiùs appareant, multiplices horum trium timorum, & præſertim ſervilis, notiones, ſeu proprietates, qua potuero perſpicuitate evoluam.

15 Timor igitur ſervilis, ita dictus, quia ſervitutem ſupponit, eſtque proprius ſervi, ſeu mancipij, aut eſt pœnæ, aut eſt culpæ: aut enim propter metum pœnæ, & ſupplicij, timens operatur bonum, ſeu omittit malum; aut propter turpitudinem culpæ non perpetratur illam, vel commiſsione, vel omiſsione. Rurſus, vel ſic operatur bonum, & omittit malum propter metum pœnæ à Domino infligendæ, quod de hac ſola vitanda tantum curet, neque aliud quidpiam intendat: in hoc, inquam, euentu, timor, & ſi ſervilis ſit, non eſt tamen malus, niſi ad ſummùm negativè, quatenùs, ſcilicèt, non adhibuit actui alium honeſtiorem finem, habetque ſibi præſentem Dominum, quem aliquomodo metu ſuo reveretur, eius iuſtitiam, & ſeveritatem formidans, ob quod ſic abſtinet à malo, vt nullum retineat animum illud perpetrandi: & idcircò metus iſte ſervilis, bonus eſt quoad ſubſtantiam, quia conceptus ex amore non inordinato ſui, quo refugit pœnam, à malo, & opere, & corde abhorret.

16 Quod ſi alias ſic operetur bonum, & omittat malum propter metum pœnæ, vt cum hanc vitandam curat, ſimul retineat animum perpetrandi flagitium ſi pœna non impenderet, vt plerumque accidit in ſervis male moratis, tunc timor iſte turpiter ſervilis, ac malus eſt, quia videlicèt, non ſeriò, & corde deteſtatur malum, ſed imò interius, & quantum in ſe eſt illi adhæret, opereque tantum ab eo abſtinet, ſeu omninò invitus: cuius proinde ſervilitas mala eſt privative, aut poſitive; quæ veluti reflexe intenta, & exercita, malitia ſua dehoneſtat timorem, qui neque vllum bonum ordinem in amore proprio ipſum imperante, neque vllum honeſtum finem habiturum ſupponere poteſt. Quapropter timor iſte, aut nihil differt à mundano, aut certè

certè parum, & ex particulari obiecto tantùm.

17 Idemque, & cum eadem diſtinctione de timore ob turpitudinem culpæ dicendum. Si namque quis horreat illam, & deteſtetur ob ſuam deformitatem, & diſonantiam naturæ rationali, vel ex amore commodi honeſti, putà ſanitatis, aut etiam virtutis, cui illa opponitur, qualitèr dici ſolet, quod nonnulli Philoſophi Ethnici, & maximè Stoici, vitia oderant; ſi quis, inquam, ita culpam metuat, timor illius, & ſi ſervilis, moralitèr honeſtus eſt. Quod ſi alium finem ad eam metuendam, & vitandam habeat, vt vanæ gloriæ, famæ apud homines, honorisve, ita alias, vt niſi ad prædictos fines, vel etiam ad ſui corporis incolumitatem, odium culpæ conduceret, eam nequaquam turpem æſtimaret, amplecteretúrque: tunc iſte ſuæ turpitudinis timor, ex perverſa ſervilitate turpis, ac vitioſus foret.

18 Iam verò quis non videat debere ſic diſtingui hos duos timores ex tam diſsimili ſervilitate diverſos, vt primus laudem, ſecundus vituperium mereatur? Profectò niſi ex hac ſua, & maximè obſervanda differentia habeantur diſcreti, cenſendum erit, quod SS. PP. & præſertim Auguſtinus, crebrò commendantes, & crebrò exprobantes ſervilem timorem, contraria paſsim de illo prædicant, & nimis inconſideratè loquuntur. Verum æque cohærentes eſſe omnes illorum ſententias juxta præfatam explicationem, neque aliter conſtare poſſe, mox apparebit.

19 Interea autem audiendus eſt S. Thomas, tamet ſi ab Anonymo pro ſuo Queſnellio aliquando allegatus, ſed tamen vtramque timoris ſervilitatem luculentèr exponens. Cum enim ex vna parte, aſſerat timorem ſervilem eſſe à Spiritu Sancto, eſſe bonum quo ad ſuam ſubſtantiam, non contrariari charitati, poſſeque quam optimè cum illa, & cum timore caſto conſiſtere: & ex alia parte doceat, timorem ſervilem malum eſſe, & conſequenter non eſſe à Spiritu Sancto, ſed & charitati adverſari: hæc nulla ratione, nulla via componi poſſunt, niſi duos timores ſerviles diſtinguat ex obiecto, ex motivo, & ex diverſa tendentia timentis diſsimiles. 2. 2. q. 19. artic. 4. & 6.

20 Ita planè eſt. Nam vtrumque ſic perſpicuè diſtinguit, deſignatque ex motivo, & modo, quo timens ſe gerit, ferturque in obiectum quod metuit, ex obiecto quod

quod amat; vt neque de mente ſua, neque de re ipſa nobis relinquat vllam, vel dubitandi rationem. Suppoſito namque, quod timor ſervilis cauſatur ex amore proprio, & quod amor proprius poteſt opponi, & poteſt componi cum charitate; ex triplici modo comparandi amorem proprium cum charitate, tres etiam timores diſtinguendi ſunt. Amorē autem proprium ita tripliciter ad charitatem comparat. *Uno modo*, ait, *contrariatur charitati, ſecundum quod aliquis in amore proprij boni finem conſtituit. Alio verò modo in charitate includitur, ſecundum quod homo ſe propter Deum, & in Deo diligit. Tertio modo, à charitate quidem diſtinguitur, ſed charitati non contrariatur, puta cum aliquis diligit ſeipſum ſecundum rationem proprij boni, ita tamen, quod in hoc proprio bono non conſtituat finem.*

Art. in corp.

21 Ex hac triplici tendentia amoris proprij, & triplici comparatione eiuſdem ad charitatem, tres etiam inſurgunt, & diſtinguuntur timores, qui ſigillatim ex Div. Thoma ſunt explicandi: *Sic ergo*, inquit, *& timor pœnæ includitur vno modo in charitate: nam ſeparari à Deo, eſt quædam pœna, quam charitas maximè refugit. Undè hoc pertinet ad timorem caſtum.* En ergo timorem pœnæ correſpondentem amori proprio, quo homo ſe propter Deum, & in Deo diligit: & quemadmodum amor iſte, & ſi proprius, ex illo motivo, & fine ſibi actu, ac rectè conſtituto, in charitate includitur, verèque eſt charitatis amor; ita ſimiliter timor illi correſpondens, quamvis timor pœnæ ſit, quia tamen metus eſt pœnæ prout ſeparantis à Deo, ex hoc iuſto motivo, actu, & exercitè præconcepto, in charitate includitur, eſtque timor, non iam ſervilis, ſed filialis, & caſtus.

22 *Alio autem modo*, ſubiungit S. Thomas, *contrariatur charitati, ſecundum quod aliquis refugit pœnam contrariam bono ſuo naturali, ſicut principale malum contrarium bono, quod diligitur vt finis: & ſic timor pœnæ non eſt cum charitate.* Hic igitur timor prave ſervilis, maluſque eſt, & charitati contrarius, eo quod timens ex motivo, & fine ſeipſum diligendi, refugit pœnam tanquam adverſam bono proprio, quod vltimatè, & proinde perversè, ſibi diligit vt finem. Hinc, & conſequenter, qui ſic pœnam formidat, animo, & corde adhæret his rebus quas imminens pœ-

pœna vetat, vt per ſe patet; quoniam ita timens ex ſolo amore inordinato ſui ipſius, quem vnicè habet pro vltimo fine ſuarum actionum, & paſſionum, omnia, & quælibet bona delectabilia niſi pœna impenderet, diligeret, amplectaretur que.

23 Tandem, tertium timorem ex proprio amore ortum, ſic explicat: *Alio modo timor pœnæ diſtinguitur quidem ſecundum ſubſtantiam à timore caſto, quia ſcilicèt homo, timet malum pœnale, non ratione ſeparationis à Deo, ſed in quantum eſt nocivum proprij boni, nec tamen in illo bono conſtituitur eius finis. Undè nec illud malum formidatur tanquam principale malum. Et talis timor pœnæ poteſt eſſe cum charitate.* Hic eſt ergo timor, qui diſtinctus quoad ſubſtantiam à primo, & caſto timore, eo ipſo ſervilis eſt; ſed non ideò malus, quia etiam ſi refugiat pœnam, in quantum eſt nociva proprij boni, quod timens amat, non tamen in hoc proprio bono ſuum finem actu conſtituit: quia ergo caret hoc inordinato fine, caret & pravitate & per hoc diverſus omninò eſt à ſecundo illo timore ſervili charitati contrario.

24 Quamvis autem hic tertius timor non includat actu charitatem, quia nec in ſe, nec in amore proprio, ex quo naſcitur, refertur actu in finem charitatis; nihilominùs non excludit eam poſitivè, aut contrarie: poteſtque illam includere, quia eſt ad eius finem referibilis: trahit namque ab amore, quo imperatur, hanc indolem, ſeu capacitatem. Etenim amor boni proprij, non diligens, aut intendens iſtud tanquam finem, quamvis actu non referatur in finem charitatis, quia non ſibi iſtum exercitè proponit, eſt tamen in ipſum referibilis: quemadmodum dilectio proximi, quæ actu non ſit ex charitate, & propter Deum, ſed ratione alicuius commodi honeſti; conſanguinitatis videlicèt, ſeu alterius conditionis humanæ, eſt tamen ad charitatem referibilis. Quo exemplo vtitur ibidem Div. Thomas: eiuſdem ergo indolis eſt tertius iſte timor à prædicto amore ortus.

25 Quapropter non ſic illo afficitur timens, vt vel interpretari prudentèr poſſit; quod dum formidat pœnam, animo diligit, vel intendit culpam, ſcilicet, corde retinens amorem illius, quam committeret, niſi pœna deterreretur. Animus namque non adhærens fini, qui in Deum referri non valeat, ſed imò potius

adhærens fini, qui ad Deum poteſt ordinari, nullam hoc ipſo retinet inclinationem ad malum inordinabile in Deum, vt perſe patet: neque vllum præſefert fundamentum, vt tunc iudicari poſsit peccans, aut malum amans, niſi iudicia omninò, aut pluſquam, temeraria liceant.

26 Ergo vt rem paucis adhuc, & clariùs perſtringam, duplex eſt timor ſervilis. Unus malus, quo formidans pœnam, aut culpam, eas fugit ob proprium ſui amorem, intendens, v.g. vel corporis incolumitatem vitando pœnam; vel famæ, & honoris gloriolam, non admittẽdo turpidinem culpæ, ita nimirùm, vt vel vnum, vel alterum amet, tanquam finem ſibi vltimum: talis, inquam, timor omninò perverſus eſt, nihil à mundano diſcrepans, vt qui ex omni obiecto, & motivo ſuo pure humanus eſt; atque ſic timens, non tam fugit pœnam, quam commodum proprium quærit; nec tam odio habet culpam, quam honorem ambit: ex quo, & iure cenſetur retinens culpę, & flagitij amorem.

27 Alius autem eſt timor ſervilis non re ipſa malus, ſed quo ad ſubſtantiam bonus, qui, & ſervilitate depoſita, vt poſtea videbimus poteſt, gradatim perfici. Et hic eſt timor ille, quo quis horret pœnam propter ſuum commodum, vel odio habet culpam propter pœnam ſibi incommodam, vel propter illius deformitatem; ita tamen, vt quemadmodum poteſt quis ſeipſum honeſtè diligere, ſcilicèt, dilectione non perverſe ordinata in ſeipſum, tanquam in vltimum finem, ſed potius ordinabili in Deum; ita ſimilitèr poteſt quis honeſtè metuere pœnam, quia ſibi incommodam, formidareque culpam, quia ſibi turpem, non aliàs habens, vel ſuum commodum, vel ſeipſum, tanquam finem vltimum.

28 Undè manifeſtum eſt, & valdè notandum, quod ita metuens pœnam, aut culpam, non retinet animo, ſeu corde vllam adhæſionem ad iſtam, vt paulò antea diximus: & quia impoſsibile eſt, quod ſeriò, & expreſsè odio habeat pœnam, vel culpam, quia ſibi malas; & ſimul ſeriò, quamvis implicitè, adhæreat culpæ, vel tanquam impunibili, vel tanquam ſibi bonæ, aut delectabili. Præterquam quod, id iam foret adhærere ſibi, & bono delectabili, vt fini vltimo, amore ſcilicèt proprio imperante talem timorem, contra ſuppoſitionem factam ex D. Thoma.

Hi

29 Hi duo timores ſerviles, ex obiectis adeò diverſis diſcrepantes, ſibi vendicant teſtimonia omnia quibus SS. PP. vel laudant, vel vituperant ſervilem timorem. Undè occaſionem errandi arripiunt Queſnellius, Anonymus, & reliqui Ianſeniſtæ, imò, & eorum præcurſor Lutherus, neſcientes, aut nolentes duos prædictos timores ſerviles diſtinguere cum D. Thoma, vt timorem omnem, attritionemque diſponentem ad Sacramentum Pœnitentiæ, veluti invalidum, quin, & vt perniciosum, ac SS. PP. inviſum, exponant.

30 Sed cum ijdem PP crebrò timorem Domini laudibus ſuis extollant, nec tantum timorem caſtum, ſeu filialem, ſed & ſervilem, tanquam honeſtū, & vtilem commendent: vt etiam expreſſæ ſententia, & ex authoritate Sacræ Paginæ, D. Thomas, loco citato, eum eſſe initium ſapientiæ, & expulſivum peccati (ſcilicèt per modum diſpoſitionis) propugnat, dicens: Artic. 7. in corpor. *Timor eſt initium ſapientiæ, aliter tamen timor ſervilis, & aliter timor filialis. Timor enim ſervilis, eſt ſicut principium extra diſponens ad ſapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ diſcedit à peccato, & habilitatur per hoc ad ſapientiæ effectum, ſecundum illud Eccleſiaſt. 1. Timor Domini expellit peccatum.*

31 Cum, inquam, hæc de timore ſervili expreſſe habeat D. Thomas, ſimiliaque de eodem dicant SS. PP. mox videndi; manifeſtè, vel ex hoc liquet non omnem timorem ſervilem eſſe inutilem, eſſe malum, & execrandum. At revera eſt timor ſervilis pravus, ac iure merito ab eiſdem SS. PP. damnatus: ergo hoc ipſo duo timores ſerviles diſtinguendi omnino ſunt, vt videlicèt PP. cohærenti ſenſu, & ſententia loquentes induci valeant: nam non ſine iniuria eorumdem, poſſunt Queſnellius, & Ianſeniſtæ ſic ipſorum teſtimonia allegare, vt quæ dicunt vnum timorem ſervilem damnantes, pro omni timore ſervili execrando temerè, & imprudentèr adducantur.

32 Idque perſpicuè apparebit ex ipſa allegatione textuum. Nam in eo quod pro hac propoſitione Queſnellij affert defenſor Anonymus ex Epiſt. Auguſtini, luce ipſa clariùs eſt S. D. loqui de timore pravo ſervili, vt qui expreſſe ait: *Manere intus cupiditatem cum eo.* Et propterea timentem *reum eſſe, quia vult facere, quod non licet, & non facit, quia impu-*

ni fieri non poteſt. En propriiſſimam pravi timoris ſervilis notionem.

33 Sed nec de vllo alio timore poteſt hæc verba Auguſtini intelligere Anonymus, qui volens preſentem excuſare ſui Queſnellij propoſitionem, propugnat ſenſum omnem eius, de timore purè mundano eſſe: ergo cum ad confirmandam propoſitionem ſenſum prædictum dumtaxat continentem, adducit textum Auguſtini timorem exprobrantis, debet vel ipſe Anonymus iudicare Auguſtinum loqui de eodem timore purè humano, & pravè ſervili, alioqui impertinens ſuo Queſnellio patrocinium conduceret. Verumtamen hoc ipſo, aut inepta eſt excuſatio intendens Queſnellium loqui de timore non Dei, ſed hominum: aut impertinens eſt allegatio Auguſtini expreſsè loquentis de timore non hominum, ſed Dei.

34 Opportuniora in ſpecie teſtimonia eiuſdem, allegat Author Hexaplorum, quæ, & fuere antea alijs Ianſeniſtis grata. Ea, & adhuc cum alijs coniuncta, damus: *Qui,* inquit, *pœna timore, non amore iuſtitiæ opus legis facit, profectò invitus facit. Quod autem invitus facit, ſi poſſet fieri, mallet vtique non iuberi. Ac per hoc legis, quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus eſt cogitatione, & voluntate.* Item: *Sic præcepta qui facit, proculdubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit: mavult enim omnino in animo non facere; ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, vbi ipſe qui præcipit inſpicit Deus.* Rurſus: *Sic profectò in ipſa voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore non peccat.*

In Pſal. 118.

Libr. 3. ad Boniſ. cap. 4.

35 Præterea: *Timore pœnæ faciebant, non amore iuſtitiæ, ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere.* Et alibi: *Qui timore supplicij quod lex minatur, non amore iuſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondùm liber, neque alienus à voluntate peccandi eſt.* Rurſus: *Mandatum ſi fit timore pœnæ, non amore iuſtitiæ ſerviliter fit, non liberaliter, & ideò non fit.* Item: *Inimicus iuſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, ſi eius amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare, nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit.*

Libr. de Spirit. & litt. cap. 8.

De nat. & grat. cap. 57.

De Spirit. & litt capit. 14.

Epiſtol. 114.

De-

36 Denique: *Hic ſpiritus Domini cuius dono iuſtificamur, quo fit in nobis, vt non peccare delectet, vbi libertas eſt; ſicut præter hunc ſpiritum peccare delectat, vbi ſervitus.* His, & alijs eiuſdem generis ſibi nimium plaudunt Ianſeniſtæ, valdèque lætantur defenſores Queſnellij, exiſtimantes ſe concludere ex Auguſtino, timorem omnem ſervilem, malum, illicitum, nefarium eſſe; & propterea attritionem conceptam ex metu gehennæ, aut turpidinis culpæ, eſſe prorſus invalidam, atque inutilem, imò eſſe perniciosam ad iuſtificationem peccatoris per Sacramentum Pœnitentiæ: audentque ſubindè ſententiam Theologorum contrarium affirmantem explodere, exſibilare veluti novam, laxam, aut potius tanquam totius relaxationis, & morum corruptionis originem.

37 At ſuſtineant quæſo paulisper, & ne iudicio adeò præcipiti ferantur, audiant rurſus eumdem S. Auguſtinum, qui agens ex inſtituto de timore ſervili, quem accuratiſsimè diſtinguit à timore caſto, ſeu filiali, ſequentia pronuntiat: *Caſtus timor fratres mei, hoc habet, quia venit de amore. Ille autem timor nondùm caſtus, præſentiam Domini, & pœnas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam. Bonus eſt, & iſte timor, vtilis eſt.*

In Pſal. 127.

38 En timorem nec dum vtilem, ſed etiam bonum, teſte Auguſtino, qui cum caſtus non ſit, ſervilis eſt, vt qui, ait ibidem: *Per charitatem excluditur*, vt qui *non venit de amore*: vt quo timens *non amat iuſtitiam*, ſed dumtaxat pœnas metuit, quas futuras, & peccantibus imminentes vt evitet, *per eum timorem continet ſe à peccato*: qui tamen bonus, & ſi ſervilis, eſt, & conſequenter omnino diververſus ab alio turpiter ſervili, ſcilicet mundano, aut purè humano, qui ex fine, & obiecto ſuo, malus, & perverſus eſt.

39 Agnoſcere ergo Janſeniſta duos timores ſerviles apud Auguſtinum, vt tibi, & Queſnellio abſque aperta contrarietate loquatur. Nam cum in prioribus teſtimonijs, eum alleges dicentem, *inimicum eſſe legis, intus reum eſſe, liberum non eſſe, neque alienum à voluntate peccandi, inimicum iuſtitiæ, non timentem peccare, ſed ardere, qui,* vi-

videlicet metuens gehenam, à peccato abſtinet: hæc proculdubio demonſtrant ita nefarium timorem illum, vt non ſine ingenti Auguſtini iniuria fatearis, quod aliquando cenſuerit, & protulerit talem timorem bonum eſſe, vtilemque: neceſſe eſt ergo aſſirmare, quod duos timores ſerviles omnino diverſos iudicabit eſſe, deſignavitque.

40 Atque ita eos apprimè diſtinctos ex ipſo habebit, quicumque ſincere animadvertere velit, quod neque in hoc poſtremo teſtimonio, neque in toto loci contextu, vnde erutum eſt, & vbi ſic accurate, notiones illius timoris ſervilis tradit, nullum verbum habet de adhæſione timentis ad peccatum, vel ad ſeipſum, & proprium bonum, tamquam ad vltimum finem; quam alias ſæpe inculcat in prioribus teſtimonijs: nec credi poteſt de Auguſtino, quod inadvertenter prætermiſſerit vitium, aut ſignum timoris ſervilis, quod Janſeniſtæ, & Queſnellius exiſtimant potiſſimum, quando ſic ſtudioſe de illo agebat: multò igitur ſatius, ſaniuſque eſt aſſerere, quod illud omniſit, quia timori ſervili, de quo agebat, non quadrabat.

41 Eſt etiam hic notatu dignum, quantum cum Auguſtino, conformis ſtet S. Thomas, diſtinguens, vt vidimus, duos timores ſerviles, vnum perverſum, & contrarium charitati, nempe mundanum, ſeu pure humanum, quia naſcens ex amore proprio præpoſterum finem vltimum ſibi præfigentem, hoc ipſo arguit, aut demonſtrat, timentem retinere voluntatem peccandi, neque à culpa abſtinere, niſi metueret pœnam. Alium, non certò malum, neque contrarium charitati, quamvis ab ea diſtinctum, quia ortus ex amore proprij boni, in quo tamen timens non conſtituit ſuum vltimum finem, hoc ipſo non poteſt cenſeri adhærens corde peccato, aut retinens voluntatem peccandi.

42 Qua perſpicua diſtinctione, & ſana doctrina, habemus cohærentes non tantummodo Auguſtinum, & Thomam, ſed etiam illa ſola poſſunt videri ſibi metipſis conſtantes, plures alij Sanctiſſimi Doctores, qui timorē gehennæ in peccatoribus paſsim tanquam opus bonum laudant, & crebro etiam, veluti pravum opus vituperant. Et quamvis quod attinet ad S. Auguſtinum ſufficere debeat teſtimonium allegatum, libet alia adhuc proferre, quæ cum citatis à Queſnelliſtis can-

eandem præſeferunt repugnantiam, non niſi data diſtinctione, & doctrina D. Thomæ ſedandam.

43 Itaque explicans quomodo lex fuerit per timorem Pædagogus ad gratiam, inquit: *Non ergo legem evacuamus, ſed legem ſtatuimus, quæ terrendo ducit ad fidem. Ideò quippe lex iram operatur, vt territo atque converſo ad iuſtitiam legis implendam, Dei miſericordiam gratia largiatur.* Et alibi: *Ad hoc enim lex iſta præcipit, vt cum in his implendis homo defecerit, non ſe extollat ſuperbia tumidus, ſed ad gratiam confugiat fatigatus: ac ſic eum lex terrendo, ad Chriſtum diligendum Pædagogi perducat officio.* Habes hic terrorem ex lege minitante pœnas, ducentemque, non iam Iudæos, ſed baptizatos, ad fidem, ad converſionem, ad iuſtitiam, præviumque ad charitatem, non autem contrarium, vt qui ad eam Pædagogus eſt.

Lib. 4. ad Bonifac. cap. 5.

De Perfect. Iuſt. cap. 5.

44 Item alibi exponit qualiter ſic timens, & ſi non ſit in perfectione, tendat tamen ad perfectionem, eo quod timor ille *magnum ſit præſidium procedentibus ad ſalutem.* Et inſuper ita hortatur peccatorem: *Fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amare iuſtitiam.* Hortaretur nè Auguſtinus, vt quis hoc ipſo peccaret, dum timore non peccat? Rurſus: *Noli timere pœnam, ſed ama iuſtitiam; nondum potes amare iuſtitiam? Time vel pœnam, vt pervenias ad amandam iuſtitiam.* Idem ipſe ſentit timorem eſſe ianuam, ſeu viam vnicam per quam charitas in animam intrat, dicens: *Si nullus timor, non eſt qua intret charitas.* Et alibi: *Niſi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem.* Iſta ergo quibus Auguſtinus adeò commendat peccatoribus timorem pœnarum, ſat apertè evincunt alium apud ipſum timorem eſſe, præter eum cuius damnationem ex ipſo Janſeniſtæ perſonant.

In Pſal. 5.

In Pſal. 127.

De Catechiz. Rud. c. 5. Tract. 9. in Epiſt. Ioann.

In Pſal. 149.

45 Atque id quoque obſervari poteſt in reliquis SS. PP. Quia enim, vt inquit S. Ambroſius, *timoris quo Deus metuitur, nulla eſt in appellatione diſtinctio*, ex inde facile eſt illorum ſententias cōfundere, & quæ iam in laudem, iam in odium timoris ſervilis dicunt, ſine delectu allegare. Et quidem cum ibidem, & alibi videatur reprobare timorem ſervilem, aliò tamen ipſe (aut alius) eius vtilitatem ad ſalvandas animas prædicat, his verbis: *Cum ergo his*

Lib. 4. Epiſt. 31.

Epiſt. 18.

Lib. 1. de Voc. Gent. cap. 9. *bic timor etiam per quandam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, ſed illa potius, quæ mentem premebat caligo, diſcutitur, ut voluntas depravata prius, atque captiva, recta efficiatur, & libera.* Quamvis ergo fuerit apud Ambroſium aliquis timor ſervilis reprehenſione dignus, eſt & alius timor, etiam ſervilis, ab ipſo laudatus.

46 Similiter S. Gregorius Magnus ſæpe timorem ſervilem damnans, ſæpe etiam illum commendat. Lib. 9. In cap. 11. Job, cap. 41. Nam cum dixiſſet: *In conſpectu tuo iuſtus eſſe non valet, qui tibi non per dilectionem, ſed per timorem ſervit.* Ibid. in c. 9. capit. 66. Item: *Humani generis conditorem, qui adhuc ſerviliter formidat, proculdubio non amat .... nam qui à perverſitatis opere ex timore aſtringitur, perverſa libenter ageret, ſi liceret.* Rurſus: In cap. 1. Job, cap. 64. *Cum adhuc timore bona agit, à malo penitus non receſſit: quia eo ipſo peccat quo peccare vellet, ſi impunè potuiſſet.*

47 Mitto alia, nam hæc ſatis, & ſat grata Janſeniſtis, ac Queſnellio. Sed enim verò non eſt ſolus apud Gregorium timor iſte ſervilis, de cuius ſenſu tantum illi gloriantur. Vtque ab hoc ultimo loco incipiam, audiant quæ ante adducta verba habet. *Benè autem dicitur*, inquit, *timens Deum, & recedens à malo, quia ſancta electorum Eccleſia ſimplicitatis ſuæ, & rectitudinis vias timore inchoat, ſed charitate conſumat.* At timor, quo via rectitudinis inchoatur, & ſi nondum ſit caſtus, & filialis, non eſt ſanè timor ille, quo quis peccat, quia vellet peccare: peccato enim non inchoatur; ſed potius deſeritur omnino via rectitudinis: oportet ergo agnoſcere duos timores prorſus diverſos, ibi à S. Gregorio deſignatos.

48 Sed dilucidius loquitur alio loco, vbi docet qualiter ſit ſonus de ore Dei vis timoris concutientis peccatores, & quo perciti ſe convertere incipiunt, quia, *hoc ante omnia intelligit*, nempè peccator, *quod cuncta quæ agit diſtricta æterni iudicis animadverſione puniantur .... ſonus de ore Dei eſt vis timoris, de ſuperna irruens aſpiratione, quia cum nos de venturis Dominus aſpirando replet, proculdubiò de malè geſtis præteritis terret.* In capit. 17. Job, cap. 17. Ac poſtea ibi exponens textum illum: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore*, &c. Nec quidem eo ſenſu, quo maximè in re iſta illo abutuntur Queſnellius, & Janſeniſtæ, ſub-

ſubiungit: *Ecce converſorum terror vertitur in poteſtatem, quia dum mala ſua pænitendo puniunt, vſquè ad exercendum iudicium aſcendunt, vt hoc in Deo poſſe accipiant, quod prius de Deo ipſi metuebant.* Timor igitur, qui tantum, ac tam mirabilem effectum habet, & ſi ſervilis ſit, non tamen exitioſus, neque S. Gregorio inviſus eſſe poteſt.

In capit. 4. Job, capit. 16. 49 Denique alibi docet, quod *via Dei à timore incipit.* Et rurſus, *quod anchora cordis, eſt pondus timoris.* *In 5. cap. vlt.* Quæ cum non malum, ſed bonum timorem proculdubiò deſignent, apertè evincunt alium eſſe apud S. Gregorium timorem ſervilem pravum, honeſtum alium.

50 Ex alijs PP. moderniotibus, duos tantum allegare ſufficiat, Rupertum nempè, & Bernardum. *Com. In Joan. cap. 14. libr. 12.* Ille namquè cum videatur alicubi timorem ſervilem reprehendere, alibi tamen, & conſequenter de alio, inquit: *Timor iſte pœnalis eſt, cuius cauſa eſt expectatio iudicij, nondum plena ſapientia, ſed ſapientiæ inchoatio, ſicut ſcriptum eſt; initium ſapientiæ timor Domini. Habet tamen non nihil iuſtitiæ, quia de fide procedit, niſi enim quis iudicium futurum cre-* *In Apoc. libr. 1. c. 14.* *dat, non timet: eſt ergo vtilis, dum peccatorem ſollicitum reddit, & ad pænitentiam compellit.*

51 Vtilitates autem iſtius timoris alibi accurate recenſet, poſtquam non perfunctoriè, non obiter, ſed ex inſtituto de illo antea egit. *De Oper. Spirit. Sanct. libr. 9.* Diſtinguit namque quatuor timores, duos malos, vnum nimirum pure humanum, quia neque eſt ex fide, neque ex Spiritu Dei, videlicet, quo quis timeat temporalia incommoda propter amorem ſui, aut proprij commodi. *Cap. 5.* Alium, qui, & ſi ex fide ſit, non tamen eſt ex Dei Spiritu; quia eo timetur pœna æterna, ita per fidem credita: ſed tamen illa metuitur propter inculumitatem propriam, dilectam tamquam finem vltimum: ex quo pravo fine adhibito timor iſte redditur incapax, vt per charitatem rectè ordinetur: atque ita, inquit, *dæmones credunt, & contremiſcunt.* Qui duo pravi timores vt potè mundani, maxime ſerviles ſunt.

52 Duos alios deſcribit timores, bonos ſanè, ſed diſſimiles, alterum ſervilem, liberalem alterum dicens: *Ibid.* *Bonorum differentias timorum ſuprà diximus, quia videlicet alter ſervilis, alter liberalis, alter incipientium, al-*

ter perfectorum eſt. Alter pœnam pavet, alter detrimentum gratiæ cavet: ſed & in hoc differunt, quia alter quidem paſſio, vel perturbatio; alter verò pax, & requies animi eſt. Antea enim dixerat: *Timor ſervilis, qui pœnam habet, incipientium eſt, id eſt, eorum, qui nunc primum ad Deum reſpicere, & gehennæ ignis memores eſſe incipiunt, & ea memoria adverſus peccatum reſiſtere contendunt. Hic non iam ſapientia, ſed tantum ſapientiæ initium eſt, nec adhuc omnino timor Domini, ſed timor mortis, aut certè timor pœnalis, aut anxius dicitur Porrò timor liberalis perfectorum, vel ad perfectionem tendentium eſt.* Cap. 4.

53 In quibus ſat manifeſtæ ſunt utilitates timoris ſervilis: & quod dignum animadverſione in his teſtimonijs ſtatim ſe offert, eſt, quam aptè, quam ſtudioſe definiat Rupertus timorem ſervilem bonum, & honeſtum, vt à pravo humano, & mundano diverſum, atque ſimul a filiali, & caſto diſtinctum dilucide oſtendat. Simulque obſervandum, quod hæc recta timorum diviſio, & explicatio, eſt omnino conformis cum his quæ ex S. Thoma pro fundamento totius præſentis diſcuſsionis præmiſimus.

54 Simillima, aut fere eadem habet S. Bernardus, qui cum alicubi dixiſſet perverſum eſſe timorem omnem, quo aliquid metuitur præter Deum, aut non propter Deum, ne hac ſententia temere vſurpata Janſeniſtæ ad ſuum propoſitum abutantur, audiant, & ipſum, ſic ad Sororem loquentem, vbi de timore ex profeſsò agit: *Volo te ſcire quatuor eſſe timores, videlicet, humanum, ſervilem, initialem, & caſtum.* Explicatoque ex Caſiodoro timore humano, ac reiecto tanquam malo, ſubiungit. Lib. de Mod. Bene viv. Serm. 4.

55 *Secundus timor eſt ſervilis, ut ait Beatus Auguſtinus; cum timore gehennæ, homo recedit a peccato, & omnia bona quæ facit, non propter Dei, ſed propter timorem inferni facit. Ille quaſi ſervus timet, qui bonum, quod facit, non timore amittendi bonum, quod non amat, ſed timore patiendi malum, quod formidat, facit. Ille non timet perdere amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in pœnas inferni. De hoc ſervili timore ait Paulus, non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis, &c. .... Bonus eſt iſte ſervilis timor, & utilis, licet inſufficiens, & imperfectus,*

ctus, per quem creſcit paulatim conſuetudo iuſtitiæ: cum incipit homo credere diem iudicij, incipit timere.

56 In tam præclaro teſtimonio hæc obſervatu digna notamus. Primum, quod ex S. Auguſtino dicit S. Bernardus fere omnia quæ de timore iſto ſervili dicit, immò totidem verbis ipſius loqui videtur, ſi conferantur cum alijs Auguſtini ſupra adductis, vt de ſenſu iſtius S. P. potius Bernardo, quam Queſnelliſtis ſit credendum: ac ſimul, vt de vtriuſque conſonantia, & de cohærentia S. Thomæ cum vtroque, nemini poſsit eſſe dubium. Secundum nota, quod apertiſsime diſtinguit hunc timorem ſervilem ab humano, vel mundano, quos Queſnellius ſeu ignoranter, ſeu malitioſe confundit. Tertium, quod affirmat à timore illo inchoari iuſtitiam, ſeu converſionem peccatoris, quæ per timorem caſtum perficitur. Demum, quod timorem iſtum tametſi ſervilem, pleno ore apellat nedum vtilem, ſed & bonum.

N.

57 Plures alios SS. PP. in eodem ſenſu loquentes, quos hic advocare poſſem, prætermitto alibi allegandos, nimirùm cum ſequentes de hac re Queſnellij propoſitiones, & Auonymi defenſiones confutandas ſuſcipiam. Qui namque hactenus laudati ſunt, quemadmodum apertè confirmant diviſionem timorum factam à D. Thoma, palam evincunt preſentem propoſitionem damnantem abſolutè, & ſub indiſcreta appellatione timorem, non niſi malè conductum ex ipſis ſuffragium habere. Verùm quoniam aſſertio de honeſtate, & vtilitate timoris ſervilis, deque diſtinctione iſtius ab alijs timoribus, detegit planè fallaciam affectatæ doctrinæ moralis Queſnellij, & Ianſeniſtarum; eſtque veluti baſsis, & fundamentum totius diſcuſſionis de Attritione, libet propterea illam etiam argumento inevitabili ſtabilire, & reſponſa eorum quamvis inepta, repellere.

58 Argumentum, quod nec Ianſeniſtæ ipſi vitare poſſunt vt innixum principio ab eis nimium decantato, eſt huiuſmodi. Qui timore pœnarum inferni, orto ex amore proprio non deordinato, ceſſat à peccato, vel dolet ſe peccaſſe, nec timore humano, aut mundano, nec timore caſto, aut filiali tunc ducitur; at re vera timore ſervili tunc agit, ſeu potius male non agit: eſt igitur timor, qui cum ſervilis ſit, non tamen eſt pravus. Conſequentia iſta

O 2 pro-

probatur: non eſt timor pravus, qui oritur, vel imperatur ab amore non pravo; ſed amor proprius, imperans prædictum timorem, pravus non eſt, vt qui ſupponitur non deordinatus: ergò timor ille, quamvis ſervilis, pravus non eſt.

59 Iam verò maior propoſitio præcipui Syllogiſmi, ſit manifeſta. Qui namque timet gehennam ex amore non deordinato, hic, nec ſe, nec bona creata amat tanquam finem vltimum, alioqui ex tam perverſa ordinatione amoris, inordinatus evaderet timor: ergo tunc non metuit timore humano, aut mundano, qui ſcilicèt oritur ex amore, quo quis ſeipſum, aut bona creata diligit tanquam finem vltimum: qui igitur timet pœnam ex amore ſui, quo tamen non adhæreat ſibi, aut rebus creatis tanquam vltimo fini, quod perindè eſt, ac non eſſe amorem deordinatum; non tunc ducitur timore mundano, vel humano.

60 Sed neque etiam tunc ducitur timore filiali, aut caſto, quia & ſi timor ille moralitèr bonus ſit, nondùm eſt bonus, aut perfectus, bonitate, & perfectione charitatis: quoniam licèt poſsit in finem iſtius ordinari, quia caret impedimento præpoſteræ ordinationis; non eſt tamen reipſa ordinatus ad finem illius, quia non eſt timor conceptus actu propter Deum, vel ex actuali amore Dei: atque ideò ſic timens pœnas, & propterea ceſſans a peccato, vel dolens de peccatis, non tunc ducitur timore caſto, ſeu filiali. Eſt igitur timor ille ſervilis, quia diſtinctus à filiali, & caſto. Eſt autem bonus, vt diverſus à mundano, ſeu humano. Eſt item honeſtus, quia non turpiter ſervilis. Non eſt perfectus, quia nondùm filialis.

61 Nec vim iſtius rationis, quæ ex data doctrina Div. Thomæ eruta, aut compoſita eſt, effugere poſſunt Ianſeniſtæ, & Queſnellius, ſine iactura principij, quod ipſi tanquam fundamentum ſuæ doctrinæ moralis nituntur ſtabilire, continetur que in XLIV. Propoſitione Queſnellij, quæ apud Anonymum eſt prima ſub titulo *de amore Dei*, & ita ſe habet: *Non ſunt niſi duo amores, vndè volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: amor Dei, qui omnia* Queſnel. *agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, &, propter hoc ipſum fit malus.*

62 Quamvis ſenſus quem

ſta-

ſtatim, & ex terminis ſincerè intellectis, præſefert hæc propoſitio, ideoque ab Authore intentus, pravus ſit, ac merito damnatus, eo quod condemnat tamquam malum amorem omnem, quo nos, & bona creata diligimus, & conſequenter affirmat malas omnes actiones, & volitiones noſtras quæ ex eo naſcuntur, dum ſcilicet præfatus amor non refert ad Deum re ipſa, quod in ipſum referendum eſt: nihilominus in eo latet principium, cui ratio noſtra innititur, quod ita prehendimus.

63 Actio aut volitio orta ex amore noſtro, & ſi non relato actu, & re ipſa in Deum, referibili tamen ad ipſum, mala nequaquam eſt, ſed immò bona, vtpotè diverſa omnino ab actione orta ex amore, qui nec actu refertur, nec referibilis eſt in Deum: ergo timor gehennæ, ortus ex amore noſtro, & ſi non relato actu, & reipſa in Deum, referibili tamen ad ipſum, malus nequaquam eſt, ſed immò bonus vtpotè diverſus omnino à timore, qui nec actu refertur, neque referibilis eſt in Deum. At ille timor non eſt bonus ex perfectione charitatis, quia amor ex quo naſcitur non eſt charitatis, & nondum eſt actu per charitatem ordinatus, ſeu relatus in Deum, vt ſuponitur: ergo cum hoc ipſo timor prædictus nondum ſit filialis, & caſtus, eſt revera ſervilis, non tamen malus, ſed bonus, & honeſtus honeſtate morali. Hæc conſequentia conſtat, vel ex ipſo principio aſſumpto à Queſnellio, & Janſeniſtis: quia videlicet timor iſte, ſicut, & quivis alius actus, debet eſſe præditus vel ea bonitate, vel ea malitia, qua pollet eius origo, nempè amor, è quo naſcitur.

64 At reponunt ipſi, timorem hunc ſecum trahere ſui originis, & amoris perverſitatem, conſiſtentem in eo, quod non refert ad Deum, quod in ipſum referendum erat. Attamen aſſertum iſtud, quod eſt veluti fons, & origo omnium fermè errorum Janſeniſtarum in quæſtionibus morum, falliſſimum, & intolerabile eſt, vt quod facit æſtimatque perverſas, & peccaminoſas omnes, & quaſcumque actiones, & volitiones, etiam moderatas, etiam obiecti honeſti, ſi aliàs non fuerint actu, & re ipſa ordinatæ, aut relatæ ad finem charitatis: quod quemadmodum à Queſnellio, & Ianſeniſtis petulantèr aſſirmatur, à cunctis alijs ſanum ſapientibus tamquam impijſſimum dogma, non ſemel dam-

natum, & ſemper damnandum, reijcitur, & exſibilatur, de quo alibi.

65 Modò namquè ſat ad illud explodendum erit animadvertere indebitam confuſionem amoris exorbitantis, & adhærentis vltimatè bonis caducis, & volitionum, quæ vt ex illo natæ, habent eandem indolem, eundemque præpoſterum finem; cum amore moderato, non ſic eiſdem bonis adhærente, & cum volitionibus, quæ vt ex iſto ortæ, & habent obiectum honeſtum & carent fine prohibito. Nam priores, vt poſitivè, & privativè inordinatæ, important reipſa impedimentum, ſeu repugnantiam, qua præpediuntur, nedum vt referantur, ſed nec vt poſsint referri in Deum finem charitatis. Poſtremæ autem, vt purè negative, ſeu non actu ordinatæ ad eum finem, habentesque inſuper obiectum honeſtum, nullum planè obſtaculum habent, vt referantur, vel vt valeant in illum referri: ergo ingens eſt inter vtraſque diſcrimen, atque immeritò eadem pravitatis nota confunduntur.

66 Id quod in ipſa propoſitione Queſnellij proximè allegata, vel aſtutè, vel ignoranter factum, inveniet, qui verba illa tantiſper conſideret: *Amor quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus*: quorum ſenſus, & obvius eſt: propter hoc fieri malum amorem, quo nos ac mundum diligimus, etiam ſi parcè, ſi non plus æquo iſta diligamus, quia ſcilicet, non refert ad Deum, quod ad ipſum referendum erat: ita enim poſſet amor noſtri, & mundi referri ad Deum, ſi nempè moderatus foret, alitèr enim, nec referendus, nec referibilis eſſet in ipſum: ergo ſentit apertè amorem iſtum fieri malum, defectu relationis, cuius alias ſit capax; & eodem modo, ac malus eſt amor alius immodicus, & idcircò incapax, qui ad Deum referatur, vel referri valeat.

67 Iniqua igitur confuſione involuit Queſnellius tam diſsimiles amores, & actiones, vel paſsiones ex illis procedentes, cum ſic apertè, ac longiſsimè differant, vt vnus etiam ſi non ſit actu in Deum relatus, eſt tamen ad ipſum referibilis. Alius autem, neque relatus, neque vnquam ad ipſum referibilis ſit. Iſte contrariatur charitati, ille non contrariatur, ſed tantummodò à charitate diſtinguitur, vt inquit Div. Thomas. Cum autem eiuſdem rationis, ſeu conditio-

nis

nis ſint actus ex iſto orti, evincitur timorem gehennæ, qui ex eo naſcitur, etiam ſi adhuc ſervilis, quia nondùm filialis, non eſſe malum, ſed bonum, vtilemque.

68 Reſpondent tamen Janſeniſtæ, timorem gehennæ ortum ex amore apud ipſos perverſo quia charitatis non eſt, vtilitates nonnullas afferre timenti, quas enumerat, & laudat Ioannes Opſtraet Lovanienſis, in ſua *Diſſertatione Theologica de Converſione Peccatoris*, aſſerens ex præfato timore ſervili oriri multiplices effectus, & fructus ad eam converſionem vtiles, atque adeò neceſſarios, vt vix ſine auxilio prædicti timoris ad perfectam converſionem veniatur. Quin, & ibi affirmat: per eos effectus *peccatores ad perfectam charitatem diſponi.* Atque ita nititur explicare, & conciliare loca S. Auguſtini, commendantis, tanquam vtilem, ſaluberrimumque timorem ſervilem, quem alibi tanquam nefarium damnat. *Quaſt. 1. cap. 6. §. 3.*

69 Veruntamen præſtaret potius duos hactenus explicatos timores ſerviles agnoſcere, & diſtinguere ad ſolidiorem concordiam textuum S. Auguſtini, quam adſcribere Doctori Sanctiſsimo doctrinam planè abſurdam, quam Opſtraet cogitur deglutire ex præconcepto propoſito damnandi omnem timorem ſervilem. Apud ipſum namque vnus duntaxat eſt timor gehennæ, iudicij, aut turpitudinis peccati, iſque malus, & perverſus, hoc ipſo, quia non relatus in Deum finem charitatis, & propterea inſufficiens ad converſionem, & iuſtificationem peccatoris etiam cum Sacramento, quam potius, ait, retardat, aut fruſtratur, cum faciat peccatorem non Dei, ſed amori ſui ipſius addictum: quod ex locis S. Auguſtini ſuprà allegatis ſuadere conatur. *Ibi. §. 5.* *Ibi. §. 1.*

70 Hæc cum ita ſe habeant apud præfatum Authorem, mirandum planè eſt, ſeu potius execrandum, quod poſtea velit facere hunc ipſum timorem multipliciter vtilem, ac fructuoſum, atque adeò convenientem ad converſionem peccatoris, vt ſit apta diſpoſitio ad perfectam charitatem. Eſt nè credendum, quod S. Auguſtinus intenderit, vel affirmaverit tam ingens in Philoſophia monſtrum, quale profectò eſt, quod actio, ſeu affectio contrariè pugnans cum forma, ſit ad iſtam congrua, & apta diſpoſitio? Aut ſuffragari poteſt S. Auguſtinus his horrendis in Theologia aſſertis, quod ni-

nimirùm timor, qui ſupponitur exitialis, ſit conducens ad amorem ſanctiſsimum? Turpis timor, ad amorem purum? Quod averſio à Deo, ſit vtilis ad converſionem ad Deum? Separatio ab illo, ad acceſſum, & coniunctionem cum illo? Quod amor perverſus creaturæ, ſit fructuoſus ad amorem ordinatiſsimum erga Creatorem?

71 Hæc proculdubio vt digna ſunt Janſeniſmi, ac Moliniſmi ſectatoribus, indigna prorſus ſunt, ne plus dicam, vt attribui valeant Auguſtino, ab his præſertim qui de penitiori intelligentia ſenſuum illius gloriantur. Sed ad hos ſcopulos maluit appellere Opſtraetius, quam agnoſcere apud Auguſtinum duos timores ſerviles, quorum alterum vtilem, & ad converſionem peccatoris fructuoſum fateretur. Verùm quoniam hoc deturbabat totam illius de neceſsitate charitatis prædominantis operam, oportebat potius vtiliſsimum facere timorem perverſum, facereque fructuoſum amorem proprium immoderatum, idque imponere Auguſtino, vt ſub tanti Doctoris authoritate noniam horreant peccatores, nec malè timere, nec perversè ſe amare, quia quantumvis his actibus avertantur à Deo, ex eiſdem colligent vtilitates, & fructus, quibus ad perfectam converſionem, & charitatem diſponantur.

72 Sed tamen, cum S. Auguſtinus non ſolum dicat, timorem gehennæ eſſe vtilem; verum expreſse, & clarè affirmet bonum eſſe, ſcilicèt verbis illis: *Bonus, & vtilis eſt timor iſte*; vt ſimiliter dicunt Bernardus, & Rupertus, manifeſtiſsimum ſit ipſos non loqui de timore pravo orto ex immodico amore proprio, niſi forſan velit Opſtraet, quod cenſuerint timorem perverſum perverſitate ſua eſſe bonum, quemadmodum ipſe vult nocentiſsimum timorem, ab eiſdem æſtimari vtiliſsimum. Oportet igitur, vt SS. Patrum verba, & ſententiæ conſtent, diſtinguere duos timores ſerviles, alterum bonum, & vtilem; alterum malum, & noxium: primum naſcentem ex amore proprio, ſic moderato, vt in Deum ſit referibilis, & ſi actu non referatur ad ipſum, & propterea vtilis, ac fructuoſus peccatori. Poſtremum autem ortum ex immoderato amore, quo quis ſeipſum tanquam finem vltimum diligat, ex qua inordinatione nec refertur, nec valet in Deum referri, eſtque proinde peccatori pernicioſus.

Sup. [illegible] mer. & [illegible]

Ref.

73 Reſpondebis vlterius. Non eſt timor bonus, & hac appellatione dignus, niſi ſolus timor caſtus: ergo vbicumque SS. PP. bonum dicunt timorem, non ſervilem, ſed filialem, & caſtum deſignant. Verùm hoc parum putum effugium eſt, aperte aliàs repugnans verbis Auguſtini aientis: *Ille timor nondum caſtus*, de quo ſtatim ait: *Bonus eſt, & iſte timor*: Rurſus: timor qui apud ipſum eſt *ad gratiam Pædagogus*, eſtque ianua, aut via, qua *intrat charitas*, quo *incipit homo Deum colere, vt perveniat ad amorem*, & quem *foras mittit charitas poſtea adveniens*, non eſt S. Auguſtino, Ambroſio, Gregorio, Bernardo, & Ruperto, aut alijs PP. eodem modo loquentibus, timor caſtus, aut filialis, ſed ſervilis. *In Pſal. 127.*

74 Atque id ipſum evincit manifeſte ratio deſumpta ex doctrina S. Thomæ. Nam timor non actu ordinatus in Deum per charitatem, quamvis referibilis in ipſum, eſt reipſa alius, ſeu diſtinctus à timore actu, & reipſa in Deum per charitatem ordinato; at huiuſmodi eſt timor caſtus, qui, vt inquit D. Thomas, *includitur in charitate*: ergo timor ille, qui non ſic in charitate includitur, ſed *ab ea diſtinguitur*, quamvis ei non contrarietur, non eſt timor caſtus, ſed prorſus alius ab iſto.

75 Et hinc quaquaverſum Janſeniſtæ volvantur, neceſsè eſt agnoſcant apud SS. PP. timorem quemdam gehennæ, qui nec ſit humanus, nec caſtus; nec ſit perverſus, nec perfectus, ſed inter vtrumque medius; quia namque non oritur ab immoderato, & inordinato amore proprio, & poteſt in Deum ordinari, pravus propterea non eſt, vt timor mundanus; ſed moralitèr bonus, vt ad Deum referibilis: ſed quia tamen non eſt actu (aut ſaltem habitualitèr, vel virtualiter) relatus per charitatem in eius finem, non eſt timor perfectè bonus, qualis eſt timor caſtus, & filialis.

76 Reſpondebis tamen, bonum eſſe non poſſe, nec à SS. PP. laudari timorem, qui verè ſervilis eſt, & dicitur; quoniam teſte eodem S. Thoma: *Timor ſervilis ex parte ſervilitatis habet, quod ſit malus. Servitus enim libertati opponitur* Si igitur timor gehennæ conceptus ex amore proprio quamlibet moderato, verè ſervilis eſt, malus vtique erit, quia eius ſervilitas mala eſt, cuius perverſitate totus timor evadit infectus, & vt à libertate ob ſervi- *Vbi ſuprà art. 4. in corp.*

vitutem deficiens, redditur ſimpliciter malus, quia malum ex quocumque defectu.

77 Huic reſponſioni ex doctina D. Thomæ adornatæ, ex eadem intimius penetrata occurrendum eſt. Dico ergo, ſervilitatem, & iſtius appellationem, non tam propriè competere timori, orto ex amore quo quis ſe diligit, ſed non tanquam finem vltimum; vti competit timori nato ex amore, quo quis ſeipſum, vt vltimum finem diligit. Iſte namque timet, vt propriè ſervus, ſcilicèt, ſervilitate inſeparabili ab eius timore, quia eo ipſo quod ſe amet tanquam finem vltimum, ex quo ſibi timet, facit timorem ſuum, vt omninò privativè inordinatum, quia poſitive ordinatum ad finem præpoſterum, incapacem ſuſcipiendi aliam rectam ordinationem, qua deponat ſervilitatem.

78 Qui autem timet ſibi pœnam, non propterea ſe diligens vt finem vltimum, ſed tantùm vt proximum, non timet, vt propriè ſervus, ſcilicit ſervilitate ab eius timore inſeparabili; quoniam hæc ſic accidit eius timori, ſicuti amori eiuſdem accidit, quod non ſit ordinatus vltimò in finem debitum; at hoc ita eius amori accidit, quod poteſt quamoptimè in eum finem ordinari: Ergo, & timori ex illo orto ita accidit ſervilitas, quod peroptimè poſsit ab ea depurari.

79 Eſt igitur diverſa in vtroque timore ſervilitas. In priori namque eſt ſervilitas privativa, ſicuti in amore proprio illum imperante eſt poſitiva inordinatio. In poſteriori autem eſt ſervilitas purè negativa, ſicuti in amore proprio illum imperante eſt pura non ordinatio in vltimum finem debitum. Eſt ergo prior ſervilitas poſitivè mala, timentem faciens poſitivè ſervum, ſeu privativè non filium. Poſterior autem eſt dumtaxat negativè mala, timentem faciens negativè ſervum, ſeu actu tantùm non filium.

80 Verùm quoniam res iſta difficilis intellectu redditur ex multiplici, ac varia affectionum, & paſsionum humanarum tendentia, indigetque propterea præciſionibus, ac terminis, ſeu vocibus proprijs Scholæ, quibus dilucidiùs explicetur: ſciendum eſt, quod timor pœnæ, ſub hac ratione præciſè, bonus eſt, ſivè non malus, nec privativè, nec negativè: ſub quo conceptu abſtracto, & veluti vniverſali, appellatur à S. Thoma, & Theo-

Theologis, bonus quo ad ſubſtantiam. Sed quoniam hac ſola ratione non poteſt timor reipſa haberi, aut exiſtere, vel ſaltim communitèr loquendo, & humano modo, non ita timor pœnæ habetur, ſine motivo, & fine; exindè neceſsè eſt, quod homo timeat pœnam ex amore ſui, vel Dei tanquam ex motivo, & tendente aut in bonum commutabile, aut in incommutabile tanquā in finem.

81 Iam ergo quemadmodū timor pœnæ bonus quoad ſubſtantiam, præſcindit ab his motivis, & tendentijs, ita etiam accidit illi, quod determinetur per vnum, aut per alterū: eſt namq; timori pœnæ prorſus accidētale, vt & amori proprij commodi, ex quo ille oritur; quod proprium commodum ametur tanquam vltimus finis, vel non vt finis vltimus, ſed tantùm proximus: vndè, & conſequentèr eſt eidem timori accidentale, quod ſit propriè ſervilis, vel tantùm impropriè, ſeu, vt dici ſolet, ſecundùm quid.

82 Cum hac tamen differentia, quod timor pœnæ, qui ſit propriè ſervilis, quia ortus ab amore, quo timens diligit ſuum commodum, & incolumitatem, tanquam vltimum finem, & ſi accidentalitèr exiſtat, ſic nimirùm, vt potuerit antecedentèr non eſſe; ſemel tamen, quod ita fiat ſervilis, vt imperatus ab amore perverſo, non poteſt à ſua ſervilitate propria denudari, manente timore quo ad ſubſtantiam. Et ratio eſt manifeſta. Nam cum ſit pravè ordinatus, ex poſitiva, & perverſa ordinatione ſui amoris, non eſt iam capax vlterioris ordinationis rectæ in vltimum finem debitum, ratione cuius ſervilitatem ſuam deponat: quod perindè eſt, ac timorem prædictum non poſſe tranſire in filialem.

83 Alitèr verò ſe habet timor pœnæ impropriè, & ſecundùm quid ſervilis, ortus nempè ab amore, quo timens diligit ſuum commodum, & incolumitatem moderatè, & non tanquam vltimum finem. Nam non ſolùm primo ita contingentèr exiſtit, quod potuerit antecedentèr non eſſe; ſed etiam poſtquam ſit ſic impropriè ſervilis, poteſt à ſua ſervilitate depurari. Et ratio etiam manifeſta eſt. Quia cum non ſit pravè ordinatus ex aliqua prævia, & perverſa ordinatione ſui amoris in finem præpoſterum, ſed ſolummodo ſit purè negativè, ſeu non actu ordinatus in finem debitum, capax proindè eſt rectæ ordinationis in illum; ratione cuius im-

propriam illam ſervilitatem deponat, & magis ac magis perfici poſsit, mutatus nimirùm in timorem initialem, filialem, & caſtum.

84 Tota hæc vera, & ſolida doctrina fulcitur non ſolùm rationibus inſinuatis, ſed authoritate ipſius S. Thomæ, & ex eodem loco nuper obiecto. Nam in eo articulo inquirens: *Utrùm timor ſervilis ſit bonus?* Affirmativè reſpondet, ductus non minori argumento, quam illo deſumpto ex Gloſſa ad ea verba Pauli: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis, &c.* quod ita ſe habet: vnus Spiritus eſt, qui facit duos timores, ſcilicet, ſervilem, & caſtum: ergo timor ſervilis non eſt malus. Videlicèt, quia nullum malum eſt à Spiritu Sancto.

Art. 4. S. Sed contra.

85 Poſtea autem id magis explicans, ait: *Sic ergo timor ſervilis, in quantum ſervilis eſt, charitati contrariatur.* Habes ergo ſervilitatem alicuius timoris propriam, & charitati contrariam. Contrarietas autem iſta, non in alio ſtare poteſt, niſi in perverſa, & poſitiva ordinatione timoris, oppoſita rectæ, ac poſitivæ ordinationi charitatis, vt ex terminis notum eſt. Hæc tamen ſervilitas, & contrarietas, non eſt de ratione timoris ſervilis, ſed eſt ei prorſus accidentalis, quia timor pœnæ per accidens coniungitur cum ſervilitate contraria charitati, ſeu, quod idem eſt apud S. Thomam, per accidens timet pœnam tanquam principale malum, vel ex amore boni oppoſiti tanquam vltimi finis. Undè ſubiungit: *Obiectum autem timoris ſervilis eſt pœna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis vltimus, & per conſequens pœna timeatur tanquam principale malum.*

Ibi in corpor.

86 Similiter accidit eidem timori, quod coniungatur cum alia ſervilitate, non iam contraria charitati, ſed ab ea tantum diſtincta: qualis eſt cum pœna timetur, ſed non vt principale malum, ſcilicet ex amore boni oppoſiti, in quo tamen non conſtituatur ratio vltimi finis. *Alio modo,* inquit S. Thomas, *timor pœnæ diſtinguitur quidem ſecundum ſubſtantiam à timore caſto, quia ſcilicèt homo timet malum pœnale non ratione ſeparationis à Deo, ſed in quantum eſt nocivum proprij boni, nec tamen in illo bono conſtituitur eius finis, undè neque illud malum formidatur tanquam principale malum.*

Art. 6. in corpor.

87 En duas ſervilitates luculentèr à S. Thoma diſtinctas,

ctas, & explicatas, & quarum prior propria ſervilitas eſt, ſeu timor propriiſsimus ſervi eſt. Poſterior autem impropria ſervilitas eſt, ſeu timor ille non ita propriè dici poteſt timor ſervi, quam nondum filij: appellatur autem ſervilis, quia vt diſtinctus à timore caſto, & filiali, & tendens reipſa in fugam mali ex amore proprio, non alia notione, aut nomine, niſi ſolius timoris ſervilis, deſignari poteſt, quamvis hoc aptius competat timori alio propriè ſervili, & contrario quæ tali charitati. Undè addit S. Thomas: *Iſte timor pœna non dicitur eſſe ſervilis, niſi quando pœna formidatur ſicut principale malum.*

88 Ex hac igitur doctrina S. Thomæ, & ſic accuratius enucleata, ocurritur ſuperiori reſponſioni. Non eſt ergo malus timor, qui & ſi dicatur ſervilis, eius tamen ſervilitas non ita propria eſt, quod ab ea non ſit ſeparabilis: non enim eſt ſervilitas timoris formidantis pœnam vt principale malum, neque orti ex amore proprij commodi tanquam vltimis finis; neque eſt ſervilitas impediens, quod timor quem denominat, ſit ordinabilis in finem charitatis. Quæ ergo caret his perverſitatis notis, non eſt ſervilitas mala, vt mala eſt quæ alterius pravi timoris eſt propria.

89 Neque S. Thomæ ſolummodò præiacta doctrina grata eſt, ſed & cenſeri debet conformis aliorum SS. Patrum locutionibus, & ſenſui. Qui namque modo reprobant timorem ſervilem, modo laudant; iam bonum, iamque malum appellant illum; dicuntvè à charitate pulſum, & alibi cum charitate fæderatum, atque alia ſimilitèr contraria, & pugnantia: cum alias non loquantur de timore pœnæ abſtracto ab omni ſervilitate, ſeu motivo, ac fine proximo, & vltimo, qualitèr nunquam exiſtet; longe enim illi ab his præciſionibus, ſub quibus etiam, nec laudis, nec vituperij dignus eſt timor: ex hinc liquet, quod apud ipſos non omnis timor ſervilis ex hac ſua ſervilitate malus ſit. Oportet ergo, vel vt illorum conſonent ſententiæ, duas præfatas ſervilitates, duoſque ex iiſdem diſtinctos timores agnoſcere, & fateri.

90 Reſpondebis denique. Nullus eſt timor gehennæ, qui hoc ipſo, quod in Deum non referatur, propriè ſervilis non ſit, & conſequentèr malus. Quoniam, cum iuxta S. Auguſtinum, duo tantum ſint amores ex qui- *De Civit. libr. 14. capit. vltim.*

quibus omnia fiunt, videlicèt amor Dei, ſeu iuſtitiæ, & amor creaturæ; charitas, & cupiditas: neceſſumque ſit, quod vel ex vno, vel ex altero amore voluntas operetur; ac tantummodo benè operatur ex amore Dei, malè autem ex amore creaturæ: exinde colligitur, quod malum, quod non ſit, ſivè bonum, quod ſit ex ſolo timore pœnæ; ſolummodò amore creaturæ, & conſequentèr malè, aut perversè fiat: ergo, & timor gehennæ ſemper proprie ſervilis, ſemperque malus eſt.

91 Ita, & nimia confidentia argumentatur Joannes Opſtraet, & quotquot ſolum amorem Dei prædominantem ad converſionem, & iuſtificationem peccatoris ſufficientem dicunt. Sed planè argumentum fallaciſsimum eſt, atque vt ſupra diximus, falſa prorsùs, & digna execratione omnium, doctrina conſtat, vt ex qua ſequitur neceſſariò actiones omnes humanas, non actu à charitate imperatas, & in eius finem relatas, peccata eſſe. Deſipiunt ergo SS. PP. nupèr laudati, qui conceptis verbis timorem ſervilem appellant bonum; vel deſipiat potiùs ipſe Opſtraetius malum appellans timorem non actu in Deum relatum, quamvis in ipſum referibilem.

92 Militat etiam argumentum apertè contra Div. Thomam, qui ad aſſerendum aliquem timorem gehennæ non malum, aſſumit tanquàm medium oportunum amorem creaturæ, à quo ille oriatur, quem ſimilitèr ſtatuit non malum: oportunè, inquam, quia eſt principium omnibus notum, & gratum, atque à nobis non ſemel ſtabilitum, quod talis eſt timor, qualis eſt amor, ex quo naſcitur. Igitur de timore pœnæ non contrario charitati, ſed ſolummodò ab illa diſtincto, ait, differre, non quomodolibet, ſed *ſecundum ſubſtantiam à timore caſto*, quia videlicèt, per illum timetur malum pœnæ, *non ratione ſeparationis à Deo*, qui eſt finis timoris caſti, & charitatis; ſed timetur *in quantum eſt nocivum proprij boni*. Iſte enim eſt finis in creatura poſitus, ſed non vltimate; vnde ſubiungit: *Nec tamen in illo bono conſtituitur eius finis*. *Art 6. in corpor.*

93 Amorem autem, qui iſtius timoris cauſa, & origo eſt, ſic ibi antea explicuerat, quod nempè *à charitate quidem diſtinguitur, ſed charitati non contrariatur*: Si ergo à charitate diſtinguitur, charitatis certè non eſt amor

iſte

ſtæ: ergo erit cupiditatis. Ita planè, quia hi duo amores tantùm ſunt cæterorum origines. At clamat Janſeniſta Perverſus eſt amor iſte, & charitati contrarius, vtpote à cupiditate ortus. Sed contra reponit S. Thomas: non eſt pravus, quia non eſt immoderatus. Non item eſt perverſus quia non ſiſtit in creatura, vt in vltimo fine. Et quamvis charitatis non ſit, ſed cupiditatis, non ideò eſt contrarius charitati, quia etſi actu non ſit per illam relatus, eſt tamen per illam, & ad finem illius referibilis.

94 De quo ſtatim adhibet ſequentia exempla, & in amante ſemetipſum, & in amante proximum, dicens: *Putà cum aliquis diligit ſeipſum ſecundùm rationem proprij boni: ita tamen, quod in hoc proprio bono non conſtituat finem. Sicut etiam, & ad proximum poteſt eſſe aliqua alia ſpecialis dilectio, præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo, dum proximus diligitur ratione commoditatis, conſanguinitatis, vel alicuius alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis ſit ad charitatem.* Contendant igitur neceſsè eſt cum Div. Thoma ſectatores Janſenij, & Queſnellij, propugnantes amorem omnem, qui actu charitatis non ſit, ſed cupiditatis, malum eſſe, & deteſtandum, ſicuti & timorem pœnæ ex eo cauſatum. Nobis autem contrarium ſentiri, & aſſerere placet ſub tanti Præceptoris magiſterio.

Ibi.

95 Neque illi exiſtiment authoritate S. Auguſtini prævalere, quem, vti aſſolent, hic præſertim intempeſtivè, ac temerè allegant. Nam duo illi amores, quos ibi myſticè diſtinguit tanquam duas Civitates, ad quas, ait, ſpectare vniverſum genus hominum, ſunt huiuſmodi: *Amor ſui vſque ad contemptum Dei.* Hæc eſt Civitas terrena. Et *amor Dei vſque ad contemptum ſui:* & hæc eſt Civitas Cœleſtis. Quis verò illicò non videat, quam longiſsimè diſtet à priori amore, amor proprius cauſans timorem gehennæ? Etenim amor moderatus ſui, amor non adhærens creaturæ vt vltimo fini, amor referibilis in ipſum Deum, non eſt profectò amor ſui vſque ad contemptum Dei: longè id à prudentiſsima Auguſtini mente. Et quidem ſi ſic liceret PP. ſententias temere allegare, & ad ſenſum abſonum detorquere, nullum erit dogma quamlibet perverſum, quod ex ipſis non valeat confirmari.

96 Sic igitur fallax iſte mo-

modus arguendi, ac ſemper familiaris Janſeniſtis, detegitur omninò in re preſenti, & exturbatur recta diſtinctione hucuſque adhibita vtriuſque timoris ſervilis gehennæ, & diverſi amoris vnde oriuntur, quo adeò diverſos examuſſim, & fusè etiam, explicare voluimus, quia reliquæ Queſnellij de hac materia propoſitiones eamdem fallacem, & malitioſam confuſionem vtriuſque importantes, debita illorum diſcretione maximè confutantur, eaque ſimul Patrum ſententiæ ſemper conſonæ, & numquam prædictis propoſitionibus faventes inveniuntur. *Diſcernamus ergo iſtos duos timores*, aiebat S. Auguſtinus, *& intelligemus conſonantiam tibiarum.* *Tract. 9. in Epiſt. Ioan.*

97 Iam verò alij duo timores, qui ſuperſunt, nempè initialis & caſtus, facillimè explicantur. Igitur timor initialis medius inter ſervilem, & caſtum, aliquid cum vtroque conveniens habet. Reſpicit enim pœnam, vt ſervilis, ſed aliter ordinatus: movetur autem ex amore iuſtitiæ vt caſtus, ſed imperfectè, & dumtaxat inchoativè, ergo ſic de ambobus participat, vt veluti ex vtroque mixtus, & timeat pœnam, & ex nobiliori motivo inchoata dilectione Dei, illam timeat. Vtque brevius perſtringam, quæ de illo in locis ad marginem notatis habet D. Thomas: per initialem timorem homo recedit à ſervili, & incipit accedere ad caſtum. De quo adhuc, & accuratius infra. *2. 2. qu. 19. artic. 2. ad 4. artic. 5. & 8. numer.*

98 Timor tandem caſtus, qui & filialis dicitur, hoc ſolo nomine ſe oſtentat timorem proprium filij, quo videlicèt Deus timetur vt Pater: quare aiebat Paulus, nos accepiſſe ſpiritum (non timoris ſcillicèt ſervilis) ſed *adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*: quo & quis metuit peccatum, quia eſt offenſa Dei, & pœnam formidat ob ſeparationem à Deo. Eſt igitur totus timor iſte à charitate, & per charitatem in proprium finem ordinatus, caſtus propterea, & ſanctus, quemadmodum caſtus, ac purus eſt amor erga Deum, qui eſt eius origo & cauſa; qui & proinde eſt proprius iuſtorum, & perfectorum, atque ad augmentum charitatis ſic augetur, vt quo purior, ac ferventior eſt amor erga Deum, eo etiam magis, ac magis timor iſte ſanctus creſcit, & augetur.

99 Hinc maximè notandum, quod timor gehennæ ſervilis, non malus, ſed honeſtus, ſervilitatem, deponit atque

atque ita gradatim perficitur, fitque initialis, & tandem caſtus, adhibito ſcilicèt perfectiori, & perfectiori motivo, ratione cuius ſicut melioratur amor timorem cauſans, ſervilitas minuitur, & timor perficitur. Id luculenter exponit S. Thomas per hæc verba: *Duplex eſt timor Dei, unus quidem filialis, cum quis timet offenſam Patris, vel ſeparationem ab ipſo. Alius autem ſervilis, quo quis timet pœnam. Timor autem filialis neceſſè eſt quod creſcat, creſcente charitate, ſicut effectus creſcit, creſcente cauſa. Quanto enim aliquis magis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere. Sed timor ſervilis quantum ad ſervilitatem totaliter tollitur charitate adveniente.* Sic ille, & proculdubiò ex Auguſtino dicente: *Quantum enim illa*, ſcilicèt charitas, *creſcit, ille*, nempè timor, *decreſcit ... maior charitas, minor timor: minor charitas, maior timor.* Charitate igitur timor perficitur, & ſervilitas aufertur, ideò videlicet, quia timor, qui ſervilis erat, fit ex meliori motivo filialis.

Art. 10. in corp.

Vbi ſup.

100 Cum autem non ſtatim, & ſine medio tranſeat timor ab extremo ſervilitatis, ad extremum filiationis, oportet, quod antequàm perveniat ad iſtud fiat initialis, & tunc incipiat depurari à ſervilitate, quæ mox eſt totaliter auferenda: ob id namquè timor iſte medius dicitur initialis, quia inchoans opus, & ſtatum charitatis, hoc ipſo incipit etiam deponere ſervilitatem: quare ſecum ſimul importat, & charitatem inchoatam, & ſervilitatem nondum totaliter depulſam; proptereaque eſt medium de vtroque extremo participans, ſeu aliquid ſimul de illis ſecum habens. Nam revera timet pœnam quod proprium eſt ſervilis; & vltra incipit moveri ex amore Dei, quod eſt proprium timoris caſti: vtque iſte dicitur timor perfectorum, ille eſt & incipientium timor.

101 Igitur hac via, aut progreſſu, connaturali quidem, & conſentaneo, timor ſervilis fit caſtus, dum qui primo metu pœnæ ſe gerebat vt ſervus, Dominum formidans, incipiens poſtea tanquam parvus puer Deum ex oblata benignitate, & miſericordia ſua, veluti riſſu cognoſcere Patrem, timens adhuc, ſed iam ſimul amans, inchoat novum filij ſtatum, dilectione perfecta mox conſumandum. *Timor initialis*, ait S. Thomas, *dicitur ex eo, quod eſt initium. Sed cum & timor ſervilis, & timor filialis*

Art. 8. in corpor.

lis ſint aliquomodo initium ſapientiæ, uterque poteſt aliquomodo initialis dici. Sed ſic non accipitur initialis ſecundum quod diſtinguitur à timore ſervili, & filiali: ſed accipitur ſecundum quod competit ſtatui incipientium, in quibus inchoatur quidam timor per inchoationem charitatis; non tamen ineſt eis timor filialis perfectè, quia nondum pervenerunt ad perfectionem charitatis: & ideò timor initialis hoc modo ſe habet ad filialem, ſicut charitas imperfecta ad perfectam.

101 Hos gradus etiam, quibus pervenitur ex timore ad charitatem, deſignavit ſæpiſsimè S. Auguſtinus, cuius pauca loca ſat ſit modò inſinuare. Ait quippè de metuentibus gehennam: *Habent timorem, & per timorem continent ſe à peccato. Timent quidem, ſed non amant iuſtitiam.* Huc uſque timorem ſervilem deſignat. *Cum autem*, ſubiungit, *per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo iuſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus: & iam incipit homo iuſtè vivere, propterea non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem.* His deſcribit timorem initialem incipientem depellere ſervitutem, & inchoantem caſtum, qui illicò ſuccedit. Undè ſtatim addit: *Excluſus eſt ergo timor à charitate, ſed ſucceſsit timor caſtus.*

In Pſal. 127.

103 De his gradibus alibi intelligit illud: *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*, explicans nimirum, quomodò timor Dei ſit initium ſapientiæ, quia videlicèt ex eo aſcendimus ad amorem, *à convalle plorationis, uſque ad montem pa is.* Sed de hoc teſtimonio fuſius infra. Item alio loco inquit. *Timeat Chriſtianus antequam perfecta charitas foras mittat timorem .... maior enim timor debet eſſe peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium: Sic & timor perducit ad charitatem.* Quaſi dicat, timore ſervili qui maior eſt, peregrinamur: initiali, qui minoris ſervilitatis eſt, appropinquamus fini: & tandem filiali, ſeu caſto, qui nullam habet ſervilitatem, pervenimus ad finem. Sic namque iuxta Auguſtinum, timor perducit ad charitatem.

Serm. 1. de [illegible]

Serm. 2. de Timore.

104 Et ne Janſeniſta, vel Anonymus pro ſuo Queſnellio audeant ipſum de alio timore, ſeu de humano, interpretari, ſubiungit: *Timeat autem Chriſtianus non eos qui corpus occidunt, & poſtea non habent quid faciant, ſed eum, qui habet poteſtatem,*

&

& corpus, & animam in gehennam ignis occidere. Eſt autem alius timor Domini, &c. Iubet ergo Chriſtiano Auguſtinus, timere gehennam, prohibet Queſnellius. Cui rogo potius fides habenda? Profectò non ſolùm timendum, ſed horrendum ſi magis credatur Queſnellio, eo timorem illum damnanti, quia, inquit, Deum repræſentat Chriſtiano tanquam Dominum *durum, imperioſum, iniuſtum, intractabilem.*

105 Sed ſi adeò malum eſt Chriſtianis incutere terrorem gehennæ, & diſtricti iudicij divini, errant planè, aut ſaltem non bene agunt SS. PP. qui ſæpius multis, & compoſitis verbis iſta nobis ob oculos ponunt, ad ea metuenda nos incitant: an propterea volunt repræſentare Deum vt durum, & intractabilem Dominum? Intendit nè hoc S. Gregorius Magnus hortans, vt videamus, conſideremus, penſemuſque tot minas, & pavorem iudicij, totque formidines pœnæ, quas nobis opponit, cum inquit: *Quam diſtrictus Iudex contra hæc veniat, videmur verſatur in mente, quantus ille ſit tanti iudicis adventus: quæ tunc illa ſit hominum Angelorumque frequentia: quanta vi contra reprobos, & ardentia pugnant elementa: quam terribilitèr æterna prodeat de diſtricti iudicatore ſententia... eorumdem pœna reproborum ante oculos voluitur, & quæ ſint gehennæ tenebræ cum gravi amaritudinis obſcuritate penſatur.*

Lib. 17. in cap. 17. Job, cap. 17.

106 Qui, inquam, deſiderat hæc à nobis Chriſtianis (non à Judæis) videri, conſiderari, mente verſari, ante oculos volui, & cum gravi amaritudine penſari, cupit nè proindè, repræſentare nobis Deum tanquam Dominum durum, Iudicem intractabilem, imperioſum, iniuſtum? Nefas. At iſta, & tam patheticè ponderata, ingentem timorem incutiunt. Utique. Quia, *auditio vocis Dei prius in terrore fit, ut poſtea vertatur in dulcedinem: quia antè nos diſtricti iudicij timore caſtigat, ut iam caſtigatos ſuperna dulcedinis conſolatione reficiat.... Quia ergo ſuperbum cor prius terrore concutitur, ut concuſſum in amore ſolidetur.* Ad hæc ergo opportunus eſt terror, aptus eſt horror incuſus, quia ſic ex timente fit animus amans: ſic per ſervilem timorem rectà ad charitatem itur. Id. ibid.

107 Ex hinc iam ad elucidandas duas de attritione quæſtiones ſuperius promiſſas accedo, quod ſuppoſitis hu-

eiuſque dictis, facillimi negotij eſt. Antea tamen auſcultare debemus Concilium Tridentinum: cùm vt appareat mira conſonantia definitionum illius cum ſententijs SS. PP. hactenùs allegatis, & cum doctrina ex D. Thoma traditas; tùm, vt facilior habeatur vtriuſque quæſtionis reſolutio ex præcognita mente, & ſenſu obvio verborum illius.

108 Duobus potiſsimum in locis de re iſta Concilium agit. Primò in decreto de iuſtificatione, ac præſertim vbi *de neceſsitate preparationis ad iuſtificationem in Adultis*; & vbi exponitur *modus præparationis*: atque in Canonibus correſpondentibus. Secundò, in doctrina *de Sanctiſsimis Pænitentiæ, & Extremæ-Unctionis Sacramentis*, vbi maxime *de Contritione*, & ſimiliter in Canonibus. Ex his igitur locis deſumenda ſunt dogmata ad præſens negotium ſpectantia. Animadvertendum tamen, quod in priori loco nullum verbum habet Concilium de Attritione; ſed de Timore tantum, & ſub iſto nomine loquitur: ideò videlicèt, quia ibi ſermo tantùm erat de converſione, & iuſtificatione peccatoris proprijs actibus, & per Baptiſmum rè, aut voto ſuſceptum, peragenda. In poſteriori tamen loco meminit Attritionis, quia ibi ex inſtituto de iuſtificatione peccatoris per Sacramentum Pœnitentiæ agit.

Seſſ. 6. capit. 5. & 6.

Seſſ. 14. capit. 4.

109 Quæ animadvertenda volumus, quia Janſeniſtæ de re iſta loquentes, ſeu ſcribentes, indiſcriminatim (neſcio an ſincerè?) vtriuſque loci teſtimonia allegant, intendentes ſuadere, quod Concilium numquam definivit Attritionem ſufficere ad iuſtificationem, ſed ſimpliciter ad eam eſſe neceſſariam aſſeruit Contritionem, nempe perfectam, imò & quæ apud ipſos ſit prædominans charitas: dumque ita Concilij teſtimonia permiſcent, confundunt planè converſionem, & iuſtificationem peccatoris, quæ fieri poteſt per charitatem, cum eiuſdem iuſtificatione, quæ plerumque fit per Sacramentum Pœnitentiæ. Et hinc nulla etiam facta timoris diſcretione, clamant inutilem, perniciosumque eſſe timorem gehennæ ad converſionem peccatoris; inſufficientem, quinimò & exitialem eſſe Attritionem, ſolamque validam perfectam Contritionem: idque ex Concilio, & ex conſenſione SS. PP. haberi. Atque ita omnia confundentes, propoſitiones, & falſas, & captioſas cóponunt effutiuntque.

Vt

110 Ut igitur res ab his involucris quoad fieri poſsit extricata, reddatur clariſsima, & nè illius illaqueatores ad alium, & alium ſenſum, vt aſſolent, tanquam ad arcanam ſuæ pervicacię anchoram recurrere valeant; exponenda eſt doctrina Tridentini, vt ab ipſo explicatiſsimè traditur in locis allegatis. Et quamvis timor gehennæ, & attritio, ſolo nomine, aut ſono vocum differant, re namque idem ſignificant, vtar tamen cum Concilio ſolo timoris nomine, cum ſermo erit de converſione, & iuſtificatione peccatoris abſolutè: & vtar appellatione Attritionis cum eodem Concilio, quando de peccatoris iuſtificatione per Sacramentum Pœnitentiæ loquar.

111 Ille ergo timor gehennæ, aut turpitudinis peccati, qui, iuxta SS. PP. laudatos, bonus, & vtilis eſt, quique iuxta S. Thomam oritur ab amore honeſto, & referibili in Deum; adeò eſt opportunus ad iuſtificatioņé peccatoris, vt à Sacro Tridentino recenſeatur inter ea media quæ diſponũt, & præparant ipſum ad converſionem. Hæc autem ſummatim, ſed ſuo ordine collecta, ſunt huiuſmodi. Gratia excitans, auxilianſque peccatorem. Fides de revelatis, & divinis promiſsionibus, ac maximè de promiſſa gratia iuſtificante per Chriſtum. Timor divinæ iuſtitiæ, & gehennæ promeritæ, ex cuius concuſsione inſurgit conſideratio divinæ miſericordiæ, & hinc erigitur peccator in ſpem, & fiduciam propitiationis Dei per Chriſtum: atque tunc incipit Deum diligere, & moveri ad odium, & deteſtationem peccati, ad pœnitentiam, ad votum Sacramenti, ad inchoandam novam vitam, & obſervationem divinorum mandatorum.

112 Ex his quaſi partibus, ſeu peculiaribus præparationibus, peractiſque hoc ipſo ordine quo referuntur, coaleſcit vna totalis, & perfecta diſpoſitio ad iuſtificationem: Quare poſt omnium illarum enumerationem ſubiungit Concilium: *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt, &c.* Et inchoans caput, quod immediatè ſequitur, ait: *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur.* *Capit. 7.*

113 Docet propterea Tridentinum timorem gehennæ, quo peccator concutitur, eſſe vnam ex partialibus præparationibus ad iuſtificationem; idque adeò clarè, adeò perſpicuis affirmat verbis, vt nemo, niſi

niſi qui legens non legat, niſi qui intelligens non intelligat, de eo, vel levitèr etiam dubitare poſsit: planeque fateor me neque cogitare, neque fingere poſſe ſenſum alium adhuc violentum, ſed quodammodò apparentem, ad quæ eius verba detorqueri valeant.

114 Quapropter evidens prorſus eſt, quod propoſitiones omnes quibus Queſnellius aſſirmat: *Peccatorem manere addictum peccato per timorem quo concutitur: dumque timet pœnam, peccatum committere, & ex indè reum fieri coram Deo: & ſub lege eſſe ſicut Iudæus, ſi legem adimpleat ex ſolo timore: peccareque, & eſſe ſub maledicto legis, qui ob timorem, malum evitat: ſoloque timore ſupplicij pœnitentia quæ agitur, fieri magis violentam, & eo magis ducere ad deſperationem.* Ac tandem: *Qui per timorem vult Deo appropinquare, ad eum adducitur cum paſsionibus brutalibus, tamquam beſtia, non ſicut filius. Timorque non ſibi repræſentat Deum, niſi Dominum durum, imperioſum, iniuſtum, intractabilem.* Evidens, inquam, eſt, omnes has propoſitiones apertè pugnare cum doctrina Tridentini, vt manifeſtum fiet cuique tantum verba verbis, & ſenſus ſenſui comparanti. Queſnel.

115 Quin, & illas comprehenſas anathematiſmis Concilij, non minori evidentia mecum concludere debet, qui legat, ſeu audiat Canones ſequentes: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema ſit.* At Queſnellius ore pleno dicit: *Timorem gehennæ à peccatore habitum ante iuſtificationem, peccatum eſſe, reum, atque Iudæum facere hominem coram Deo, exiſtentem ſub maledicto legis; quin, & peccata eſſe opera omnia, quæ non fiunt ex amore iuſtitiæ, ſeu quæ non oriuntur ex amore Dei.* Hæc namque conſequenter ſunt ante iuſtificationem, & ante charitatem prædominantem. Item dicit: *Quod quanto quis vehementius nititur timore gehennæ ſe diſponere ad gratiam, tanto ille gravius peccat, & ducitur ad deſperationem.* Quid ergo hic colligendum, niſi quod anathematis fulmine, percuſus iam erat Queſnellius, ante æquiſsimam SS. D. N. Clementis Papæ ſententiam. Nec habet quid dicat, niſi quod iniuſta eſt à Sacro Concilio, & à Supremo Concil. Can. 7.

mo Iudice excomunicatio lata adverſus Lutherum, Calvinum, & Queſnellium, propteteaque non timenda.

116 Sed cervicoſum caput bis feriendum erat. Excipiat ergo aliud vibratum à Concilio fulmen: *Si quis dixerit gehenna metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere: anathema ſit.* Ita Concilium. At Queſnellius conceptis, & petulantibus verbis aſſerit: *Gehenna metum eſſe peccatum, & brutalem paſsionem, ducereque homines in deſperationem.* Quid aliud rogo niſi fulmen ſibi iterum inferendum expectat? Vel ad quem alium ſenſum confugere poteſt, vt anathema evitet, qui videtur ex induſtria, quæſiviſſe verba, & ſignificationem in quæ illud Concilium direxit.

Concil. Can. 8.

Queſnel.

117 Ut igitur his apertiſsimè damnatur Queſnellius, conſequentèr, & æquè manifeſtè ſtatuitur timorem gehennę, eſſe vnam ex partialibus præparationibus à Tridentino requiſitis, & enumeratis ad iuſtificationem. Neque minùs exploratum eſt, timorem prædictum neque eſſe purè humanum, neque eſſe caſtum. Non enim eſt humanus, vel mundanus, timor quem Concilium docet, & definit non eſſe perverſum, nec peccatum. Non item eſt timor caſtus, quem deſignat præcedentem ad odium, & deteſtationem peccati ex charitate, & dilectione Dei: eſt igitur timor ſervilis ab vtroque diſtinctus, vel eſt timor initialis, de quo poſtea, qui peccatorem ad iuſtificationem præparat ex Concilij mente, & doctrina omninò cohærenti cum adductis ex SS. PP. ſententijs.

118 Cum autem poſtmodum Tridentinum agit de iuſtificatione peccatoris per Sacramentum Pœnitentiæ, doctrina penitùs conſentanea, vt *Seſſ. 14.*
par erat, imò quæ eadem prorſus eſt, rem explicat, & definit. Expoſitis namque primò partibus Sacramenti, ex quibus Contritio, Confeſsio, & Satisfactio, actus proprij ſunt pœnitentis; pergit explicare Contritionem, ad quam totum negotium præſens devolvitur. Et primò advertendum eſt, quod hic nomine Contritionis comprehendit omnes illas partiales præparationes ſuperiùs ex ipſo Concilio enumeratas, quapropter eo nomine integram, & totalem diſpoſitionem peccatoris ſignificat. Idque expreſsè docet,

cet, dicens: *Declarat igitur Sancta Synnodus hanc Contritionem non ſolum ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.* Quamvis ergo expreſſam mentionem non faciat de gratia adiuvante, de Fide, de Timore, de Spe, de Fiducia, & de inchoata dilectione, cenſendum eſt, hæc omnia Contritione, peccatorem cum reliquis diſponente, comprehendi.

119 Utque procul ſit omnis æquivocatio, ſecundò advertendum eſt, quod quamvis Contritio ex his omnibus conſtans, ſit perfecta, id eſt integra, aut totalis diſpoſitio; non tamen eſt perfecta Contritio, ſcilicèt, perfectione charitatis, ſeu, vt loquuntur Theologi Scholaſtici, nondùm eſt charitate formata, quod ſimiliter ſignificatur apertè ab ipſa Sancta Synodo, dicente: *Docet præterea, etſi Contritionē hanc aliquandò charitate perfectam eſſe contingat, &c.* Non ergo ſemper eſt iuxta Concilium Contritio perfecta, illa quæ eſt integra, & totalis diſpoſitio, vt peccator iuſtificetur per Sacramentum, quia videlicèt, non eſt à charitate imperata, & per illam formata: imò nec talis poteſt eſſe tunc quando à peccatore elicitur, vt per ſe liquet. *Ibi.*

120 Non autem propterea exiſtimandum eſt, quòd cum poſtea loquitur Concilium de Contritione imperfecta, velit hac appellatione deſignare Contritionem illam coaleſcentem ex omnibus alijs præparationibus ſingularibus nuper recenſitis, quam imperfectam dicat, quia nondum eſt charitate perfecta. Non, inquam, ita eſt: ſed Contritionem imperfectam vocat vnam ex illis particularibus præparationibus peccatoris, ſcilicèt, concuſsionem cordis ex concepto timore gehennæ, quam Attritionem appellari dicit, quamque deſignat manifeſtè, his verbis: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur.* *Ibi.*

121 Ne igitur res confundatur, vt fit a pleriſque, & maximè à Janſeniſtis, triplicis Contritionis ibi Concilium mentionem facit. Primò, Contritionis comprehendentis ſingulas præparationes ſuprà ex ipſo memoratas, quæ propterea eſt integra diſpoſitio peccatoris accedentis ad Sacramentum Pœnitentiæ, & de hac ait Concilium: *Fuiſſe quovis tempore neceſſariam ad impetrandam veniam peccatorum.* Secundò *Ibi.* me-

meminit Contritionis perfectæ, nempè illius, quæ vel imperatur à charitate, vel charitate formatur, vel per illam in proprium finem ordinatur, atque ita eſt, & dicitur Contritio charitate perfecta. Tertiò, ac tandem agit S. Synodus de Contritione imperfecta, quam Attritionem appellari dicit.

122 Iam ſolam Contritionem perfectam, non tamen vtcumque, ſed charitate prædominante, ſufficere ad converſionem, & iuſtificationem peccatoris, contendunt Janſeniſtæ, & præſertim moderni Lovanienſes. Verùm quamvis illa non ſit à charitate dominante habitualitèr, vt ipſi volunt, libentèr conſentio, atque non ab ipſis, ſed à Sacroſancto Concilio edoctus, fateor, Contritionem hanc perfectam *hominem Deo reconciliare, antequam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur.* Et vlterius fateor (nam, & hoc docet S. Synodus, velint, nolint Janſeniſtæ) *Ipſam nihilominus reconciliationem, ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

123 Prima autem Contritio nondùm charitate perfecta, vel formata, ſed tamen integra, ſeu conſtans ex reliquis præparationibus, reijcitur ab eiſdem Janſeniſtis, vt indebita diſpoſitio, & inſufficiens præparatio ad iuſtificationem per Sacramentum Pœnitentiæ. Sed tamen Tridentinum aſſerit illam eſſe vnam ex partibus, & materiam Sacramenti, eiuſque motum, *omni tempore neceſſarium ad impetrandam veniam peccatorum*: atque in homine lapſo poſt Baptiſmum *præparare ad remiſſionem peccatorum.* Cum qua doctrina illicò ſe offert prædictum aſſertum Janſeniſtarum pugnans.

124 Neque erit qui non agnoſcat illud ſequenti Canone directè impetitum: *Si quis negaverit ad integrã, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicèt, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, &c. anathema ſit.* At quicumque Janſeniſta negans Contritionem nondum per charitatem formatam, eſſe ſufficientem diſpoſitionem, vt peccatori accedenti ad Sacramentum Pœnitentiæ remittantur peccata, negat planè illam eſſe quaſi materiam, & partem Sacramenti: ex quo, & neceſſario negat, aut negare cogitur, eam requiri ad præ- *Seſ. 14. Can. 4.*

R di-

dictam peccatorum remiſsionem. Nulla igitur tergiverſatione, nullo quæſito, aut excogitato novo ſenſu, telum anathematis ſubterfugere poteſt.

125 Ultima demum Contritio in quam agmine facto cuncti Janſeniſtę irruunt, & Queſnellius tot ſuas in præſenti propoſitiones dirigit, eſt illa quam Tridentinum appellat *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur*: atque concepta ex timore gehennæ, vel ex conſideratione turpitudinis peccati, ita cor peccatoris concutit, vt per illam reddatur attritum, & partialiter per eam ad converſionem, & iuſtificationem per Sacramentum præparetur.

126 Contra hanc, inquam, linguas ſuas acuunt Janſeniſtæ, propoſitioneſque Queſnellij tendunt, quia, inquiunt, timorem purè ſervilem præſefert, & propterea ſemper apud ipſos pravum, à SS. PP. multis damnatum, proprium mancipiorum, & Iudæorum, qui acceperunt ſpiritum ſolius ſervitutis, alienum prorſus a viris Chriſtianis, qui accipimus ſpiritum adoptionis filiorum; qui & expectans ad fœdus antiquum, hominem tenet ſub maledicto legis, infirmum, impotentem, magiſque peccatorem. Hinc, aiunt, Contritio imperfecta, ſeu Attritio ex illo orta, extorta, atque coacta eſt, non libera, non voluntaria, nullumque propterea de peccatis dolorem verum, ſed fictum, ſed ſimulatum cauſans; vt cum qua ſimul ſtat voluntas peccandi, ſi pœna, aut turpitudo peccati non terrerent. Quarè concludunt, Attritionem iſtam nullo modo poſſe hominem præparare ad remiſsionem peccatorum, & gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ obtinendam. *Reſpul.*

127 Omnia hæc à Janſeniſtis contra Attritionem coacervata probra, diluta manent vna ſola timoris ſervilis boni, honeſti, & vtilis explicatione, & commendatione hactenùs ex SS. PP. adhibita. Modò quod è rè noſtra eſt, dabimus plenam confutationem prædictorum omnium, ſola doctrina Sacri Concilij, conſona aliàs SS. PP. ea planè redarguentis, & damnantis, noſtraque aſſerta planè confirmantis, vt notulis ad maiorem evidentiam inter eius lineas appoſitis conſtabit.

128 *Illam verò Contritionem imperfectam*, inquit Tridentinum, *quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum* *Conc. ſeſſ. 14. cap. 14.*

rum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ hic advertendum, quod Concilium diſtinguit, aut ſat diſtinctum deſignat, timorem ſervilem excludentem voluntatem peccandi, à timore ſervili illam includente, & conſequentèr perverſo, qualitèr ex SS. PP. & S. Thoma eos diſtinctos præmiſsimus.

119 De priori ergo loquens S. Synodus *declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verumetiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum* (ita & PP. ac S. Thomas laudati) *non quidem inhabitantis* (vnde hic timor nondum eſt caſtus, hæc Contritio nondum eſt charitate perfecta) *ſed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat.* Ita Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, Bernardus, & Rupertus ſuprà citati.

N. 48. & N. 37. & ſeq.

130 *Et quamvis*, ſubiungit Tridentinum, *ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Pudeat Queſnellium tot ſuis propoſitionibus contradicere inverecundè Concilio. Erubeſcantque Opſtraet, & reliqui Janſeniſtæ, aſſerentes petulantèr Concilium reijcere Attritionem, veluti inſufficientem diſpoſitionem ad iuſtificationem peccatoris per Sacramentum, vt maximè contendit Author Libelli ipſis gratiſsimi, cui titulus: *Eclairciſſement de cette celebre, & importante queſtion, &c.* Qui olim tot turbas, tempeſtates, & bella, etiam poetica, movit in Belgio, hodieque excitat in Gallia.

Concil. ibi.

131 Poteſt nè Concilium clarioribus verbis ſe explicare? Aut ſi iſta non perſpicuè, non apertè, nobis ſuam mentem manifeſtant, quænam, amabo, expreſsiora erunt ad dogmata Fidei, & morum nobis tradenda? Profectò, ſi alitèr liceat Concilium interpretari, aliumvè, & contrarium ſenſum ex verbis ipſius eruere, non iam mirer, ſi me metipſum dum hæc ſcribo Janſenizantem Janſeniſtæ dicant.

132 Adhuc autem eis omne effugium præcludit ſequenti, quod ſtatim adhibet exemplo, in confirmationem, & declarationem ſuæ mentis. *Hoc enim timore*, inquit, *vtilitèr concuſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino im-* *Ibi.*

petrarant. Ergo timor, ſanè ſervilis, vtpotè conceptus ex auditu prædicationis terroribus plenæ, vtilis fuit, vt Ninivitæ pœnitentiam agerent, ſufficienſque fuit, vt à Deo impetrarent miſericordiam, teſte Concilio, ac tam accuratè, tam circunſpectè loquente, vt hìc noluerit dicere *Attritionem*, ſed *Timorem*, quia nimirum ſermo erat de Ninivitis reconciliandis, ſed non per Sacramentum Pœnitentiæ, iuxta id quod alibi notavimus.

133 His à S. Synodo ſtabilitis, vniverſam doctrinam ſtatutam ſequenti periodo claudit, & Queſnelliana, ſeu Janſeniana dogmata in anguſtiſsimam formulam concludit: *Quam obrem, falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre: quod nunquam Eccleſia Dei docuit, neque ſenſit. Sed & falsò docent, contritionem eſſe extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam.* In capita illorum hæc abeant, qui ſe iactant morum Reformatores, qui audent Catholicos Theologos appellare laxatores, qui ignorant aliquem timorem ſervilem eſſe motum bonum, & vtilem, qui Eccleſiæ imponunt, quod nec docet, nec ſentit: & qui tandem temerè exponentes SS. PP. ac maximè Auguſtinum, aiunt, Contritionem imperfectam, ſeu Attritionem, eſſe extortam, eſſe coactam, non liberam, non voluntariam, quia non cor, ſed manum tantùm cohibere facit timor numquam liberalis, ſed vndique ſervilis.

Concil. ibi.

134 Adverſus glorioſos iſtos ignorantes, impoſtores, temerarios, Sacrum Concilium ſequenti Canone perverſa eorum aſſerta rursùs comprehendente, anathematis ſententiam pronuntiat, dicens: *Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſsionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis cogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſsionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum, & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: demum illum eſſe dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium: anathema ſit.* Can. 5.

135 Quibus cuncta Janſeniſtarum commenta, propo-

poſitiobeſque Queſnellij de re iſta, & quæcumque iniqui illius defenſores, invitis SS. PP. eorum ſententias perverſè, & violento ſenſu extorquentes, vertenteſque in vitium bona, allegant; profligari, & penitus confundi, proculdubiò fatebitur quiſquis tantummodò dogmata dogmatis conferat. Non eſt enim vllius laboris negotium ad Sacri Concilij ſtateram, ad SS. PP. trutinam, verba verbis comparata, ſenſum ſenſui collatum, examinare, & caſtigare. Supereſt igitur, vt omnes debita reverentia ſuſcipiamus, & acceptemus tanquam Sanctiſsimam, æquitatiſque, ac iuſtitiæ plenam, cenſuram, & damnationem à SS. D. N. Clemente XI. Supremo à Iure Divino veritatis, & S. Concilij Vindice, & Defenſore, per Sacroſanctam Conſtitutionem, quæ incipit *UNIGENITUS*, contra aſſerta adeò nefaria latam, & vel per quam ſolam iam licèt meritis expendere cauſam.

136 Hucuſque diſcuſsimus priorem contra Janſeniſtas Controverſiam, de vtilitate Attritionis ad iuſtificationem peccatoris per Sacramentum Pœnitentiæ iuxta mentem Concilij: manetque exploratum, quod exiſtimaverit timorem gehennæ eſſe opportunam præparationem ad gratiam obtinendam, Attritionemque eſſe diſpoſitionem congruentem, vt peccator per Sacramentum Pœnitentiæ iuſtificetur. Idque, & nihil amplius cauſa illa vt expediretur, poſtulabat. Ad aliam ergo accedimus quæſtionem longè diverſam, & inter Theologos Catholicos Concilio obedientes agitatam, enodandam, vt cuius diſcuſio etiam ad pleniorem confutationem Queſnellij, & ſequacium maximè conducit.

137 In qua diſquirendum eſt: *Quiſnam ſit timor gehennæ præparans, & quomodò, hominem ad iuſtificationem?* Et *quænam ſit Attritio diſponens, & quomodò, peccatorem ad gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ habendam?* Circa quæ quæſita, multa multi dicunt, ſeu varia ſunt Theologorum placita. Ea autem, atque etiam impugnationes ſententiarum diſplicentium, lubens omitto, contentus nimirùm ſi quam exiſtimo graviorem, tutioremque in re tanti momenti ſententiam, vt potuero ſolidè, quamvis breviter, ſtabiliam.

138 Antea id tantùm præmittendum duco, nullam eſſe dubitandi rationem, neque vllo modo procedere diſcep-

ceptationem de Timore, aut de Attritione purè naturali, ſed tantùm de ſupernaturali, de ea nimirùm, quæ vt loquitur Concilium, eſt donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus, ex motivo ſupernaturali, præeunte fide, & adiutorio ſpecialis gratiæ per Chriſtum concepta. Cum enim ſit principium cunctis Philoſophis, & Theologis notum, quod omnis diſpoſitio debet eſſe eiuſdem ordinis, cuius eſt forma ad quam diſponit. de ſolo proinde timore ſupernaturali, de ſola ſupernaturali Attritione poſſumus dubitare, an ſint præparatio, & diſpoſitio ad formas, & effectus adeò ſupernaturales, quales ſunt remiſsio peccatorum, iuſtificatio, gratia, & Sacramentum?

139 Quapropter ſi concipiatur Attritio ex conſideratione turpitudinis peccati, hæc turpitudo comparanda eſt per oppoſitionem cum honeſtate ſupernaturali, & pulchritudine virtutum: vel conſideranda, vt eſt offenſa Dei; nihil enim eſt turpius in peccato fœdiſsimo, quam eſſe Dei offenſam. Si tamen ſit timor gehennæ, concipitur ex fide ſupernaturali credente pœnas æternas, & potiſsimùm maiorem harum, quæ in perpetua amiſsione ſummi boni, & ſeparatione à Deo conſiſtit. Atque ita Timor, & Attritio; tum ex principio, tum ex motivo ſuo, ſupernaturales evadunt, opuſque ſunt divinæ gratiæ auxiliantis, quia, vt inquit S. Ambroſius, vel Alius: *Gratia Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis.* Lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 9.

140 Quo ſtatuto, ſententiam, quam in iſta celebri controverſia tenere me cogit authoritas Sacroſancti Concilij, & SS. PP. quamque ſemoto omni præiudicio, & partium ſtudio, iudico probabiliorem, ſecurioremque, ingenue, & quantum valeo, accuratè explicatam, ſequentibus aperio. *In iuſtificatione ſine Sacramento, timor ſervilis gehennæ bonus, & honeſtus, eſt ad eam peculiaris apta præparatio. Eſt autē primo præparatio diſtans, aut remota; fit tamen proxima, & immediata poſtmodum, quando ſcilicèt, idem timor ſervilis fit initialis.* Similitèr: *In iuſtificatione cum Sacramento Pœnitentiæ, Attritio concepta ex cōſideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ, etſi ſervili, honeſto, eſt peculiaris congrua diſpoſitio ad eam. Eſt autem primo remota, aut diſtans diſpoſitio; quæ tamen poſtmodum fit proxima, & im-*

mm-

mediata, quandò, ſcilicèt, timor ex quo concipitur, ſit initialis, & Attritio ſit, & denominatur Contritio imperfecta.

141 Rem ſic à me conceptam, & explicatam, tradit expreſse, niſi plurimum fallor, Tridentinum: nam ſuppoſito, quod docuerit, omninò cohærentes vtramque iuſtificationem, vt par erat, & vt ſuprà notavimus; non alitèr cenſendum eſt, quod Timor, & Attritio ſint præparatio, & diſpoſitio ad iuſtificationem, niſi quatenus docet, peccatorem per Attritionem, & Timorem, ad iuſtificationem præparari, & diſponi.

142 Verba autem Concilij deſcribentis modum præparationis peccatoris ad iuſtificationem, notulis alias, vt penitùs perpendãtur interpuncta, ſunt huiuſmodi: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti* (ſic gratia principalitèr præeminet in omnibus iuſtificationibus vt inquit S. Ambroſius) *Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum* (adverte motum non coactum, non extortum, ſed liberum, & voluntarium) *credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt* (nempè Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, ſimulque eſſe Iudicem, & paratas habere peccatoribus impœnitentibus damnationem, & pœnas æternas) *atque illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionẽ, quæ eſt in Chriſto Ieſu* (quia, videlicet, tam iuſtificatio ipſa, quam omnia, quæ ad eam conducunt, nõ niſi per gratiam, & ex meritis Chriſti habentur.) Per iſta igitur deſcribit Concilium Deum prævenientem iuſtificationem peccatoris donis ſuæ vocationis, gratiæ, fidei ſupernaturalis, & applicationis meritorum Chriſti. His namquè Deus gratuitò totum illius negotium inchoat, iuxta illud: *Converte nos Domine ad te, & convertemur.*

143 Sed quoniam oportet, vt tot donis, & auxilijs peccatores reſpondeant, iuxta illud etiam: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, ſe nimirùm præparando, & diſponendo: incipit proptèrea Concilium ſtatim enumerare illorũ præparationes, & diſpoſitiones, ſubiungens: *Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur* (hic eſt timor ſervilis, aliàs honeſtus, vtilis ad Attritionem, & concuſsionem cordis, qua incipiunt peccatores divinæ gratiæ reſpondentes, *Ibi, cap. 1.*

ſe

ſe ad iuſtificationem præparate) *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium forè* (poſt timorem ſcilicet, & concuſsionem, ſuccedunt actus ſpei, & fiduciæ applicationis meritorum Chriſti, & remiſsionis obtinendæ per illa) *illumque tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt* (ſcilicet, timor ille ſervilis, quo peccatores incipiunt ſe præparare, fit poſtmodum timor initialis, ſeu quod idem eſt, initium dilectionis) *ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem.*

144 Quo tandem conſummantur omnes peculiares præparationes, moduſque ordinatiſsimus illas peragendi: & quibus peractis, manet peccator totalitèr diſpoſitus ad iuſtificationem. Quam totalem diſpoſitionem confirmat ſtatim Concilium expreſsis textibus Sacræ Paginæ, ſingulas illius partes enumeratas commendantis.

145 Iſtæ ergo, vt iterùm eas ſummatim, & ſuo ordine colligam, ſunt, I. Fides liberè adhibita divinis promiſsionibus, & comminationibus revelatis. II. Timor gehennæ, aut horror turpitudinis peccati. III. Spes, & fiducia veniæ propter Dei miſericordiam, & per merita Chriſti obtinendæ. IV. Inchoatio dilectionis Dei, ex quibus habetur perfectum odium, & deteſtatio efficax peccati. Quæ præparationes, hoc ipſo ordine, quo à Tridentino recenſentur, concurrunt abs dubiò, & conducunt ad iuſtificationem, & ad gratiam per Sacramentum obtinendam; alioqui non modum præparationis, ſed præparationes ſine modo, & ſine ordine confuſas tradidiſſet Concilium.

146 Iam verò ex hoc ipſo liquet manifeſto, quod timor gehennæ, quo peccator primo concutitur, & atteritur, vna eſt ex his præparationibus; ſed cum præcedat reliquas, manifeſtum etiam eſt, quod illa diſtat magis, quam aliæ a iuſtificatione: eſt ergo ad iſtam præparatio, ſed tunc remota, tunc ſcilicet, quando timor ſervilis eſt. Verùm quoniam eius ſervilitas paulatim depuratur per actus ſequentes, & proximiores præparationes, nempè per conſiderationem non iam ſolius iuſtitiæ Dei punientis, ſed, & miſericordiæ ipſius miſerentis; per ſpem qua peccator erigitur à demiſsione per timorem incuſa; per fiduciam meritorum Chriſti, quibus firmatur, ac do-

ſtemiſm; & maximè per inchoationem dilectionis Dei: ita enim ſervilitas deponitur, vt per ſe patet, timorque perficitur, & fit initialis, vt ſuprà explicatum eſt: tunc, inquam, timor eſt proximior, & immediata præparatio ad iuſtificationem, tunc, ſcilicet, quando iam ex inchoata dilectione Dei, à ſervilitate depuratus, & perfectus, fit initialis.

147 Hæc, quæ, vt exiſtimo, mens fuit Concilij; fuit antea etiam plurimorum SS. PP. ſententia, quæ propterea Patribus Tridenti placuit. Quid enim aliud, niſi hoc ipſum, quod Concilium tam dilucide docet, docuit S. Ambroſius, vel alius Author, dum loquens etiam de modo, quo Deus *præparat voluntatem* per alia, & ſimul per timorem, de iſto inquit: *Qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam, vt quem fecerit timentem, faciat, & volentem: nec ſolùm volentem, ſed etiam ſapientem: vndè, & illud ſcriptum eſt, beatus cui donatum eſt habere timorem Dei. Quid enim tam beatiſſimum, quam hic timor, qui genitor, eruditorque Sapientiæ eſt? In cuius vtique devotione, devota eſt, & voluntas, quæ auctore gratię eodem proficit timore, quo cepit.* Quid clariùs, aut elegantiùs?

Lib. 1. de Vocat. Gent. capit. 9.

148 S. Auguſtinus apud quem, vt & ipſe inquit, vberrima eſt de timore copia, plurima, & oportuna ad rem habet, quin, & audeo affirmare, quod ſemper, & vbi de re iſta agit, ſi accuratè, ſi ſincerè legatur, invenietur docens hoc ipſum, quod ex Concilio explicuimus, vt propterea exiſtimem Tridentinum præiactam ſententiam ad mentem Auguſtini conformaſſe, vt ex paucis allegandis fiet perſpicuum. *Porrò ſi Dominus*, inquit: *Non præbet ſapientiam niſi ſervanti iuſtitiam, qui autem ſine timore eſt, non poterit iuſtificari, recurritur ad illam ſententiam: initium ſapientiæ timor Domini.* Ubi non ſolùm dicit timorem eſſe congruentem præparationem ad iuſtificationem, ſed & ſine illo hominem non poſſe iuſtificari.

In Serm. de Sanct. Serm. 1. de Annunt.

149 Cuius rationem aſſignat, docens quomodò peccator incipiat à timore, vt gradatim progrediatur, & aſcendat ad iuſtitiã. *Eo timore*, ait, *contereus cor in lachrymis confeſsionis, & pænitentiæ.* Sic nempè ex timore oritur illa apud Concilium cordis concuſsio, quæ dicitur Attritio, & apud ipſum, & Auguſtinum, eſt quædam Contritio præparans cor ad iuſtificationem per Sacramentum Confeſsionis, & Pœnitentiæ. Adhuc

huc tamen peccatori ab eo timore, & concuſsione, ad alias præparationes per gratiam Dei aſcendendum eſt, iuxta ipſum: *Nam in ipſo corde contrito, & humiliato, quod Deus non ſpernit, aſcenſiones per quas in illum aſurgeremus, ipſe diſpoſuit.*

150 Quæ autem ſint iſtæ, & de quo ordine diſponantur, non obſcurè ſignificat dicens: *Ipſi in tremore cor contritum, & humiliatum ſacrificant Deo: undè aſcendunt ad pietatem, vt non reſiſtant voluntati eius.* Ita namque à timore convertuntur peccatores, vt ait, Concilium, ad conſiderandam pietatem, & miſericordiam Dei, & ad ſe conformandum eius voluntati, qua vult omnes ſalvos fieri, & non vult mortem peccatoris, ſed vt convertatur, & vivat. Ex hinc in ſpem eriguntur poſsidendi, tanquam filij, hæreditate terram: *Non terram morientium*, inquit, *ſed terram de qua dictum eſt: ſpes mea es tu, portio mea in terra viventium.*

151 Tunc incipientes ſe filios, & hæredes æſtimare, perveniunt ad primum illum ſapientiæ gradum, in quo timor iam initialis, ſeu initium ſapientiæ eſt, de quo tandem S. Auguſtinus ſubiungit: *Ab iſta quippè pietate merebuntur ſcientiæ gradum, vt noverint non ſolum mala præteritorum peccatorum ſuorum, de quibus in primo gradu Pœnitentiæ dolore fleverunt, ſed etiam præſentia, & cætera.* Nimirùm, vt Tridentinum loquitur, propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem.

152 Profectò me miſere deceptum fateor, ſi in his quibus omninò conſona ſunt verba, & doctrina Tridentini, non docet S. Auguſtinus timorem gehennæ, ſeu Attritionem, cum incipit concutere cor peccatoris, quando adhuc ſervilis eſt, præparare ad eius iuſtificationem, ad gratiam per Sacramentum obtinendam: ſed tunc tantùm remotè; poſteà tamen proximè, quando, videlicèt, timor ipſe gradatim perficitur, & ſervilitate depoſita, iam non amplius ſervilis, ſed initialis eſt.

153 Quod, & alibi docet, atque adeò expreſsè, vt verba eius neque interprete, neque ponderatione egeant, ſed dumtaxat interpunctionibus, quibus ex loco paulò longiori nonnullas ſententias excerpam. *Ergo incipiat timor, ait, quia initium ſapientiæ timor Domini. Timor, quaſi locum præparat charitati: cum autem cœperit charitas*

Expoſ. in Epiſtol. Ioann: tract. 9.

tas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. Non potuit clariùs dici timorem eſſe præparationem ad charitatem, proindequè ad gratiam juſtificantem, & quod eſt prima præparatio peccatoris, quę negotium iuſtificationis inchoat; vndè poſtea addit: *Sic timor primò occupat mentem;* non eſt ergo tunc præparatio proxima, ſed diſtans, ſed remota.

154 Quod adhuc, & qualitèr timor præparet, ſequentibus explicat: *Timor tormentum habet. Torquet cor conſcientia peccatorum: nondùm facta eſt iuſtificatio. Eſt ibi quod titillet, quod pungat.* En concuſsionem, ſeu Attritionem. *Timor Dei ſic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit .... Occupet ergo cor tuum timor .... Nam ſi ſine timore es, non poteris iuſtificari.... Opus eſt ergo, vt intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas ſanitas.* Sic igitur timor ſervilis incipit præparare peccatorem ad iuſtificationem: ſed propterea tunc tantum remotè.

155 Poſtmodùm verò etiàm proximè, cum videlicèt timor idem depuratus à ſervilitate, fit initialis, id eſt, inchoata charitate, ſeu dilectione Dei: inchoata, inquam, nondùm perfecta, & habitante, quoniam hæc eſt iam forma ipſa cum gratia iuſtificans: ergo cum charitate inchoata adhuc ſtat timor, non iam ſervilis, ſed initialis. Quarè, & ibi anteà Auguſtinus docet: timorem expelli non à charitate inchoata, ſed à perfecta: ſecùm enim arguens, inquit: *Ergo timor non eſt in charitate.* Reſpondetque: *Sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta inquit charitas foras mittit timorem.*

156 Timor ergo perſeverat, quoad ſubſtantiam factus initialis, cum inchoata dilectione Dei, ſeu charitate, per quam tunc depuratur à ſervilitate: atque ita intelligi debent priora illa verba S. Auguſtini: *Cum cœperit charitas habitare pellitur timor:* ad quæ S. Thomas: *Dicendum* *Art. 6. ad*
quod Auguſtinus loquitur de *2.*
timore in quantum ſervilis eſt. Vel ſi mavis, intellige illum de charitate, ſed habitante: vtroque enim ſenſu ſemper conſtans manet, ac verum, quod S. Auguſtinus hic, & vbique inculcat, ſcilicet, quod timor per charitatem non tantùm inchoatam, ſed perfectam expellitur: cuius ratio apud ipſum eſt iſta: *Si perfecta in*
illo eſſet charitas, non timeret: *Vbi ſup.*

perfecta enim charitas faceret perfectam iuſtitiam. Ergo ante perfectam iuſtitiam, ante perfectam charitatem, adhuc ſtat timor ſimùl cum charitate inchoata, ideòque non iam ſervilis, ſed initialis, nondùm tamen filialis, quia nondùm charitas perfecta eſt.

157 Tunc igitur timor eſt proxima præparatio peccatoris ad iuſtificationem: quia videlicèt, immediatè, & cum ſumma proximitate præcedit perfectam charitatem, quæ ſimul cum gratia facit perfectam iuſtitiam. Atque eo modò quo in phyſicis, aut philoſophicis, quævis proxima diſpoſitio evaneſcit ſtatim, ac advenit perfecta forma, perfectuſque iſtius effectus; ſimilitèr adveniente perfecta charitate, quæ facit perfectam iuſtitiam, timor initialis ad illam proximè diſponens deſinit eſſe qua talis, fitque filialis, ſeu caſtus, & ab eadem charitate prorſus indiſtinctus; & hoc modo charitas foras mittit timorem.

158 Hæc ex Auguſtino, loco allegato, & accuratè expenſo, apertè conſtant, quibus non ſolùm confirmatur ſenſus ex Tridentino prælibatus, ſed, & quæcumque docet Div. Thomas, de timore ſervili, initiali, filiali, ſeu caſto, vt apparebit eius articulos legenti: & inſupèr liquet quandò, quomodò, & cur timor ſervilis ammittat ſervilitatem. Etenim ab ea incipit deputari quandò fit initialis, eo quod tunc incipit ordinari per inchoatam charitatem in finem iſtius: ergo timor qui antea non erat relatus, ſed tantùm referibilis in Deum, atque ideò erat purè ſervilis, per incipientem poſtea charitatem, quemadmodùm incipit ordinari in Deum, incipit amittere ſervilitatem, tuncque fit initialis, vel, vt ait D. Thomas initium charitatis perfectæ, quę quia plenè totã humanam vitam dirigit ſecundùm rationes divinas, propterea removet totalitèr ſervilitatem à timore, facto per charitatem iam perfectam, & habitantem, caſto, & filiali.

2. 2. q. 19. *Art. 8. ad primum. Art. 7. in corp.*

159 Verùm quoniam allegatus textus S. Auguſtini præbet in præſenti opportunitatem explicandi quomodo etiam, & cur ſint proximæ diſpoſitiones ad iuſtificationem, & ad gratiam per Sacramentum obtinendam, timor pœnæ, ſed factus initialis; Attritio, ſed facta imperfecta, aut inchoata Contritio; id, in quo, & maximè poſita eſt iſtius celebris controverſiæ reſolutio, exponere illud agere:

gredimur ducti etiam doctrina, & authoritate Tridentini, SS. que Auguſtini, & Thomæ, vt amplius innoteſcat veritas, & ſoliditas ſuperioris aſſertionis ſub tanto patrocinio ſtabilitæ.

160 Dum itaque homines ſe eſſe peccatores intelligentes à Divinæ Iuſtitiæ timore concutiuntur, dumque æternam damnationem promeritam metuunt, duò tunc ſe illis offerunt obiecta maximè formidanda. Unum eſt pœna ipſa ſenſibilis ignis inferni, vt ſuæ incolumitati, quam amant, contraria. Alterum eſt ſeparatio in æternum à Deo, totius fœlicitatis principio. Atque hæc duo adeò connexa ſunt, vt vix, aut ne vix quidem præſcindi valeant. Qui enim cogitare poterit ſe eſſe æternum damnatum, quin ſimul cogitet, ſe eſſe à præſentia, & fruitione Dei remotum? Quis ſe ſummè miſerum conſideret, qui non ſimul ſe ſumma fœlicitate privatum æſtimet?

161 Attamen, quia magis aſſuefacti ex conditione corporea bonis ſenſibilibus, quam ſpiritualibus, vt ſæpè homines potius illa, ac ſi forent ſibi coniunctiora, quàm iſta, amant, ita etiam crebrò magis ſibi pœnam ſenſus, quàm pœnam, quæ dicitur damni, formidant, potiùs horrent habitare infernum, quàm privari cœlo, mitti cum diabolo, quam ſeparari à Deo: vel ſi hoc æqualitèr metuunt, ideò eſt, quia illud apprehendunt bono naturali ſuo æquè contrarium, & pœnale. Vndè totus timor de his obiectis, & ita conſideratis, concuſſioque, & afflictio ex illis, purè ſerviles ſunt, oriuntur namque ex amore proprio tanquam ex fine proximo, quamvis non vltimo, *quia ſcilicet*, inquit S. Thomas, *homo timet malum pœnale ratione ſeparationis à Deo, ſed in quantum eſt nocivum proprij boni.* *Art. 6. 16 corp.*

162 Quis autem hic non ſtatim videt timorem iſtum, hancque Attritionem, etſi ad iuſtificationem præparent peccatorem, nequaquam eſſe ad illam proximam diſpoſitionem. Poſteà enim iuxta enumerationem Tridentini, adveniunt motus converſionis in Deum, ſpes, fiducia, & initialis dilectio, quæ ſunt præparationes proximiores: ergo vel ex hac ſola ratione evincitur Timorem, & Attritionem non eſſe diſpoſitiones proximas. Id quod etiam, & nihil amplius, probant quotquot argumenta, vel à ratione, vel ab authoritate SS. PP. congerunt rigidiores Theologi, contendentes ſolam

Contritionem perfectam, non autem Attritionem, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad Sacramentum.

163 Quod vltro concedimus cum Tridentino, nomine diſpoſitionis comprehendente omnes particulares præparationes, quas enumerat, vt notavimus. Omnes *N. 112.* namque illæ remotæ, & proximæ, efficiunt vnam diſpoſitionem totalem, & propterea ſufficientem, quæ dici poteſt Contritio perfecta, ſcilicèt integralitèr, non autem formaliter, id eſt per charitatem perfectam formatam, vel elicitam, iuxta ſenſum ſuprà *N. 119.* ex ipſo Concilio apertè diſtinctum, & quem obſervare debent omnes, qui cupiant in præſenti confuſionem vitare.

164 Cum autem quæſtio ſit de præparatione particulari, per Timorem, & Attritionem, de hac dicimus non ſolum non eſſe ſufficientem, ſed neque eſſe proximam, dum Timor, & Attritio ſerviles ſunt. Veruntamen cum iſte timor ſit poſtea initialis, eaque Attritio ſit imperfecta, ſeu inchoata Contritio, tunc etiam deveniunt vltimæ præparationes, & omnibus alijs proximiores, faciuntque cum reliquis, quas remotiores ſupponunt, eam vnicam diſpoſitionem ſufficientem, de qua ibi Concilium.

165 Ratio huius non alia, aut potior adhibenda eſt, niſi quam ipſum Tridentinum innuit in modo præparationis peccatoris ab ipſo præſcripto, quamque expreſsè etiam tradunt SS. PP. præſertim Auguſtinus, & Thomas. Quæ etiam ita formatur. Niſi peccator convertatur aliquomodò ad Deum, nequit eſſe, aut intelligi proximè ad iuſtificationem præparatus; ſed cum timor ſervilis, quo metuit gehennam ſit initialis, tunc aliquomodò, nempè initialitèr, convertitur ad Deum: ergo tunc eſt, & intelligitur proximè præparatus ad iuſtificationem. Veritas propoſitionis maioris ſit manifeſta, tum ex verbis Dei ita promittentis: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: tum ex ipſo Concilio, dùm allegato capite *de modo præparationis*, deſiderat ad iſtam, quod poſt concuſſionem ex timore gehennæ, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertant peccatores. *Seſ. 6. cap. 6.*

166 Ex quo etiam minor propoſitio demonſtratur non minùs vera. Nam dùm peccator timore purè ſervili, & tantùm ex ſuo proprio amo-

amore tanquam ex fine proximo, quamvis non vltimo, metuit divinam iuſtitiam, gehennamque, dumtaxat ad ſe converſus eſt proximè, quamvis non vltimatè, vt per ſe patet; at cum poſtea inchoans ex conſideratione divinæ miſericordiæ, & abſpe veniæ, dilectionem Dei, metuit eandem gehennam, quia per ipſam ſeparatur æternum à Deo ſuo vltimo fine, tunc hoc ipſo incipit ſe convertere ad Deum; tunc incipit anteriorem ad ſe ipſum converſionem ordinare ad vlteriorem, debitumque finem vltimum; tuncque incipit iſtum deſiderare, & amare: ergo tunc, tunc, inquam, non autem antea, incipit converti ad Deum, tunc videlicèt, quandò timor fit initialis ex inchoata dilectione · ergo tunc eſt. & intelligitur proximè ad iuſtificationem præparatus.

167 Quod ſatis apertè innuit Tridentinum docens, quomodo peccatores à timore ſervili tranſeant ad initialem, dicens: *Ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Ergo cum hæc tradat deſcribens ex inſtituto, & accuratè *modum præparationis* peccatoris ad iuſtificationem, evincitur mentem illius eſſe, quod etſi timor ſervilis gehennæ præparet illum remotè, ſolus timor initialis eſt, qui eundem præparat proximè.

Ibi.

168 Hoc ipſum colligitur apertè ex S. Auguſtino, qui cum de timore ſervili dicat: *Ipſe eſt timor ille, qui introducit charitatem, ſed ſic venit, vt exeat: ſi enim adhuc propter pœnam times Deum, nondùm amas quem ſic times. Non bona deſideras, ſed mala caves. Sed ex eo, quia mala caves corrigis te.* Hactenùs de timore ſervili corrigente ſanè peccatorem, & conſequentèr præparante illum, ſed remotè. Subiungit tamen: *Cum bona deſiderare cœperis, erit in te timor caſtus.* (id eſt, initialis ex incipiente deſiderio, & amore) *Quis timor caſtus? Nè amittas ipſa bona. Intendite. Aliud eſt timere Deum, ne mittat te in gehennam cum diabolo: aliud eſt timere Deum, ne recedat à te. Ille timor quo times, ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, nondùm eſt caſtus, non enim venit ex amore Dei, ſed ex timore pœnæ. Cum autem times Deum, ne deſerat te præſentia eius, amplecteris eum, ipſo frui deſideras.*

Vbi ſup.

En

169 En qualitèr iuxta Auguſtinum, timor pœnæ ſeparationis à Deo, non quatenùs cavet illam, vt malum ſibi nocivum, ſed quatenùs timet deſeri à Deo, eſt inchoatio deſiderij, & amoris Dei: & ita timor non iam ſervilis, ſed initialis, peccatorem antea ad ſe, ſuo timore ſervili tantùm converſum, convertit ad Deum, vtpotè quem amplectitur, ipſoque frui deſiderat: eſt igitur timor tantæ pœnæ proximè præparans peccatorem, nempè ordinatus iam per inchoatam charitatem, & convertens peccatorem in vltimum finem: *Nam ſeparari à Deo*, inquit cohærentèr S. Thomas, *eſt quædam pœna, quam charitas maximè refugit.* Art. 6. in corp.

170 Nec minùs conſentaneè ad verba Concilij alibi ait: *In Deo eſt conſiderare, & iuſtitiam ſecundùm quam peccantes punit, & miſericordiam ſecundùm quam nos liberat. Secundùm ergò conſiderationem ipſius iuſtitiæ inſurgit in nobis timor: ſecundùm autem conſiderationem ipſius miſericordiæ, inſurgit in nobis ſpes.* At manifeſtum eſt, quòd charitas inchoatur per ſpem, & per hanc incipit homo ad finem illius, & ad Dei amorem converti, aiente eodem S. Thoma: *Sicut aliquis introducitur ad amandum Deum, per hoc quod timens ab ipſo puniri ceſſat à peccato* (ſic præparatur remotè) *ita etiam ſpes introducit ad charitatem in quantùm aliquis ſperans remunerari à Deo, accenditur ad amandum Deum, & ſervandum præcepta eius.* Art. 1. ad 2. — q. 2. de ... 1. art. 8. in corp.

171 Alio etiam loco agens de actibus quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, & quibus propterea ad iuſtificationem nos præparamus, ſequentia, & omninò conſona cum dictis ex Concilio habet. *Quorum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor, ſecundùm illud: converte nos Domine ad te, & convertemur. Secundus actus eſt motus Fidei. Tertius eſt motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus Spei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundùm ſe ipſum, & non iam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet, quod actus pœnitentiæ à timore ſervili procedit, ſicut à pri-* 3. part. q. 85. artic. 5. in corp.

primo motu affectus ad hoc ordinato: à timore autem filiali ſicut ab immediato, & proximo principio.

172 Non potuit expreſſioribus verbis tota ſententia, & aſſertio noſtra affirmari, neque alia profectò ſunt quibus Tridentinum de re iſta nos docet. Ex vtroque enim liquet timorem ſervilem præ-
N. 121. parare remotè, timorem autem filialem incipientem, ſeu initialem, præparare proximè peccatorem ad iuſtificationem. Nec poteſt, niſallor, ſine iniuria Div. Thomæ ſuſtineri tanquàm ſententia illi grata, quod peccator abſque omni motu charitatis, abſque omni timore filiali, ſolo timore, & Attritione ſervili, eſt proximè diſpoſitus ad iuſtificationem etiam per Sacramentum. *Unde*, ait rurſus D. Thomas,
1. 2. q. 113. art. 5. ad 1. *ſimul in iuſtificatione impij cum motu Fidei, eſt etiam motus charitatis: movetur enim liberum arbitrium in Deum ad hoc quod ei ſe ſubijciat: unde etiam concurrit actus timoris filialis.* Quid rogo clariùs?

173 Adhuc etiam ex alijs SS. PP. prædicta aſſertio, ratioque, & doctrina cui innititur confirmantur, quod ſuprà
Lib. 6. in 1. Reg. capit. 2. num. 33. promiſſimus. Etenim S. Gregorius Magnus inquit: *Tria in vnoquoque conſideranda ſunt veracitèr pœnitente, videlicet, converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati ..... Quid eſt corde credere ad iuſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad Fidem per voluntatem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad iuſtitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ converſionis*. Ergo fructus bonæ converſionis habetur per initium bonæ voluntatis, quia, ſcilicèt, timore non ſervili, ſed initiali, mens peccatoris in Deum convertitur, per quem, & dirigit ſe, & intentionem cordis in finem charitatis, atque ita ſe ad iuſtitiam proximè diſponit. In quem ſenſum collimant, quæ ſuperiùs allegavimus ex eodem S. Gregorio. *N. 47. & ſeq.*

174 Similitèr, quæ ibi attulimus ex Bernardo, & Ruperto, id ipſum apertiſſimè confirmant. Adhuc autem ponderanda damus ſequentia verba S. Bernardi, quia in eis quæcumque hactenus diximus expreſſa habentur: *Timor priùs venit in corde hominis, et præparetur locus charitati. Huic ſervili timori ſuccedit tertius timor, videlicèt initialis, quando homo incipit facere bonum propter dilectionem Dei, quòd antea faciebat propter timorem inferni. De* *N. 50. & ſeq.* *De modo bene. vive. Serm. 4.*

hoc initiali timore ait David Propheta in Pſalmum: Initium ſapientiæ timor Domini. Initialis timor eſt, quandò homo incipit amare Deum, quem antea timebat, & ſic excluditur à corde ſervilis timor.

175 Ex quibus ita argumentari liceat. Timori ſervili præparanti ad charitatem, ſuccedit timor initialis ſimilitèr præparans ad perfectam charitatem, quæ eſt iuxta eundem S. Bernardum, iuſtitiâ, & ſanctitas: *Quid eſt*, inquit ibi, *perfecta charitas, niſi perfecta ſanctitas?* Ergo præparationi peccatoris per timorem ſervilem, ſuccedit alia præparatio per timorem initialem: at hæc proximior, eſt quam illa charitati perfectæ, nempe ſanctitati, & iuſtificationi peccatoris: ergo hæc præparatio per timorem initialem, eſt proxima; illa autem per timorem ſervilem, eſt remota. Conſequentia iſta per ſe patet, & minor expreſſa eſt S. Bernardi, iterùm illam his, quæ ſubiungit confirmantis: *Huic initiali timori ſuccedit quartus timor, ſcilicet, caſtus, per quem timemus, ne Sponſus, ſcilicèt Chriſtus, tardet, ne diſcedat à nobis, ne eum offendamus, ne in eum peccemus, & ne eum perdamus.* Ergo præparatio per timorem initialem eſt adeò proxima, adeò immediata ad timorem caſtum, ad charitatem perfectam, ad ſanctitatem, ad iuſtificationem peccatoris, vt cui hæc, nullo alio mediante, ſuccedit.

176 Plurima adhuc iſtorum, & aliorum PP. teſtimonia poſſem in præiactæ aſſertionis fulcimentum adducere, quæ miſſa facio, quia niſi tot, atque adeò invicem cohærentia, & inter ſe adaptata ſufficiant ad eam perſuadendam, nulla alia profectò erunt, vel efficaciora, vel maioris authoritatis, quæ valeant renuentes ei aſſentiri revincere.

177 Duo tamen ad eam vlterius commendandâ omittere nequeo. Unum eſt, quod præſens aſſertio neque imminuit efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ. Neque quidquàm detrahit de obligatione diligendi Deum, qua omnes, & præſertim Chriſtiani, ex primo, & præcipuo Decalogi præcepto, tenentur. Primum, quòd opponi ſolet contra tuentes neceſſariam eſſe pro ſufficiente diſpoſitione pœnitentis, ſolam charitatem perfectam, & iuxta Janſeniſtas prædominantem, nimium eos premit cum certiſsimum ſit per hanc charitatem perfectam peccata remitti, nec poſſe cum illa componi: quarè hoc ipſo quod Sacramentum egeat hac

hac diſpoſitione peccatoris, vt eius peccata remittantur, nihil iam per Sacramentum, & Abſolutionem, agendum relinquitur. Ex quo patroni iſtius ſententiæ coguntur affirmare, vel quod abſolutio dumtaxat eſt quædam ſola declaratio Iuridica peccati iam remiſsi; vel quod charitas perfecta, & peccatum, conuerſio totalis ad Deum, & averſio totalis ab ipſo, amicè fœderantur.

178 Secundùm, quod obijci ſolet contra propugnantes ſolam Attritionem conceptam ex metu gehennæ, ſeu ſolum timorem purè ſervilem, eſſe ſufficientem diſpoſitionem, vt peccator per Sacramentum iuſtificetur: non parum eos vrget, cum intolerabile videatur, & maximè in lege gratiæ, & filiorum Dei, quod homines cum Deo ab ipſis offenſo reconcilientur ſine vllo amore eorumdem erga Deum, tunc præſertim eos amantem, cum illis ſuam gratiam largitur.

179 Ab his ergo difficultatibus, quæ vt verum fatear ſalebroſæ ſunt, libera eſt aſſertio propoſita, quia æquè ab vtroque diſtat: cum timor Initialis, qui apud nos diſponit proximè peccatorem ad iuſtificationem, ſit verus amor Dei, quamvis dumtaxat inchoatus, non perfectus, non charitatis habitantis: qui & propterea diſponit tantùm, non remittit de ſe peccata, ſed relinquit remittenda, vel per charitatem perfectam extra Sacramentum, ſed cum iſtius voto; vel per Abſolutionem, Sacramento in re ſuſcepto.

180 Alterum, quod hac noſtra ſententia habetur eſt, quod per illam manet minùs expoſita periculo, vel fortaſis in tuto ponitur, ſalus, & iuſtificatio peccatorum accedentium ad Sacramentum Pœnitiæ, & recta iſtius per Confeſſarios adminiſtratio, qui eam in pœnitentibus diſpoſitionem requirere tenentur, quæ planè ſufficiens ſit: nec ſolummodò contenti eſſe debent, aut iam poſſunt, de ea quæ dubia materia ſit, aut nulla ex ſententia minùs probabili.

181 Id quod potiſsimùm, vel vnicè, hac noſtra cum Theologis diſſertatione intendimus; vt nempè in re tanti momenti, quæ tota eſt de curandis læthalibus vulneribus animarum, tale ad id adhibeatur ex timore remedium ad ſanitatem diſponens, quale illud deſiderat S. Auguſtinus, dicens: *Timor Dei ſic vulnerat, quomodo Medici ferramentum putredinem tollit, & quaſi videtur vulnus auge-* *In Epiſt. Ioann. tract. 9.*

re .... ideò vulnus plus dolet accedente medicina, vt nunquam doleat ſuccedente ſalute .... Occupet ergò cor tuum timor, & inducta charitate, ſuccedat cicatrix ferramenti medici. Tantùm autem medicamentum, non ſola Attritione, & timore ſervili, ſed inſuper, & maximè, timore initiali, &, vt loquitur Tridentinum, Contritione imperfecta, aptiſsimum, & ſecuriſsimum exiſtimo præparari.

182 Etenim illud in primis commendant, &, niſi plurimùm fallor, incunctantèr approbant Concilium, & PP. tot teſtimonijs allegatis. Deindè eo obſtruuntur hæreticis, ac maximè hac tempeſtate Janſeniſtis, fauces, oraque, quibus non ceſſant calumniare Catholicos Theologos, viros alioqui pios, doctos, & de Eccleſia optimè meritos, tanquam laxatores, & everſores totius moralis diſciplinæ, ex eo, veluti ex origine cunctam depravatam doctrinam ſcaturiente, quia docent, Attritionem ex metu ſervili gehennæ, vel ex turpitudine peccati conceptam, eſſe diſpoſitionem ſufficientem, vt peccator recipiat per Sacramentum Pœnitentiæ gratiam iuſtificantem.

183 Ad quod Janſeniſtę veluti ſanctorũ morum ſeveri vindices, & cultores, arrectis ſupercilijs, magniſque linguis vociferantur, præfato dogmate totam ruere diſciplinam Chriſtianam. Per illud in primis evacuari primum Decalogi de dilectione Dei præceptum, quod maximè in vſu Sacramentorum vrgere debet. Exindè conſequenter ſequi, poſſe hominem perditiſsimæ vitæ, ſine vlla dilectione Dei ſalvari, ſi videlicèt, poſt ſuſceptum Sacramentum Pœnitentiæ cum ſola Attritione, repentina morte è vivis excedat. Item, deterioris conditionis, aut ſaltèm æqualis, fieri Chriſtianos, ac Iudæos, & vtrumque fœdus, novum, & antiquum confundi, dùm omnes æqualiter ſolo metu, non amore ducuntur, non iam illi vt filij, & hæredes per Chriſtum, ſed vt ſervi, & mancipia. Atquè in lege ipſa gratiæ, & charitatis, Chriſtianum ad charitatem non teneri.

184 Præterea: ius divinum per peccatum læſum, ad quod reparandum quilibet iure naturali obligatur, reparari ſine vlla reſtitutione vltimi finis, quæ ſolummodò fieri poteſt per dilectionem Dei. Sine bona voluntate, quę non aliud eſt niſi charitas; ſine converſione ex corde ad Deum,

quæ dilectio ipſius eſt, hominem reddi ex malo, bonum; ex averſo, converſum. Dolorem de offenſa illata Deo, adeò neceſſarium ad pœnitentiam, vt qui potiſsimum eſt ipſamet pœnitentia, haberi poſſe ſine amore Dei offenſi; odium iniuſtitiæ, ſine amore iuſtitiæ: voluntatem efficacem non peccandi, & omnimodam deteſtationem peccati, cum ſolo timore pœnæ incurrendæ ſi peccaveris, vel quia peccaſti. Ac tandem contra eam ſententiam opponunt, quod cum vera converſio peccatoris, eiuſque diſpoſitio ad iuſtificationem, indiſpenſabilitèr importent propoſitum efficax ſervandi legem, & mandata, præcipuumque iſtorum ſit dilectio Dei ex toto corde, fallax propterea redditur, & deluſorium ipſum propoſitum, ſi qui illud habet, tunc nec Deum amat, nec tenetur amare.

185 Hæc, & alia his conſentanea, ſunt quæ Janſeniſtę, atque etiam aliqui Theologi adverſus eam ſententiam objiciunt, quæ & non modicum negotium ſuis patronis faceſſunt, & præſertim argumentum iam inſinuatum de peccatore tantùm attrito, qui poſt ſuſceptum Sacramentum, ſtatim, vel antequàm eliciat actum amoris Dei, moriatur. A quo quàm difficultèr ſe expediant Theologi, ſuſtinentes non requiri ordinationem actualem charitatis, ſed ſufficere habitualem, ſeu potius virtualem ex actu etiam longè præterito, imò, & per peccatum interrupto, vt opera aliarum virtutum ſint meritoria vitæ æternæ, liquet, vel ipſa varietate reſponſionum, quibus conantur illi occurrere. Quorum nullam probavimus olim eandem ſententiam de imperio virtuali charitatis tuentes, ſed aliam tunc excogitavimus: quæ tamen, ſi ingenuè loquendum eſt, nec quia nova, nec quia noſtra ita placet, vt per illam evacuatam penitus argumenti difficultatem cenſeam. *Tom. 3. diſp. 1. de infuſa charit. dub. 4.*

186 Eam nihilominùs, quemadmodum, & reliquas obiectas, vitat omninò præſens ſententia noſtra, ac ſimul ſufficientem diſpoſitionē peccatoris ad gratiam obtinendam per Sacramentum, conſiſtentem in Attritione, & ſtatutam à Tridentino, ſat, & abundè, vt exiſtimo, modo explicato demonſtrat. Quin vltrà per illam redditur perſpicuum, quomodo, & qualitèr peccator ex attrito fiat contritus, quod in alijs ſententijs de ſufficientia Attritionis purè ſervilis, operosè exponitur. In noſtra autem,

vt pervius tranſitus eſt à timori initiali, ad timorem caſtum, eſt item pervius ab Attritione, quę verè eſt Contritio, quamvis imperfecta, ad perfectam: à charitate inchoata, ad charitatem conſummatam.

187 Hos enim gradus tanquam faciles, haſque aſcenſiones veluti ſucceſsivas, ac motu ordinatiſsimo, placidoque peragendas, explicuit S. Auguſtinus ſuprà. Nam vbique, & maximè in mirabili negotio iuſtificationis peccatoris, *magna ſunt, & exquiſita, mirabiliterque ordinata opera Domini*, vt ad rē inquit Rupert. Quarè, *& vt ſimus, & videamus omnibus aſcendentibus iam in ſublimi poſitis, neceſſarium eſſe fundamentum timoris Domini*. Ab hoc ergo peccator incipiens, aſcendit quaſi naturali progreſſu, ad initialem; à quo ad timorem caſtum ſuaviter fertur: quia qui incipit amare, ad amandum pergit. *Habet omnis amor vim ſuam*, inquit S. Auguſtinus, *nec poteſt vacare amor in animo amantis, neceſſè eſt, vt ducat*. Quod maximè de charitate verum eſt, nam vt ait S. Thomas: *Nulla virtus habet tantam inclinationem ad ſuum actum, ſicut charitas, nec aliqua ita delectabilitèr operatur*.

N. 150.

Serm. de Timor. cap. 3.

In Pſal. 121.

2.2. q. 23 art. 2.

188 Suppoſita itaque divina gratia excitante, & adiuvante peccatorem credentem ſibi paratas pœnas æternas, & perpetuam ſeparationem à Deo, privationemque ſuæ beatitudinis, qua ſemper fœlix foret, & cuius carentia miſerrimus æternum erit: incipit vehementi metu illarum angi, & vndique coarctari, ac peccata, quæ eum ad has anguſtias trahunt, deteſtari, nullamque alias inveniens viam, qua promeritas pœnas, & vltricem iuſtitiam Dei evadere poſsit, niſi ad eius miſericordiam ſe convertat, credens illam infinitam, ſibi paratam, propitiamque ob ſanguinem, & merita Chriſti, ad eam humilis confugit, vt per quam ſolam à pœnis, quas formidat, liberari poſsit.

189 Iſte igitur eſt primus peccatoris motus, atque omninò conſentaneus ad præconceptum metum, & quo omnis timens pœnam ab alio infligendam, quam minimè vitare poteſt, ad eius pietatem implorandam ſupplex naturaliſsimè convertitur, dolens ſimul, ac diſplicens de eo quod formidatis pœnis, ac vindictæ cauſam dedit. Quapropter Sacrum Concilium Tridentinum primum iſtum motum peccatoris, tanquàm gradum, & progreſſum faciliimum, ſemel, & iterùm deſignat,

nat, dum ait: *Peccatorem ex timore, quo vtilitèr concutitur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertere.* Et rurſus: *Ex gehennæ metu ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus.*

Seſſ. 6. cap. 6. Can. 8.

190 Iam ex conſiderata miſericordia infinita Dei, patentiſsimus eſt aditus, & tranſitus ad ſpei motum. Hoc enim ipſo quod peccator æſtimet infinitam miſericordiam Dei nolentis mortem illius, ſed vt convertatur, & vivat, cogitans ſimul inexhauſtum pretium redemptionis, & meritorum Chriſti ſibi paratum, naturaliſsimè exinde in ſpem erigitur, vt ait Concilium. Et quamvis poſsit in deſperationem labi, vt nonnulli labuntur, id provenit ex prava miſericordiæ divinæ æſtimatione, quam corruptam hic, & nunc, habent erga ſeipſos, vt docet S. Thomas. Si tamen ea exiſtimatio ſana, & recta, vt fieri debet, habeatur, ex ea ad ſpem placidè peccator ducitur.

2. 2. q. 20 art. 1.

191 Ex hac autem ſpe, facilis, & obvius eſt progreſſus ad inchoandum amorem Dei; vt enim inquit S. Thomas: *Spes introducit ad charitatem.* Et quis non incipiat amare quem, tametſi à ſe iniuſtè offenſum, credit, & experitur adeò benevolum, miſericordem, ac piiſsimum, qui ſe offendentem volens ſeriò ſibi reconciliare, cum vocat, allicit, trahit, facitque certò ſperare ab ipſo liberationem à pœnis, quas formidabat, & aliter effugere non poterat; peccatorum remiſsionem, & veniam, gratiæ ſuæ dona, & munera, futuræ fœlicitatis æternæ intemerata pignora. Profectò ſi à fide, & ſpe tantorum beneficiorum non inchoaretur benefactoris amor, neſcio quid Apoſtolus intendat, cum dicit: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Nempè his premijs, his beneficijs, quæ præparavit diligentibus ſe.

Ibi. q. 17. art. 8.

Ad Hebr. 11.

192 Quarè S. Bernardus recenſens primordia cõverſorum ait: *Inchoantibus, præmium promittitur.* Et poſt pauca: *Neceſſè eſt omni converſo, vt poſt timorem conſurgat ad Deum per dilectionem, quaſi filius; ne ſemper ſub timore iaceat, ſicut ſervus.* His ergo ordinatiſsimis gradibus, his aſcenſionibus quas Deus ſua gratia in corde peccatoris diſponit, ad propriam ille iuſtificationem pervenit. Quamobrem monendi, hortandi, excitandique ſunt Pœnitentes, vt nequaquam contenti ſolo timore ſervili, conentur illum redde-

De modo bene viv. Serm. 6.

dere initialem, nitantur aſcendere hos gradus quos Tridentinum, non quidem fruſtrà, ſed tanquam vtiles, & neceſſarios, & pervia ſucceſsione paratos, recenſet, vt per eos rectà ad ſuam iuſtificationem tendant.

193 Hoc etiam cunctis Miniſtris Sacramenti Pœnitentiæ audemus conſilium dare, vt videlicet, ſuos pœnitentes adhortentur, moveant, inducantque ad prædictos gradus ex primo timoris ſervilis percurrendos. Hoc namquè docet S. Gregorius Magnus dicens: *Admonendi ſunt, vt ſi malis veracitèr carere deſiderant, æterna ſupplicia perhorreſcant, neque in hoc ſuppliciorum timore remaneant, ſed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excreſcant.*

Reg. Paſtor. cap. 31.

194 Neque hoc negotium eſt, quod vel ingentem in Confeſſario induſtriam, vel nimium in Pœnitente laborem deſideret, ſcilicèt, ad eos greſſus promoveri, ſuppoſita divina gratia, quæ nunquàm ac nemini deeſt, quos ita gradatim ordinatos, & ſibi ſuccedentes, ac veluti concatenatos, ex Concilio, & SS. PP. hactenùs demonſtravimus. Nam, & ſi nolim vllo modo taxare ſententiam de ſufficiente diſpoſitione per ſolum gehennæ metum, nec ei adimere ſuam qualemcumque probabilitatem: quia tamen in re tanta, quæ de ſalute animarum cauſa eſt, & de adhibenda in adminiſtratione Sacramentorum materia certa, & quoad fieri poſsit ſecuriſsima, ideò ſententiam noſtram, tanquam in praxi probabiliorem, æſtimamus, tanquam conformiorem ſenſui Concilij, & SS. PP. præferimus, tanquam opportuna ad ora Janſeniſtarum obturanda cenſemus.

195 Qui inconditis clamoribus, quibus omnia implent, vociferantur Theologos Catholicos, dum propugnant peccatores ad iuſtificationem per Sacramentum, metu gehennæ ritè, ac ſufficientèr diſponi; bonos mores corrumpere, otioſum amorem, atque primum Decalogi præceptum, reddere inutile, primævam Eccleſiæ diſciplinam laxare, praximque hac ſua ſententia evertere. Quas voces, aliaſque eiuſdem ſoni, Tridentinum abſonas, & abſurdas demonſtrat, SS. PP. ſanctioribus, & conſonis vocibus, tanquam prorsùs falſas retundunt, noſtraque de Attritione ad mentem Concilij, & PP. conformata ſententia, redigit inanes.

196 Ad quas demùm com-

compeſcendas SS. D.N. Clemens XI. Sacroſancta Conſtitutione ſua *UNIGENITUS* plenam, ſaluberrimam, atque infalibilem vocem, tanquam ſummus, & vigilantiſsimus Eccleſiæ Paſtor, ex Vaticani ſpecula haud pridem emiſsit, qua, & obſequentes oves in probatis paſcuis retinet, & reluctantes ſibilat, vt ab infeſtis arceat, & ad frugem bonam ſe recipiant. Si qui tamen vocem iſtam non audiunt, hoc ipſo non ſunt ex hoc ovili; & qui ex adverſò adhuc quiritant, non certe balant, ſed vlulant.

197 Hic admonere, imò potius revincere liceat refragantes Theologos Pariſienſes, qui penitus obliti inclyti nominis, & honoris, ſuæ Sorbonicæ Facultatis, cui à prima inſtitutione hæc duo, nempè, obedire Sedi Apoſtolicæ, & obſiſtere erroribus, veluti propria inſignia fuere, hæc ipſa antiquæ ſuæ gloriæ monimenta, turpi iam oblivione delenda curant, ſcilicèt, Sedi Petri, Oraculo Fidei repugnantes, & errores Queſnellianos defendentes. Sic enim qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora: ea, inquam, ſtercora, quæ quondam eademmet Facultas, ſana mente, & probo conſilio in Claudio Seguenotio, tanquam ſordidiſsima ſequentibus notavit, condemnavit: *Quæ tradit de Attritionis inſufficientia, & contritionis ex perfecta charitate, abſoluta neceſsitate, ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ: & quæ addit, & approbat de abſolutione, quod nihil aliud ſit, quam declaratio iuridica peccati iam remiſſi, damnavit quoque Facultas, & cenſuit has propoſitiones eſſe quietis animarum perturbativas, communi, & omnino tutæ praxi Eccleſiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti imminutivas, & inſuper temerarias, ac erroneas.* (*Anno 1638. die 1. Iunij.*) Hæc quæ in Seguenotio tot promeritis cenſuris Sacra Theologiæ Facultas Pariſienſis improuavit, modò approbant, propugnant, modò amplectuntur, laudant, alij eiuſdem Facultatis alumni. Quibus proinde nihil opportunius, & ad illorum inconſtantiam increpandam aptius dicam, niſi illud Apoſtoli: *Miror, quod ſic tam citò transferimini. O Inſenſati Galatæ quis vos faſcinavit?* (*Ad Gal. 1. & 3.*)

V LXII.

LXII. PROPOSITIO COND.

Qui à malo non abſtinet niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & iam eſt reus coram Deo.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Matt. 21. 46. *Qui ne s'abſtient du mal que par la crainte du chatiment, le commet dans ſon cœur, & eſt deja coupable devant Dieu.... On craint un peuple qui peut oter la vie du corps, & on ne craint point celui qui peut, &c.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Paſtor, lib. 3. cap. 13. SANCT. Gregorius: *Si ergo adhuc à prava actione formidata pœna prohibet, profectò formidantis animum nulla ſpiritus libertas tenet. Nam ſi pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret ..... Nam qui propterea bona facit, quia tormentorum mala metuit, vult non eſſe quod metuat, ut audentèr illicita committat. Undè luce clarius conſtat, quod coram Deo innocentia amittitur, ante cuius oculos deſiderio peccatur.*

REFLEXIONES ANONYMI.

ID ipſum quod de præcedente propoſitione, de iſta dicendum. Quarè opus non erat teſtimonia PP. allegare ad eas iuſtificandas. Neque etiam comprehenditur qua æquitate Conſtitutio *Unigenitus* potuerit eas cenſuris notare. Quin apparet, quod quamvis illæ intelligantur de his ſupplicijs, quæ Deus comminatur, illæ adhuc non continent niſi puram doctrinam PP. & antiquorum Pontificum in ſuis ſcriptis infinitiès repetitam.

1. 2. q. 19. art 4. S. Thomas dicit: Timorem ſervilem eſſe bonum quo ad ſubſtantiam, ſervilitatem tamen malam eſſe, quod perindè eſt, ac dicere, bonum eſſe timere ſupplicium, malum verò non aliud agere, niſi timere ſupplicium.

ANI-

ANIMADVERSIONES.

1 EUndem proculdubiò, atque omninò eundem timorem, hæc propoſitio, & ſequentes, quemadmodum, & præcedens, damnant, nempè timorem Dei, non hominum, timorem gehennæ, timorem illarum pœnarum, quibus ſolus Deus potens eſt punire peccatorem, timorem illum ob quem, vt ſuis verbis exprimit Queſnellius, homo abſtinens à malo, eo ipſo corde malum operatur, fitque reus, non coram hominibus, ſed coram Deo, qui ſolus renes, & corda ſcrutatur. Quamobrem in caſum laborat Anonymus satagens ſenſu adeo frigido, & extorto, ſocietatem Queſnellij cum Luthero dirimere, vt in Animadv. ad præcedentem propoſitionem notavimus. *N. 1.*

2 Quia itaque eundem timorem Dei, bonum quidem, & vtilem, hæc propoſitio, ſicut & præcedens, diffamare intendit, eiſdem confutationibus ac illa, eiuſque maleſana defenſio ſubiacent. Ut ergo iterata moleſtia Lectorem non detineam, ibi videre poſt quæ ex SS. PP. abundè congeſsimus, vt diſtingui debeant duo timores pœnæ, *N. 10. & ſeq.* quorum alio vtili honeſto, & in Deum ordinabili, qui à malo abſtinet, non propterea malum committit in corde ſuo, neque ideò eſt reus coram Deo: ſecus autem ſi à malo abſtineat alio timore pœnæ perverſo, & numquam in Deum referibili. De quo ſi accipiatur propoſitio præſens, vltrò quod enuntiat, concedam. Sed quia abſolutè, & ſine vlla diſcretione prolata, omnem timorem exitialem facit, Patrumque ſententias quibus pravum timorem reprobant, contra alium, quem vt bonum aperte approbant, malitioſè detorquet, iure meritò illa diris devovetur.

3 Quod enim qui à malo non abſtinet niſi illo timore perverſo pœnæ, quo ſcilicet retinet voluntatem perpetrandi malum, hoc ipſo peccatum in corde ſuo committat, & fiat coram Deo reus, adeò perſpicuum eſt, vt eſt manifeſtum, quod voluntas deliberata peccandi, peccatum eſt. Ut namque eleganter laudatus S. Gregorius ait: *Velut mala arboris folia oſtendit, cuius altas radices figit in corde.* Quarè timore iſto, quo quis a malo abſti- *Lib. 6. in 1 Reg. cap. 2.* neat, nequaquam præparari

poteſt ad noxam delendam. Neque etiam qui de malo confitetur cum prædicto timore, qui ſanè non poteſt eſſe, cordis Attritio vbi corde retinetur eiuſdem pravi operis dilectio, poteſt abſolvi à culpa; quia vt idem S.D. inquit: *Peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur.* *Ibi.*

4 Cæterùm non omnis timor pœnæ eiuſmodi eſt, qui ſecùm ſempèr habeat coniunctum amorem culpæ, & voluntatem peccandi, ob quam homo ſit reus coram Deo: id quod in ſuperioribus ſat demonſtratum eſt, & multis confirmatum ex SS. PP. Et quidem hoc ipſum ſenſiſſe S. Gregorium eo ipſo loco ab Anonymo allegato, manifeſtè inveniet qui eius verba non temerè, vt Anonymus, ſed tantiſpèr attentè perlegat, & propoſitum conſideret. Ibi namque agit de duplici hominum genere, quorum alij ſunt, *qui flagella metuunt, & propterea innocentèr vivunt.* Alij autem, *qui ſic in iniquitate duruerunt, vt neque per flagella corrigantur.*

5 Docenſque qualitèr tàm illi, quàm iſti admonendi ſint, de prioribus habet verba, quæ Anonymus affert. Sed immediatè, ante illa, hæc etiam, quæ omittere non debuerat, pronuntiat: *Admonendi ſunt, vt ſi malis vtracitèr carere deſiderant, æterna ſupplicia perhorreſcant, neque in hoc ſuppliciorum timore remaneant, ſed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excreſcant.* Docet ergo quod admoneantur, vt timeant æterna ſupplicia: vndè ſit evidens, quod non æſtimat timorem iſtum ſempèr eſſe coniunctum cum voluntate, & animo peccandi, alioqui de perverſo timore, habendo, deque voluntate deliberata peccandi conſervanda, admonendos homines S. Gregorius doceret.

6 At inquies, hæc minimè cohærent cum ſequentibus, quibus dicit metuentes flagella retinere interiùs voluntatem peccandi. Utique cohærent, & optimè: quia hic timor alius eſt, ſive alterius obiecti. Non enim eſt apud Gregorium timor iuſtitiæ divinæ, aut ſupplicij æterni, ſed eſt timor purè humanus, ſeu ſupplicij temporalis infligendi ab hominibus, qui curam Paſtoralem aliorum gerunt, de qua ibi Gregorius, ab his, ſcilicèt, qui iuriſdictionem, & poteſtatem habent corripiendi, & flagellandi delinquentes ſubditos. Qui igitur ob hæc flagella formidata, à malo exteriùs dumtaxat abſtinent, malum in corde retinent, aut com-

committunt, & rei ſunt coram Deo. Quamobrem ita metuentes, & bonum hoc modo tantùm operantes, vel qui ſic apparenter, & ſimulate innocentes vivunt, coram Deo innocentiam amittunt, ante cuius oculos deſiderio peccant.

7 Iniquè igitur Anonymus confundit timorem horum flagellorum temporalium, cum timore ſuppliciorum æternorum, vt ſuum Queſnellium reprobantē abſolutè omnem timorem, extorto patrocinio S. Gregorij ab æquiſsima damnatione expediat. Verùm tamen luce ipſa clariùs conſtat, quod cum S. D. ait, metuentes flagella admonendos eſſe, *vt ſi malis veracitèr carere deſiderant, æterna ſupplicia perhorreſcant*, hoc ipſo evidenter ſignificat primò, quod ille metus pœnæ, quem damnat, non eſt timor pœnæ æternæ, quem commendat: nam inutilitèr quis admonendus foret, vt habeat timorem, quem ſupponitur habere. Secundò, per ea verba apertè innuit, timorem ſuppliciorum æternorum vtilem eſſe, ad hoc vt ſic timens veracitèr careat malis, veracitèr à malo abſtineat. Quo tantùm totus ſenſus præfatę propoſitionis dignus fulmine apparet.

8 Neque obſtat, quod S. Gregorius dicat, admonendos eſſe æternas pœnas timentes, vt non remaneant in hoc ſuppliciorum timore, ſed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excreſcant. Per hæc namque verba non damnatur timor ille tanquàm malus: ſed conſulitur tanquam melior, vt proximius ad iuſtificationem peccatoris diſponens, timor initialis, ſeu charitas inchoata, ex qua iuſtificati ad perfectam excreſcunt, ſeu aſcendunt, quod, & nos ſuprà hortandum diximus, & hoc ipſo S. Gregorij teſtimonio faciendum confirmavimus.

9 Ex his conſtat quam malè conductam Anonymus ſuo Queſnellio defenſionem inſtruxerit ex S. Gregorio Magno, vt cuius verbis rectè intellectis, ſincerèque explicatis, ſua propoſitio, quam ſtabilire nititur, penitus confutatur. Et vlterius, ac patentèr colligitur ex eo loco, quod S. Gregorius ibi, & ex inſtituto reprobat eos, qui timentes corrigi, & corripi ab his, qui curam Paſtoralem eorum gerunt, hoc ſolo metu, & tantùm extrinſecus, à malo abſtinent, ac ſimulant ſe innocentèr vivere, qui & hoc ipſo malum in corde ſuo committunt, & rei ſunt coram Deo. Undè multò ſatiùs eſſet, vt hæc per-

penderent Janſeniſtæ, ſuumque improbum metum damnarent, dùm totiès à S. Sede de ſuis erroribus admoniti, à Summis Paſtoribus correpti, hoc nimirū contenti ſunt, vt illis pervicaci animo retentis, quo flagella vitent, vel ſilentio quod appellant reverenti, vel periuro, ac falſa aliqua ſubſcriptione, ſe ſimulant innocentes. Timorem iſtum pravum, rebellemque, hic expreſſè reprobat S. Gregor. quem apud ipſum noluere obſervare condemnatum Anonymus, & Author Hexaplorum, nè ſuum Queſnellium fortaſis facto proprio illum approbantem, traducerent.

10 Nec meliori prorſus iudicio Hexaplorum Author allegat pro hac ipſa propoſitione S. Iſidorum, dicentem: *Qui pœna ſola ſupplicij in ſe vitia reprimit, quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi, doletque ſibi illicitum, quod lex prohibere dignoſcitur.* Ex ſolo titulo præfixo capiti vndè hæc deſumuntur, probatur, aut intempeſtiva, aut malitioſa allegatio. Titulus namque, totuſque capituli contextus eſt, *de peccati amore.* Quis autem non vltrò fateatur, quod qui amat peccatum, doletque interiùs ſibi illicitum, quod lex prohibet ſub pœna, quique metu iſtius tantùm non explet opus peccati, eo ipſo vivit in eo voluntas peccandi, & peccat acta, ſcilicet, amore perverſo, & timore inordinatiſsimo?

Lib. 2. ſent. cap. 21.

11 At propoſitio Queſnellij non iſtum tantum timorem, ſed omnem, etiam illum, quo quis opere, & corde à malo abſtinet, reprobat, & damnat, vt ex ſuo illimitato ſenſu liquet. Id porrò tam longe abeſt à mente S. Iſidori, quod potius ei omninò adverſatur, vt qui hanc eandem tradit ſententiam de vtilitate timoris, tam ſervilis, quam initialis, ad præparandum remotè, & proximè peccatorem ſe convertentem, quam pridem ex Tridentino, & PP. expoſuimus.

12 Do illius verba, & ex eo loco non plurimum à præcedenti diſsito. Loquens namquè *de primordijs converſorum*, inquit. *Ante neceſſe eſt timore converti ad Deum, vt metu futurarum pœnarum carnales illecebræ devincantur. Deinde oportet abiecto timore ad amorem vitæ æternæ tranſire .... neceſsè eſt omni converſo, vt poſt timorem conſurgere ad charitatem Dei debeat quaſi filius, nec ſemper ſub timore iaceat quaſi ſervus. Tunc enim amorem noſtræ converſionis oſtendimus, ſi denuò,*

Lib. 2. ſent. cap. 8.

nuò, ut Patrem diligimus, quem priùs ſervili mente, verò ut Dominum formidabamus. Tantùm abeſt ut Queſnellio ſuffragetur S. Iſidorus, quòd nihil ab eo magis poteſt eſſe contrarium.

13 Attamen ita amant Janſeniſtæ verba, & ſenſa Patrum ſubigere, ut non pudeat Anonymum interpretari Div. Thomam dicentem, timorem ſervilem eſſe bonum quo ad ſubſtantiam, ſervilitatem tamen malam eſſe; ac ſi dicere voluerit: *Bonum eſſe timere ſupplicium, malum verò non aliud agere, niſi timere ſupplicium.* Pulchrum, mehercle, gloſſema, & Oedipo Anonymo dignum! Alia profectò Menecles, alia Porcellus loquitur. Nos autem legitimum ſenſum S. Thomæ ſat, & ex ipſo, expoſuimus in animadv. ad præcedentem propoſitionem. Et de qua ſervilitate dixerit malam eſſe. Ad Anonymum verò breviter reſpondeo, non eſſe malum, ſed potiùs utile, & honeſtum, timere ſupplicium, timore ſcilicet referibili in Deum, etiam ſi aliud non agatur, dùm tamen non adſit præceptum, vel obligatio aliud agendi.

N. 10. & ſeq.

14 Aliam ſanè reſponſionem, vel potiùs nullam præter contemptum, niſi & forſam commiſſerationem, meretur, dùm, vel petulantiſsimè, vel ſtolidiſsimè ſuggillat æquitatem Sacroſanctæ Conſtitutionis *Unigenitus*, quia hanc, & reliquas iſtius modi propoſitiones proſcribit, & damnandas decernit. Miſerandus homo, qui comprehendere non valet qua illa æquitate, qua iuſtitia, id faciat, niſi ideò mirandus, aut immò ridendus ſit, qui ad hunc dementiæ gradum pervenit, ut ſe iudicem æquitatis Conſtitutionis conſtituat. Qui tamen comprehendere non poteſt, qua æquitate, qua iuſtitia, & quo ſubacto iudicio polleat Conſtitutio, quæ doctrinam fidei, & morum inſtaurat, quæ errores captioſos, & periculoſiſsimos detegit, & depellit, quæ conſentanea dogmata Conciliorum, & SS. Patrum reſtituit, comprehendat ſaltèm, ſi uſque adeò, vel ſtultus, vel pervicax non eſt, vulgarem illam, obviamque regulam. *Habentes Decreta Summorum Pontificum, & non obſervantes, de temeritate ſunt corripiendi.*

Apud Archid. 1.

LXIII.

LXIII. PROP. COND.

Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Iudæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Ad Rom. 6. 14. *Un baptisè eſt encore ſous la Loi comme un Juif, s' il n' accomplit p is la Loi, ou s' il l' accomplit pour la ſeule crainte.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Lib. de nat. & grat. cap. 57. SANCT. Auguſtinus. *Nec attendit etiam ipſe* (Pelagius) *iam baptizatis fuiſſe dictum.... quod ſi ſpiritu ducimini, non adhuc eſtis ſub lege. Sub lege eſt enim qui timore ſupplicij quod lex minatur, non amore iuſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati .... in ipſa enim voluntate reus eſt.*

1. 2. q. 107. S. Thomas. *Lex vetus .... dicebatur lex timoris .... & propter hæc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animam, quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter eius voluntas à peccato recedit, ſicut recedit voluntas eius, qui amore iuſtitiæ abſtinet à peccato.*

NULLAS HIC REFLEXIONES ANONYMUS HABET.

ANIMADVERSIONES.

1 BOnam fidem ſinceritatemque in Anonymo SS. PP. allegante, ſemper ipſe deſiderare nos facit, qui debuerat intercisa verba adhibitis punctis diſtinguere, ne ſenſum ad placitum immutaret. Primam namque interpunctionem in teſtimonio S. Auguſtini, duaſque in alio S. Thomæ prætermittit, vt oſtendat SS. DD. compoſita oratione ſuo Queſnellio faventes. At in vanum laborat, vt videbimus.

2 Antea autem obſervandum eſt, quod Queſnellius dum hac ſua propoſitione vult interpretari verba Apoſ-

Apoſtoli, apertiſsimè contrariatur Auguſtino eàdem verba exponenti. Apoſtolus enim dicit: *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub Gratia.* Ad quæ Queſnellius. Baptizatus, ait, legem non adimplens, ſeu adimplens ex ſolo timore, adhuc eſt ſub lege, ſicut Iudæus: conſequenterque ad ſenſum Pauli, peccatum illi dominatur.

Ad Rom. 6. 14.

3 At verò S. Auguſtinus inquit: *Itaque quatuor iſtos gradus hominis diſtinguamus: ante legem, ſub lege, ſub gratia, in pace. Ante legem ſequimur concupiſcentiam carnis. Sub lege, trahimur cum ea. Sub gratia, nec ſequimur eam, nec trahimur ab ea. In pace, nulla eſt concupiſcentia carnis.* Quo ſuppoſito, pergit poſtea ad exponendam prædictam ſententiam Apoſtoli dicens: *Quod autem ait, peccatum enim in vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia: utique ad illum tertium gradum iam pertinet, ubi homo iam mente ſervit legi Dei, quamvis carne ſerviat legi peccati.*

Expoſ. quarūd. prop. ex Epiſt. ad Rom.

4 In his apertè docet S. Auguſtinus ſenſum Apoſtoli eſſe, quod illi quibus peccatum non dominatur, illi, ſcilicèt, qui neque ſequuntur concupiſcentiam, nec trahuntur ab ea, quamvis alias motibus concupiſcentiæ agitentur, iſti, inquam, non pertinent ad ſecundùm gradum, vel ſtatum, ſed ad tertium, id eſt, non ſunt ſub lege, ſed ſub gratia. At illi qui ob timorem pœnæ, ſeu gehennæ, non ſequuntur, nec exteriùs, nec interiùs, motus concupiſcentiæ, hi profectò non trahuntur cum ea ad legem implendam, id eſt, non ſic exteriùs adimplent legem, vt interiùs concupiſcant quod lex ipſa vetat. Ergo iſti non ſunt ſub lege, ſicut Iudæi, vt ait Queſnellius perversè exponens Apoſtolum, ſed ſunt ſub gratia iuxta expoſitionem S. Auguſtini quæ illi adverſam, ac veriſsimam.

5 Quod adhùc manifeſtiùs apparet ex ipſomet teſtimonio adducto ab Anonymo, quod non iam mutilatum, ſed integrum, eſt huiuſmodi. *Nec attendit etiam ipſe iam baptizatis fuiſſe dictum, caro concupiſcit adverſum ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, vt non ea, quæ vultis faciatis: & ne ab ipſa pugna deſides faceret, & per hanc ſententiam laxamentum peccandi dediſſe videretur, adiungit: quod ſi ſpiritu ducimini, non adhuc eſtis ſub lege. Sub lege eſt enim, qui timore ſupplicij quod lex minatur,*

non amore iuſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondùm liber, nec alienus à voluntate peccandi, in ipſa enim voluntate reus eſt, qua mallet, ſi fieri poſſet, non eſſe quod timeat, vt liberè faciat, quod occultè deſiderat.

6 Sentit igitur S. Auguſtinus, quod in baptizatis manet adhuc concupiſcentia, ſed ad agonem, ad conflictum per gratiam Chriſti vincendum, vt docet etiam Concilium. Qui ergo carne, aut concupiſcentia adverſus ſpiritum pugnante ita ducitur, vt opere adimpleat, quod lex iubet, ideò tantùm, vt vitet pœnam, quam illa minatur, & timet: ſic nimirùm, vt nequaquam ſit liber, ſeu alienus à voluntate peccandi, ſed imò occultè deſideret facere quod lex vetat, ſi impunè liceret; hic profectò reus in ipſa voluntate eſt; trahitur namquè vi perverſi timoris cum ipſa ſua concupiſcentia intùs victrice, ad faciendum animo prorsùs invito opus legis: proptereaque quo ad id, non iam eſt ſub tertio gradu, nempè ſub gratia: ſed ſub ſecundo, ſcilicèt ſub lege, ſicut Iudæus.

7 Qui autèm non ita concupiſcentia ducitur, vt vel illam ſequatur, vel ab ea trahatur; quamobrem neque exteriùs facit opus concupiſcentiæ, neque interiùs, ſeu animo, illi adhæret; hic profectò non eſt ſub lege, & ſecundo gradu, ſicut Iudæus: ſed ſub gratia, & in tertio gradu, ſicut Chriſtianus. At per ſe manifeſtum eſt, quod qui opere, & corde, abſtinet à malo per legem prohibito ob timorem pœnæ æternæ, quam illa comminatur non ſolum facientibus exteriùs opus concupiſcentiæ, ſed & corde, ac deſiderio illi adhærentibus, hic proculdubiò, nec ſequitur concupiſcentiam, nec ab ea trahitur, alioqui nullo modo differret ab alio, qui quamvis nō opere, corde tamē conſentit peccato: ergo hic nequaquā ſub lege eſt, ſed ſub gratia.

8 Nec tamen propterea, aut præcisè ſub iſta eſt omninò perfectè: ſed adhuc conari debet, exhortanduſque ille eſt, vt vlteriùs proficiat, progrediaturque à timore iſto, & ſi ſervili, vtili, & honeſto, ad timorem initialem, ad charitatem inchoatam, & exindè ad perfectam. Hoc enim ipſum docet nos S. Auguſtinus, ibi maximè vbi Anonymus ſomniat eum faventem Queſnellio, & reprobantem timorem Chriſtianis, dicens: *Si ergo volumus animos ad rectè vivendum frigidos, & pigros Chriſtianis exhortationibus,* De nat. & grat. cap. 61.

&

& excitare, & accendere .... ſi iam Chriſtiani ſunt, & rectè vivere negligunt, verberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur, &c. Non igitur cenſet alienum eſſe à Chriſtianis, aut Iudæis tantum convenire, quod timore concutiantur, quod terroribus verberentur.

9 Nec magis favet Queſnellio S. Thomas ab Anonymo allegatus, quinimmo eo ipſo loco à me ſtat, vt conſtabit legenti eius teſtimonium, quod non interpolatum, ſed integrum ſtatim exſcribam poſtquàm monuero, quod ibi agens ex inſtituto de differentia vtriuſque legis veteris, & novæ, quam aliqui poſuere in timore, & amore: alij in eo, quod lex vetus habebat promiſſa temporalia, lex autem nova habet promiſſa ſpiritualia, & æterna: alij adhuc in alijs; verùm S. Thomas in eo aſſerit vtramque differre, quod lex vetus eſt imperfectorum, & vt ipſe ait, eſt veluti Pædagogus, puerorum. Lex autem nova eſt lex perfectorum, ſeu agentium per habitum virtutis perfectæ, nempè per charitatem, & amorem.

10 Undè cum alitèr inclinentur ad operandum qui perfecti ſunt, quia habent virtutis habitum, & alitèr imperfecti, qui nondùm eum habitum habent, propterea iſtis dabatur lex vetus, illis autem lex nova datur. Atque ita duas antea memoratas differentias concilians, & explicans, inquit: *Illi autem qui nondùm habent habitum virtutis, inclinantur ad agendum virtutis opera ex aliqua cauſa extrinſeca, putà ex comminatione pœnarum, vel ex promiſſione aliquarum extrinſecarum remunerationum, putà honoris, vel divitiarum, vel alicuius huiuſmodi. Et ideò lex vetus, quæ dabatur imperfectis, id eſt nondùm conſecutis gratiam ſpiritualem, dicebatur lex timoris, in quantum inducebat ad obſervantiam præceptorum per comminationem quarumdam pœnarum, & dicitur habere temporalia quædam promiſſa.* Vbi ſupr. artic. 1. ad 2.

11 Moxque loquens de perfectis, ſeu habentibus virtutis habitum, addit: *Illi autem qui habent virtutem, inclinantur ad virtutis opera agenda propter amorem virtutis, non propter aliquam pœnam, aut remunerationem extrinſecam. Et ideò lex nova cuius principalitas conſiſtit in ipſa ſpirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris, & dicitur habere promiſſa ſpiritualia, & æterna, quæ ſunt obiecta virtutis, præcipuè charitatis, & ita per ſe in ea*

inclinantur, non quaſi in extranea, ſed quaſi in propria. Et propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum, quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter eius voluntas à peccato recedit, ſicut recedit voluntas eius qui amore iuſtitiæ abſtinet à peccato: propter hoc lex nova, quæ eſt lex amoris, dicitur animum cohibere.

12 Sic itaque explicata à S. Thoma vtriuſque legis differentia ex obiectis, & ex medijs quibus vtraque vtitur, atque etiam ex ſubiectis quibus vtraque impoſita eſt; nemini dubium eſſe poteſt, quod Iudæi per legem veterem inducebantur ad benè agendum, & promiſsionibus temporalibus, & comminatione pœnarum, atque ideò ea lex dicebatur lex timoris. Sed neque etiam vllus ambigit, quod Chriſtiani per legem novam Evangelij inclinantur ad benè agendum promiſsionibus bonorum ſpiritualium æternorum, & propter amorem Dei, ſeu ex motivo, & impulſu charitatis, & ideò hæc lex dicitur lex amoris. Utrumque tamquam exploratum ſupponimus.

13 Verumtamen, qui ex hinc vlteriùs aſſerat cum Queſnellio, baptizatum ſe præparantem ad adimplendam legem ex timore, deteſtantemque peccata ob comminatas pœnas, hoc ipſo eſſe ſub lege veteri, ſicut Iudæus, ac propterea neminem baptizatum eſſe inducendum ad obſervantiam legis timore gehennæ, neque etiam promiſsis temporalibus. Qui, inquam, id aſſerat, temere illud ex præfata vtriuſque legis differentia colliget, vt ex dicendis §. ſequenti amplius apparebit. Atque inſuper Tridentino, ac SS. PP. ſæpè in ſuperioribus laudatis adverſabitur. Et quoniam abunde liquet, ex dictis ad Propoſit. præced. quantum valeat ex ſententia Concilij, & PP. timor gehennæ incuſſus peccatori baptizato, vt reſipiſcat, convertatur, & iuſtificetur, teſtimonia quæ ibi videre poſſunt, hic replicare noluimus. *N. 159. ad VI. Prop.*

14 Audiat autem Anonymus S. Thomam quem nobis opponit, poſt allegata verba iſta ſubiungentem. *Fuerunt autem aliqui in ſtatu veteris teſtamenti habentes Charitatem, & Gratiam Spiritus S. qui principalitèr expectabant promiſsiones ſpirituales, & æternas; & ſecundùm hoc pertinebant ad legem novam. Similitèr etiam in novo Teſtamento ſunt aliqui carnales, nondùm pertingentes ad* *Vbi ſupr.*

per-

perfectionem novæ legis: quos oportuit etiam in novo Teſtamento induci ad virtutis opera per timorem pœnarum, & per aliqua temporalia promiſſa.

15 Hæc quæ Anonymus allegans S. Thomam conſiderare debuerat, clariſsima ſunt, atque vrgentiſsima ad ſuum Queſnellium confutandum. Si namque oportet per timorem pœnarum inducere ad virtutis opera eos qui iam in novo Teſtamento ſunt, & conſequenter baptizatos, eos inquam, qui carnales, qui peccatores ſunt, non propterea iſti extrahuntur à lege Evangelij, & ponuntur ſub lege veteri, ſicut Iudæi, alioqui neque illud oporteret, nec S. Thomas illud approbaret. Nam neque ipſe Queſnellius affirmans baptizatum adimplentem legem timore pœnarum, eſſe ſub lege veteri, ſicut erant Iudæi, non audebit affirmare, & approbare, quod oporteat inducere per timorem peccatorem baptizatum ad legem implendam. Ergo neceſſum omninò eſt, vel quod ipſe deliret dum primum enunciat, vel quod S. Thomas aberret dum ſecundùm pronuntiat.

16 Verùm autèm eſt, quia ſi penſitetur differentia vtriuſque legis ex eo, quod vetus per timorem, nova ducit per amorem: qui alias baptizatus nollet vnquam amore duci, nolletq; ex timore ad amorē aſcendere, velletque tantum legem adimplere ob vitandas pœnas quas timet, hic quaſi ſub lege tantùm veteri vellet eſſe, ſicut Iudæus carnalis: imò transfuga, & omninò exlex, tranſgreſſorque erit legis quæ Dominum Deum diligendum præſcribit. At cum differentia illa penès timorem, & amorem, accipienda ſit iuxta S. Thomam, ibi: *Secundùm perfectum, & imperfectum*: indè eſt, quod qui ſic imperfectus ſit, quia nondùm pervenit ad perfectionem amoris, vult tamèn, conaturque ad illam pervenire, hic profectò cum timere incipit, cum timore concutitur, non propterea eſt ſub lege veteri, quemadmodum Iudæus qui non conatur ex timore aſcendere ad amorem.

17 De quo oportunum exemplum innuit S. Thomas dicens, oportere quod etiam in novo Teſtamento peccatores inducantur ad virtutis opera promiſsione bonorum temporalium. Etenim ſicut dici ſolet quod lex vetus differt á nova per timorem, ita etiam dici ſolet, quod ab ea differt per temporales promiſsiones: & quidèm rectè quo-

quoniam lex omnis non ſolùm inducit ad ſui obſervantiam comminando pœnas tranſgredientibus, ſed etiam promittendo dona, & præmia adimplentibus legem. Et tamen qui in novo Teſtamento inducantur ad opera virtutis promiſsione illorum bonorum temporalium, quæ extat apud Marcum, non ideò habendi ſunt ſicut Iudæi ſub lege veteri, ſed ſub nova Evangelij, dummodò ſcilicèt, non omninò acquieſcant, nec ſint contenti illis temporalibus bonis ſolummodò, ſed ad vitam æternam ibi etiam promiſſam deſiderandam, & expectandam progrediantur. Neceſſe ergo eſt, velit nolit Queſnellius, quod idem dicamus de peccatore baptizato incipiente ſe convertere, & movere ad virtutis opera ex timore pœnarum.

Cap. 10. 30.

18 Nec quod S. Thomas dixerit, Patres antiquos veteris Teſtamenti qui per fidem Chriſti venturi principalitèr expectabant promiſsiones ſpirituales, & æternas, hoc ipſo pertinere ad legem novam, exindè licèt veluti à ſimili, & a contrario ſenſu colligere, quod qui in novo Teſtamento ducuntur, vel timore pœnarum, vel expectatione promiſsionum temporalium, hoc ipſo pertinent ad legem veterem. Eſt namque multiplex inter vtroſque differentia, atque dumtaxàt ſtat ſimilitudo in eo, quod quemadmodùm aliqui in veteri Teſtamento ducebantur amore, & promiſsionibus æternis, ita, & aliqui in novo Teſtamento incipiunt moveri ad benè operandum ex timore, & temporalibus promiſsionibus.

19 Cur autem iſti non propterea ſint ſub lege veteri, ſicut illi ad novam pertinent? Multiplex ratio eſt. Prima, quia peccatores in novo Teſtamento ſupponuntur fidem explicitam Chriſti, & revelationum divinarum habentes, quæ etiam timor ipſe pœnarum quo concutiuntur, & promiſsiones quibus alliciuntur, regulantur. At manifeſtum eſt, quod fides hæc quæ, & creditur factum, quod in lege veteri credebatur futurum, facit quod homines ſic credentes ad legem novam pertineant, & ſub illa ſint.

20 Secunda, quia iſti non incipiant benè operari ex timore ſervili, ita vt in hoc motivo ſiſtant, neque ex promiſsionibus dumtaxàt temporalibus vltimo moventur, ſed vt proficiant, & aſcendant ad amorem, & erecti in ſpem aſpirent ad ſpirituales promiſsiones, quæ omnia pro-

prijſ-

priſſima ſunt exiſtentium ſub lege nova. Tertia, quia neque iſti tenentur vllis præceptis legalibus, ſeu cæremonialibus, ſeu Iudicialibus legis veteris, imò ea omnia iam mortua, ac mortifera æſtimant. Ac tandèm, quia etiam in lege nova iubemur timere Deum, eiuſque diſtrictum iudicium, & pœnas quas lex minatur, iuxta illud: *Potiùs timete eum qui poteſt, & animam, & corpus perdere in gehennam.* Item: *Timete eum qui poſtquam occiderit habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis hunc timete.* Baptizatus igitur, qui hoc mandatum novæ legis adimplet, timens Deum, & gehennam, timore aliàs per charitatem ordinabili, non poteſt dici, abſque errore, & iniuria, quod adhuc eſt ſub veteri lege, ſicut Iudæus.

Matt. 10 28. Luc. 12. 5.

21 Patres autem veteris Teſtamenti qui dicuntur pertinere ad legem novam, quia expectabant promiſsiones ſpirituales, & æternas, id habuere ex ſingulariſsimo privilegio Dei, qui voluit eis ſpecialitèr revelare Adventũ Chriſti novæ legis authoris, quem non iam quaſi ipſis futurum, ſed anticipatione præſentem, fide explicita qua illum, & in illo credebant, cernebant: & vt per hanc fidem iuſtificati, quamvis quo ad alia lege veteri tenerentur, ſecundùm hoc tamèn ad legem novam pertinebant. *Illi autem*, ait S. Thomas, *qui in veteri Teſtamento Deo fuerunt accepti per fidem, ſecundùm hoc ad novum Teſtamentum pertinebant: non enim iuſtificabantur niſi per Fidem Chriſti, qui eſt Author novi Teſtamenti.* *Ibi.*

22 Oportunumque exemplum adhibet illicò in Moyſe, de quo Apoſtolus ait, quod *Æſtimabat maiores divitias Theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti, aſpiciebat enim in remunerationem*, nempè ad promiſſa ſpiritualia, & æterna. Idemque dicendum de alijs quos ibi nominatim, illorumque fidem laudat Apoſtolus. Et præſertim Abraham, de quo ipſa ſumma veritas Chriſtus dixit: *Exultavit ut videret diem meum, vidit, & gaviſſus eſt.* Ad quæ S. Auguſtinus. *Si diem ſuum voluit ſuum tempus intelligi, teſtimonium profectò perhibuit Abraha, quod fide fuerit Incarnationis imbutus.* Nullum ſanè ex tam ſingulari gratia, & privilegio exemplum ad propoſitionem Queſnellij deſumi poteſt.

Ad Hebr. 11. 26. *Ioann. 8. 56.* *Lib. 1. cont. Pelag. & Cel. cap. 27.*

23 Quæ præterea mendacij, aut ignorantiæ redarguit cunctos SS. PP. qui ſuis teſti-

timonijs in præcedentibus allegatis, monent, hortantur peccatores, non quidem Iudæos, ſed Chriſtianos, ſed baptizatos, vt Deum eiuſque iudicium timeant, gehennam metuant, quo ſaltèm timore perterriti abſtineant à peccato, legem adimpleant, quem propterea vt bonum, honeſtum, pędagogum gratiæ, vtilemque non ad legis veteris, ſed ad Evangelij obſervantiam, laudant, atque commendant.

24 Hæc apud SS. PP. expreſſa, Queſnellius præſenti propoſitione reprehendit, Anonymus ſua iniqua defenſione improbat: ac neceſsè eſt fateantur, quod etiam SS. Evangelij Doctores, dùm Chriſtianos ad timorem hortantur, Iudæos faciunt, aut fieri volunt. Verùm ſic impiè divos obtrectantes, nec timore, nec pudore impediti, coerceri debuerunt lege Romana, nempè Conſtitutione SS. D. N. Clementis XI. Religione ſancientis, ne quis audeat ſimilia effutire dogmata quæ, & Chriſtianis inſtitutionibus, & honori SS. PP. apertiſsimè derogant. Qui ſi vltra refragari cupiunt, ſibi forſam melius adaptatum illud Satyrici habeant, dùm de lege veteri poſtea ex inſtituto ſermo erit.

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Iudaicum ediſcunt, & ſervant, & metuunt ius.

LXIV.

LXIV. PROPOS. CONDEMNATA.

Sub maledictio legis numquam fit bonum, quia peccatur ſivè faciendo malum, ſivè illud non niſi ob timorem evitando.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Ad Gal. 5. 18. Super hæc verba Apoſtoli: *Quod ſi ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege. Sous la malediction de la loi, on ne fait jamais le bien, parce qu'on peche, ou en faiſant le mal, ou en ne l'evitant que par la crainte.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De Spir. & lit. 29. SANCT. Auguſtinus, poſt relata hæc verba Apoſtoli: Si enim data eſſet lex quæ poſſet vivificare, omninò ex lege eſſet Iuſtitia: ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſsio ex fide Ieſu-Chriſti daretur credentibus, inquit: *Ex hac promiſsione, hoc eſt ex Dei beneficio lex impletur, ſine qua promiſsione prævaricatores facit, vel uſque ad effectum mali operis, ſi etiam repagula timoris concupiſcentiæ flamma tranſcenderet; vel certè in ſola voluntate, ſi timor pœnæ ſuavitatem libidinis vicerit.*

ANIMADVERSIONES.

1 EXplicatio mentis, & ſenſus S. Auguſtini quam verbis ipſius adhibuimus loco in præcedenti propoſitione allegato, ad præſentem etiam improbandam conſentanea, & oportuna eſt. Deindè, ſi Anonymus animadvertiſſet, ut debuerat, quid ibi S. Auguſtinus intendat, quidque ſibi toto eo libro tractandum, ac definiendum proponat, non adeò confidenter ipſum pro hac ſui Queſnellij propoſitione allegaret.

2 Intentum namque S. Auguſtini paucis comprehenſum, fuit in eo tractatu Marcellinum docere, quod nec per ſolùm liberum arbitrium, neque ſimul per legem, homo

poteſt iuſtificari, ſed per fidem, charitatem, & gratiam per Chriſtum. Quapropter voluntas humana quamvis à Deo libero arbitrio prædita, quamvis ab ipſo lege, & præceptis ſuis edocta quemadmodùm rectè vivere debeat, non propterea eſt ſufficientèr adiuta, ſed indiget fide illa quæ per dilectionem operatur, & auxilijs divinæ gratiæ per Chriſtum: ſolaque gratia Dei fit iuſta, & ſancta; neque impoſsibile eſt, quod per eam ad eum ſanctitatis gradum pervenire poſsit, ad quem forſam nullus hominum vnquam, & defacto pervenit.

3 Hæc eſt ſumma totius libri: vbi quod attinet ad inſufficientiam legis, multis oſtendit S.D. eam ad iuſtificandum, & ad rectè vivendum, eſſe invalidam, ac præſertim his quæ Apoſtolus ſcripſit ad Galatas, ad quæ S. Auguſtinus ea habet quæ Anonymus affert, & inſuper addit: *Legem operum fuiſſe in Iudaiſmo, legem fidei eſſe in Chriſtianiſmo. Et quod operum lex minando imperat, hoc fides lex credendo impetrat.* Undè, & colligit. *Non iuſtificari hominem præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem Ieſu-Chriſti, hoc eſt nõ lege operũ, ſed lege fidei.*

Cap. 1.

4 Iam ergo ſi Chriſtianum ſine fide fingat Queſnellius, ſic etiam ſe gerentem, vt timore pœnæ opus externum legis faciat, invito prorsùs animo, ſive cum interiori deſiderio, & occulto amore peccati, neque intus, nimirùm corde, ſed tantùm opere malam concupiſcentiam frænet; neque ex timore in ſpem erigatur; neque per fidem ad miſericordiam Dei confugiat, hic proculdubio ſub maledicto legis erit; neque vllo modo per legem quam opere adimplet, iuſtificabitur, ſed ei potius abſcondetur gratia, qui timore ſuo animo abſcondit affectum peccandi corde retentum. *Ex lege*, inquit S. Auguſtinus, *timemus Deum, ex fide ſperamus in Deum: ſed timentibus pœnam, abſconditur gratia. Sub quo timore anima laborans quando concupiſcentiam malam non vicerit, nec timor ille quaſi cuſtos ſeverus abſceſſerit; per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, vt det quod iubet, atque inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum Sanctum, faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.*

De Spir. & Litt. cap. 29.

5 Quibus verbis ſat apertè ſignificat, non eſſe in Chriſtiano reprobandum tanquam inutilem ad iuſtificationem, vel in lege gratiæ exitialem, timorem, dummodò, & opus ex-

externum & interiorem affectum pravum coerceat: dummodò ex fide quæ per charitatem operatur, concipiatur: dummodò ad miſericordiam Dei peccatorem confugere faciat: dummodò ex illo iſte in ſpem erigatur: quæ ſunt præparationes ad iuſtificationem quas ex Tridentino, & SS. PP. nuper explicuimus.

6 Cum autem poſtea idem S. D. exponat, qualis ſit fides illorum qui ſic ex timore opus legis faciunt, vt mallent, ſi fieri poſſet, licere, quod nō licet, & idcircò aliud habent in voluntate, quam quod opere complent, ait: *Timor ergo ille ſervilis eſt, & ideò quamvis in illo Domino credatur, non tamen iuſtitia diligitur, ſed damnatio timetur.* Alium autem, & nobiliorem fidem ſtatim explicat, nempè illorum, qui non acceperunt ſpiritum ſervitutis, ſed adoptionis, quo & propterea non iam vt ſervi, ſed tanquam filij clamant, *Abba Pater*, ad quorum ſtatum alios hortatur, vt ex lege tranſeant, his verbis: *Huc ergo tranſeant qui ſub lege ſunt, vt ex ſervis filij fiant: nec ſic tamen vt ſervi eſſe deſiſtant, ſed vt tanquam filij Domino, & Patri liberalitèr ſerviant.*

Ibid. cap. 32.

7 Qui ergo non excludit ab ſtatu filiorum, & fidei, omnem ſervitutem; non etiam excludit, ſeu damnat in eis timorem omnem, ſed illum tantùm qui ſimplicitèr ſervilis eſt, qui, videlicèt, ſecum habens affectum interiorem ad peccatum, facit hominem ſervire Domino, & obedire legi, invito animo, non liberalitèr, non libere, quod idem eſt apud Auguſtinum reprehendentem eos qui cum ſic ſerviant, adhuc ſe de libero arbitrio iactant. *Si ergo*, inquit, *ſervi ſunt peccati, quid ſe iactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus eſt, huic, & ſervus addictus eſt.*

Ibid. cap. 1.

8 His itaque tam longè abeſt, vt S. Auguſtinus approbet præſentem propoſitionem Queſnellij, quod potius illam manifeſtè impugnat, dùm cuncta quæ contra primam de hac re propoſitionem diximus, patentèr confirmat. Sat namque hic diſtinguit duos timores, alterum pravū quo ſolummodò opere, non autem corde, lex adimpletur; qui hominem non liberum, ſed miſere ſervum, ſub maledicto legis, ſervientem peccato, & legi concupiſcentiæ facit. Alterum verò bonum, vtilemque, ex quo qui per gratiam Dei ad ſpem conſurgit, qui ad eius miſericordiam confugit, non iam ſub lege operum, ſed ſub lege

fidei eſt, non iam ſervus, ſed liber, etiam cum ſervit Domino in timore, quia, nimirùm, ſervit liberaliter, qui, & opere, & corde legem adimplens, nullo modo peccato addictus eſt ſervus.

9 Ut inſuper Queſnellius abſolutè pronuntiat, ſub maledicto legis numquam fieri bonum, quia peccatur ſemper quod ex timore pœnæ lex adimpletur, quia, ſcilicèt, adimpletur non corde, ſed opere tantum. Hoc inquam ita abſolutè prolatum, falſiſsimum, ac prorſus temerarium eſt tam de illis qui lege veteri tenebantur, quam de nobis qui iam ſub lege gratiæ, & Evangelij ſumus: quippè illa obviò ſenſu ſignificant, quod omnes indiſcriminatim qui ob timorem pœnæ legem adimplent, ſunt ſub maledicto legis, ideſt, ſunt obnoxij maledictioni, execrationi, ſeu damnationi æternæ.

10 At hoc de Chriſtianis quam falſum ſit, quamque illis iniurioſum, manifeſtè patet, tùm quia non omnes, forſam nec plurimi ſunt, qui ſic adimpleant, præcepta Evangelij ob timorem damnationis, quod ſimul animo retineant voluntatem peccandi: tùm, & præcipuè, quia nemo Chriſtianorũ iudicat, aut credit ſe, aut quempiam iuſtificari per opera legis, & præſertim facta ex pravo timore nullo modo cor, ſed manum tantum cohibente. Longè id à Chriſtianorum fide, quæ omnes credunt ſe liberari à peccatis per miſericordiam Dei, per infinita merita Chriſti, atque non niſi ex gratia per ipſum, ſe etiam concuti timore illo damnationis, quo, & corde, & opere abſtinent à peccatis, dolentque de commiſsis, & cuius motu non quidem iuſtificantur, ſed dumtaxat præparantur ad iuſtificationem per gratiam Dei obtinendam per Chriſtum.

11 Quod autem attinet ad eos qui ſub lege veteri erant, manifeſtum etiàm eſt quod nequaquam affirmari poteſt omnes illos fuiſſe ſub maledicto legis, quia nimirùm, omnes adimpleverint legem ob ſolùm timorem pœnæ, cum qua ſimul retinuerint affectum interiorem ad opera mala, & lege prohibita. Nec ſimilitèr dici poteſt, omnes illos crediſſe, aut voluiſſe iuſtificari operibus legis tantùm. Conſtat namque plurimos illorum, & iuſtos apud Deum, & fide Chriſti expiata, aut implicita fuiſſe iuſtificatos. Omnes itaque, ac maximè Chriſtianos, ſua abſoluta propoſitione percellit Queſnellius.

Qui

12 Qui obſervare debuerat, quod Apoſtolus cuius ſe Commentatorem facit, ſcribens ad Romanos, & ad Galatas, id potiſsimum ſuadet, ac docet, omnes, ſcilicèt, ſive Iudæos, ſive Gentiles, non per legem, aut per eius opera, ſed per Fidem Chriſti iuſtificari: quod etiam ex ipſo veteri Teſtamento confirmat, allegans, & replicans illud Abacuc: *Iuſtus ex fide vivit.* Undè ait, legem ſine fide iram operari, & quod *quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt*: id eſt, qui ſine fide, operibus tantum legis fidunt, maledictioni, & damnationi ſunt obnoxij, quia, videlicèt, iſti neque adimplent, neque adimplere poſſunt totam legem, ſine fide, & gratia Chriſti. Ita SS. PP. & Interpretes omnes.

Cap. 2. 4. Ad Rom. 8. 13. Ad Gal. 3. 10.

13 Iam ergo ex tam perſpicuo ſenſu Apoſtoli, quis niſi Queſnellius, aut eius ſectator Anonymus, colligere poſſet, quod qui adiuti gratia Dei per Chriſtum, atque imbuti, & præventi fide illius, opera legis exequuntur ob timorem pœnæ, hi, hoc ipſo ſub maledicto ſunt, nec quicquam boni adhuc moralis faciunt, ſed imò peccant, dùm opere, & corde evitant malum lege prohibitum ob formidatam pœnam?

14 Non ſic equidem SS. PP. qui, ut ſupra, verba Apoſtoli exponunt, nequaquam colligentes maledictionem, aut damnationem eorum qui præcepta Dei exequuntur etiam ob timorem pœnæ, alioqui æternæ, ac ſuppoſito quod ita timeant, & legem adimpleant per fidem, & gratiam Chriſti. Undè S. Auguſtinus interpretatur textum illum Pauli de timore pure humano, aut pœnæ viſibilis, & temporalis, quo, non autem per fidem, movebantur plurimi Iudæi ad facienda exteriùs opera legis. Sic enim inquit: *Quod autem ait, quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt legis: ſub timore vult intelligi, non in libertate, ut ſcilicet corporalis præſentiſque vindicta timeretur in eos qui non permanerent in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut facerent ea.*

In Expoſ. Epiſt. ad Gal.

15 Et poſteà ad illud: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, ait: *Spiritus enim Sanctus qui hoc per Moyſen dixit, utrumque prævidit, ut timore viſibilis pœnæ cuſtodirentur, qui nondùm poterant ex inviſibilium fide vivere: & ipſe timorem iſtum ſolveret, ſuſcipiendo quod timebatur.* Quis autem hic non videat quam captioſe Queſnel

nellius abutitur textu Apoſtoli ad improbandum timorem ſupernaturalem pœnæ, non temporalis, ſed æternæ: quamque falsò, & petulantèr collocet ſub maledicto legis, eos qui opera legis exequuntur, credentes, & timentes gehennam, & diſtrictum Dei iudicium, propterea que ex inviſibilium fide viventes. Ut enim longè illi ab illis diſtant, vehementiſsimè à S. Auguſtino diſſentit Queſnellius.

16 Similiter, & eodem fermè ſenſu, ac Auguſtinus, exponunt Apoſtolum SS. Theodoretus, & Thomas. Quin, & totus Patrum, atque Interpretum chorus hoc ipſum perſonat: à quibus maluit Queſnellius ſua putrida expoſitione diſcedere, quam agnoſcere aliquem timorem gehennæ bonum, & vtilem Chriſtianis, vt eo concuſsi de perpetratis flagitijs doleant, & à tranſgreſsione Divinæ Legis abſtineant. Qui ita legem adimplent, inquit ille, hoc ipſo peccant, & ſub maledicto legis ſunt: quia videlicèt Iudæi ſic opera legis faciebant ob timorem pœnæ quam illa minabatur, vt teſtatur Paulus.

17 Oportet itaque ad hoc, vt expoſitio iſta vera, & ad mentem Apoſtoli ſit conformis, quod & Queſnellius damnet, aut reprobet quotquot incitant Chriſtianos ad pœnitendum de peccatis, ad non tranſgrediendam legem incutiendo illis timorem diſtricti Iudicij, & ignis inferni, & maximè adhibito exemplo Iudæorum qui timore ſupplicij quod lex minabatur, ad facienda opera legis inducebantur. Hæc enim ſequela inevitabilis eſt, ſuppoſita ea doctrina quam Queſnellius ſua expoſitione iudicat eſſe Apoſtoli. Quis namque licitè poterit hortari Chriſtianos ad timorem ponentem ipſos ſub maledicto legis? Aut cui licebit ſuadere alteri ne peccet ob timorem pœnæ quam lex minatur, ſi hoc ipſo peccat, quia tantùm ob timorem pœnæ non peccat.

18 Cum igitur id affirmet ſua propoſitione Queſnellius reum pravæ ſuaſionis facit ipſum Apoſtolum Paulum, qui ſic incitat, monetque peccatores, vt reſipiſcant, vt à peccatis abſtineant, vt legem non tranſgrediantur, iniiciens, nimirum illis timorem, imò, & terrorem graphicèque deſcriptum, diſtricti iudicij, & æterni ignis: qualitèr, & tranſgredientibus legem Moyſis pœna temporalis, ac mors comminata erat, vt timore eius legem adimplerent.

Hæc

19 Hæc enim ſunt verba Apoſtoli : *Voluntariè enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios. Irritam quis faciens legem Moyſis ſine vlla miſtratione, duobus, vel tribus teſtibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixerit: mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: quia iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Eat ergo Queſnellius, & egregio ſuo commentario damnet Apoſtolum, quia cum timentes Chriſtianos facit, vt faciat obſervantes: facit eo ipſo peccantes, facit Iudæos, facit maledictos.

Ad Heb. 10.26.

20 Sed & neceſsè eſt, vt ſimùl ſummæ iniquitatis condemnet magnum Pauli Interpretem S. Ioannem Chryſoſt. ita loquentem : *Hoc nunc quoque fecit Paulus, cum eorum concuſſiſſet animos, & facta mentione gehennæ, eos compunxiſſet, & eis fidem feciſſet, quod cum omninò perire oportet qui Dei gratiam affecit contumelia; & ex Moyſis legibus hoc oſtendiſſet, quod ſi ſit periturus, & magis etiam alijs obſignaſſet teſtimonijs, & dixiſſet: horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.*

Hom. 21.

21 Itaque Apoſtolum laudat Interpretes Chryſoſtomus, quod incuſſerit Chriſtianis metum gehennæ, ne legem Evangelij violarent, vel ſi violarent: exemplo ipſo legis Moyſis, quæ mortem eius trangreſſoribus minabatur: quodque id fecit Paulus, quia timor iſte vtilis fuit ad concuſſionem animorum, ad compunctionem cordium. Et nihilominùs audet ex adverſo Queſnellius eumdem Apoſtolum exponere veluti damnantem obſervantiam legis ob timorem, quia ita Iudæi legem Moyſis adimplebant: & quia tàm longe abeſt, vt timor iſte ſit vtilis ad concuſſionem animi, ad compunctionem cordis, quod potius eo peccet, qui ob illud non peccat; & quia qui ob id legem non tranſgreditur, hoc ipſo tranſgreſſor legis, & ſub maledicto illius eſt.

22 Abſurda hæc invenit apud Paulum Queſnellius, quæ latuere Chryſoſtomum, imò, quæ, & ille cogitur fateri, Paulum & probaſſe, & le-

feciſſe. Atque quemadmodum Lutherus turpitèr erravit colligens ex hoc ipſo textu Apoſtoli, quod ex ſententia iſtius ſola fides ſine operibus homines iuſtificat, quia dixit: *Ex fide iuſtificat gentes.* Et, *Iuſtus ex fide vivit*: Similiter, & Queſnellio placuit, non minori errore, atque iniuria Pauli, colligere, & docere tanquam ſententiam ipſius, quod qui ob timorem gehennæ omninò non peccant, hoc ipſo peccant, quia ille dixit: *Quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt.* Sic continuò graculus aſsidet graculo.

Ad Gal. 3.8.

Ibi 10.

23 Quamobrem meritò damnavit SS. D. N. Clemens XI. propoſitionem quæ ſenſum adeo abſonum, vt repugnantem Tridentino, & Patribus, imò, & contrarium doctrinæ, & praxi Apoſtoli præſefert. Debuerantque collum ſubmittere æquiſsimæ ſententiæ Anonymus, & reliqui ſectatores Queſnellij, vel ſaltèm ob timorem fulminis quo feriuntur. Niſi forſàn ideò renuunt obedire Summi Sacerdotis imperio, ne ſcilicèt ſint ſub maledicto Antiquæ Legis, quam tantopere reprobant, quia & illa hanc obedientiam à ſubditis poſtulabat. Sunt tamèn, & quia Decreto Supremi Iudicis refragantur, & quia lege ipſa ſuperbè abutuntur. *Qui autem ſuperbierit* (ſanxit Deus) *nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & Decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël.* Deuter. 17.12.

LX.

LX. PROP. COND.

Si ſolus ſupplicij timor animet pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Matt. 27 5. ***Si la ſeule crainte du ſupplice anime le repentir, plus il eſt violent, plus il conduit au deſeſpoir.***

REFLEXIONES ANONYMI.

PAter Queſnellius loquitur de deſperatione Iudæ: neque hanc profert propoſitionem, niſi poſtquam dixerat, omnia peccatori deficere, quando illi ſpes deficit: proptereaque vtitur termino illo, *ſeule*, loquens de timore, vt ſignificet abſentiam ſpei. Quo præſuppoſito, propoſitio eſt evidens, quia timor ſine ſpe non poteſt non conducere ad deſperationem.

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Epiſtol. 87. SANCT. Bernardus: *Vides certè quem timorem tibi incutere nitor, non qui tibi ſit laqueus deſperationis, ſed qui ſpem acquirat beatitudinis. Eſt ſiquidem timor inutilis, triſtis, crudelis, qui veniam, quia non quærit, non conſequitur.*

ANIMADVERSIONES.

1 QUæ captioſè pronunciat Queſnellius, aſtutè Anonymus excuſare, & confirmare nititur. Doloſus ille in his, quæ loquitur, doloſus, & ille in his etiam, quæ tacet. Nam per adductam vocem illam *ſolus*, non emollit Queſnellius propoſitionem duriſſimam, neque hanc deglutire faciet aſſentientibus Tridentino docenti, peccatorem ritè, & aptè incipere ſuam pœnitentiam, & præparationem ad iuſtificationem, per timorem

ſupplicij, & gehennæ quo tunc concutitur. At tunc ſolus eſt timor iſte, nempè, vt primus in eo inſtanti actus; ſolus ille incipit animare pœnitentiam, poſteà elevandam, & perficiendam per alias ſuccedentes præparationes: non ergo animat pœnitentiam violentam, & coactam; ſed voluntariam, ſed liberam; nec conſequentèr ducit ad deſperationem, ſed ad ſpem, ad ſalutem.

2 Ducit inquam ad ſpem, quia timens promerita peccatis ſupplicia, quæ non aliter vitare poteſt, niſi per miſericordiam iudicis, cum hęc eius conſiderationi ſe offert infinita, & immenſa Dei bonitate, & ob merita Chriſti, propitia, quod, & naturaliſsimè ope divinæ illuſtrationis, & gratiæ, quæ numquam, & nemini deeſt, ſe offert, & maximè in illo ſui angoris ſtatu peccatori, non habenti alias depravatam imaginationem: tunc alacritèr in ſpem erigitur, vt ait Concilium. Sic itaque timor qui ſolus primò concutiens cor peccatoris, incæpit animare pœnitentiam, ducit illum ad ſpem veniæ, non ad deſperationem, vt inverecundè contra Tridentinum aſſirmat Queſnellius.

3 Nec veriùs, aut modeſtiùs Anonymus ſua reflexione pronunciat, propoſitionem eſſe evidentem, acceptam, videlicèt, de timore ſolo, ſeu ſolitariè, & ſine ſpe concepto. Nam quomodo, inquit, poterit quis cum timore, & ſine ſpe, non duci ad deſperationem? At ſi in eodem inſtanti, & ſimul, non ſunt timor, & ſpes.

4 Sed in primis, vt timor cor maxime concutiat, angoremque pariat, ſine ſpe prorſus habendus eſt. Timor namque deprimit, ſpes erigit animum. Nec plurimum timore ſupplicij coarctatur, qui ſimul ſpem firmam concipit evadendi ſupplicium. Et quidem, nemo ambigere poteſt, quod in ſemetipſo facile experiri valet, ſcilicet, quod quantò creſcit ſpes, timor minuitur, proptereaque diximus timorem ſervilem paulatim minui, & depurari à ſervilitate, per ſpem, & per ſubſequentes in eodem inſtanti, præparationes peccatoris. Igitur quod timor ſine ſpe concipiatur, tunc, quando incipit pœnitentiam animare, eſt vtique vtile, & fructuoſum peccatori, vt præſsius, & efficacius cor illius concutiat, affligat, & coarctet, quo promptius, & avidius ad miſericordiam Dei confugiat. Sic namque ille ducit ad ſpem: non ducturus plane ad illam, ſi tunc iam cum ipſa ſpe concep-

ceptus, & compoſitus haberetur.

5 Sed neque adhùc dubitare debebat Anonymus, ſi vel mediocriter Theologum ſaperet, quod timor ſine ſpe non ducit ad deſperationem. Videtur namque illi hæc conſequutio neceſſaria, & quaſi inevitabilis ſequela: *Timet quis æterna ſupplicia, & tunc ea vitare non ſperat: Ergo timore ſuo ducitur neceſſariò in deſperationem.* Verùm ſic colligens turpiter fallitur, aut ſatagit alios decipere. Nemo enim magis damnationem timeret, quam qui eam infallibiliter futuram per revelationem crederet, nec poſſet ſperare illam vitare, vt à quo, & tunc, & deinceps omnis ſpes ſalutis præciſa foret: & nihilominùs, non propterea in eo eventu cogeretur homo deſperare, vt eſt communis Theologorum ſententia nobiſque probata. Quamvis enim tunc, nec haberet, nec poſſet habere vllam ſalutis ſpem Theologicam, poſſet tamen liberè deſperare, & non deſperare, ac teneretur non ruere in deſperationem.

Tom. 4. tract. de Spe, diſp. 3. dub. 2.

6 Non itaquè colligitur inevitabili conſequentia deſperatio, ex præſentia timoris, & abſentia ſpei, præſertim cum iſta, vel momento, vel admodicum tantum temporis abeſt, aut potiùs non adeſt, quia, ſcilicèt, peccator indiget aliqua temporis mora, vel ſaltèm inſtanti, vt ex timore ducatur in ſpem, vt demiſſum timore animum anchora ſpei ſublevet, vt ex formidata iuſtitia, aſſurgat ad deſiderandam miſericordiam.

7 Si tamen aliquis peccator numquàm ſic aſſurgat, numquàm ad ſpem veniæ per gratiam Dei confugiat, ſed ſolummodò timidus, triſtis, ſemperque pavidus, & vndique terroribus, ac funeſtis cogitationibus, veluti impius Cainus coarctetur, non erit profectò mirùm, ſi ita miſerè timens in deſperationem labatur, vt fuit Iudas, & ipſe etiam Cain, dùm mæſtus dicebat: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.*

Geneſ. 4. 13.

8 Hic namquè perverſus timor eſt, de quo S. Bernardus ea protulit, quæ Anonymus allegat, ſed malitiosè omittens quæ de alio timore idem S. D. ſtatim addit, vt nimirùm repræſentet eum damnantem timorem omnem, veluti ad deſperationem conducentem. Verùm vtrumque luculentèr diſtinguens, ita loquitur: *Eſt ſiquidèm timor inutilis, triſtis, crudelis, qui veniam quia non quærit, non conſequitur. Eſt &*

Vbi ſupra

& timor plus, humilis, fructuoſus, qui cuilibet quamtumlibet peccatori, facilè miſericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit, & ſervat humilitatem, ſed manſuetudinem, ſed patientiam, ſed longanimitatem. Quem non delectat tam inclyta proles? Alterius verò miſera ſoboles eſt pertinacia, immoderata triſtitia, rancor, horror, contemptus, & deſperatio. Non hoc ego, qui deſperationem, ſed illo qui generat ſpem, timens nè non timeres, vel parum timeres, tuam tibi culpam ſic rememorandam eſſe putavi.

9 Hæc diſſerta quidem, ac rem penitùs definientia S. Bernardus. Et perſtrictâ fronte Anonymus (ac ſimilitèr Hexaplorum Auctor) illa tantùm ex laudato teſtimonio exſcribunt, quæ timorem noxium, & gignentem deſperationem deſignant: illa verò ablegant, & tacent, quæ timorem ſalutarem, fructuoſum, generantem ſpem deſcribunt; vt videlicèt, ſuum Queſnellium, invito licèt Bernardo, tanti viri authoritate protegant. At benè eſt peccatoribus timentibus gehennam, quod quamvis Queſnellius, cunctique Janſeniſtæ timent, ſi timeant, vel ſi multum timeant: Bernardus autem ex adverſo timet, ne non timeant, vel parum timeant.

10 Non eſt itaque violenta pœnitentia inducta ex timore quem tantoperè S. Bernardus commendat, & cuius inclyta proles, humilitas, manſuetudo, patientia, & longanimitas eſt. Qui enim fructus hoſce ſuaviſsimos parturit, non ad deſperationem, ſed ad veniæ ſpem peccatorem conducit. E contra, timor alius, cuius viperina ſoboles ſunt pertinacia, immoderata triſtitia, rancor, horror, contemptus, his ſatellitibus trahit peccatorem in deſperationē, cuius proinde pœnitentia ſic violenta eſt, quemadmodum eius compulſores ſunt violenti.

11 Interdùm autem accidere poteſt, quod immodicus timor in perverſum declinet, & ſic vitioſus, ac violentus reddatur, vt ad deſperationem inducat; ſicuti etiam ſpes, alioqui rectè concepta, poteſt ſi nimia evadat, falſa, fallax, malaque fieri. At tunc pravus ille timor, non ad pœnitentiam adhuc violentam, vt inquit Queſnellius, ſed potiùs ad impœnitentiam, impietatem, & effrænatam licentiam peccandi, deſperantem perducet peccatorem, ſicuti, & vana ſpes peccatorem non correctum, ſed effræ-

effrænatum plerumque reddit.

12 Id quod eleganter S. Auguſtinus nos docet, inquiens: *Ex vtroque igitur homines periclitantur, ſperando, & deſperando contrarijs rebus. Sperando decipitur, qui dicit, bonus eſt Deus, miſericors eſt Deus, faciam quod mihi placet, quod libet, laxabo habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ. Quarè hoc? Quia miſericors eſt Deus, manſuetus eſt Deus. Spe iſti periclitantur. Deſperatione autem, qui cum inciderint in gravia peccata, putantes ſibi iam non poſſe ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſe ipſos: iam damnati ſumus, quarè non quod volumus, faciamus? Animo gladiatorum, ferro deſtinatorum.*

In Evãg. Ioann. Serm. 47.

13 Iam verò quid erit faciendum, quid conſulendum animæ ex vtroque extremo periclitanti? Queſnellius dicet, ne timeat, quia ſi ſolus ſupplicij timor animet pœnitentiam, ducetur ad deſperationem. Aſt forsàm dicet alius: timeat potius, quia ſi non timet, & tantùm ſperat, nimia, & fallaci ſpe laxante habenas peccandi, decipietur. Sed quid ad ſic conſulentem reponat Queſnellius? Eum profectò errantem fatebitur, dùm ſpem damnat ob periculum nimium ſperandi: ergo, & eadem ratione errat ſimilitèr Queſnellius dùm timorem reprobat, ob periculum deſperandi. Sic vterque ab vtroque extremo aberrans, in vtroque planè errat.

14 Non ita porrò S. Auguſtinus qui vtrumque maximè metuendum docet, vt vel hunc ſaltèm timorem ediſcat approbare Queſnellius. *Inter ſpem*, inquit, *& deſperationem, æſtuat anima. Metuendum eſt, nè te occidat ſpes, & cum multum ſperas de miſericordia, incidas in iudicium. Metuendum eſt rurſus nè te occidat deſperatio, & cum putas non tibi ignoſci, quæ gravia commiſiſti, non agas pœnitentiam, & incurras iudicem ſapientiam, quæ dicit: & ego veſtræ perditioni ſuper ridebo.* Ergo vtrumque metuendum, quia vtrobique periculum, & in vno, & altero extremo timendum, ac maximè, velit nolit Queſnellius, iudicium Dei. Ibid.

15 Sicut ergò impiè quis aſſereret peccatorem non debere veniam ſperare, nè fortè ſi nihil timeat, nimia, & fallaci ſpe decipiatur; ita ſimilitèr impiè aſſirmat Queſnellius peccatoré non debere timere, nè forte ſi careat omninò ſpe,

in

in deſperationem ruat. Soluſque ille verè pius eſt, qui peccatorem hortatur, vt timeat; ita tamen, vt ex timore erigatur in ſpem, vt ait Tridentinum. Pie, itaque, ac rectè ſuadendus eſt peccator qui pœnitere vult, vt timeat ſperando, & ſperet timendo.

16 His namque ſuaſsionibus, & exhortationibus, tanquam appoſitis pharmacis, curandi sunt animi, vno, vel altero morbo, ſeu nimiæ ſpei, & nullius timoris, ſeu immodici timoris, & nullius ſpei, laborantes. Nimia, ſcilicèt, ac vana ſpes, deſperatioque, morbi læthales ſunt, quos animus contrahit ex depravata, & corrupta imaginatione, & exiſtimatione divinæ iuſtitiæ, aut miſericordiæ, vt inquit S.
2. 2. q. 20 art. 1. Thomas, quorum apta permixtio, magna ad vtrumque tutamen eſt, antidotumque præſtantiſsimum, futurum alioqui mortiferum venenum, ſi depulſo omni timore, ſola ſpe velis, vt intendit Queſnellius, animam a deſperatione curare, aut præſervare.

17 Modus porrò iſte apertiſsime damnatur contraria methodo qua vtuntur Deus ipſe, Auguſtino Interprete; & Apoſtolus Paulus, Commentatore Chryſoſtomo.
Vbi ſupr. *Quid ergo egit Deus*, inquit S. Auguſtinus, *periclitantibus vtroque morbo? Illis qui ſpe periclitantur, hoc dicit: Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem. Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperiet te. Illis qui deſperatione periclitantur, quid dicitur? In quacumque die iniquus converſus fuerit, omnes iniquitates eius obliviſcar. Proptèr illos qui deſperatione periclitantur, propoſuit indulgentiæ portum. Proptèr illos qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit Deus diem mortis incertum.* En opportunum à timore remedium, contra vanæ ſpei venenum. Ecce ſaluberrimum ex ſpe medicamentum, contra imminentem ab immodico timore deſperationis morbum.

18 Similitèr Apoſtolus ad proximam præcedentem propoſitionem allegatus, cum ad Hebræos ſcribens eis pœnas inferni, & extremum iudicium validè propoſuiſſet, vt incuſſo timore illos ad pœnitentiam, & compunctionem moveret; continuò eoſdem conſolatur, laudat, ad fiduciam provocat, ad fidem, & ſpem remunerationis: *Nolite itaque, ait, amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Vtque ſcias, cur tam citò ſermonem mutavit, & orationem invertit? N. 18.

tit?

Hom. 31. pit? Audi Chryſoſtomum. *Nè multò metu, inquit, in deſperationem adducta anima, dolore abſorberetur, eos conſolatur per laudes, & adhortationem, & eis domeſticam offert æmulationē.... Eum enim qui rem inchoat, oportet progredientem facere incrementum.*

19 Tanto igitur timore ſupplicij Hebræis incuſſo, Apoſtolus illorum pœnitentiam animare voluit: nefaſque erit cenſere quod propterea voluerit illā extorquere violentam. Atque in ſolo timore incutiendo tunc primò inſtitit, nihil enim tunc, ſed poſtea, de ſpe, & fiducia diſſerens; vt videlicèt timore ſolo, compunctio, & pœnitentiā inchoaretur. Et nè anima magno illo metu abſorpta in deſperationem depravata exiſtimatione adduceretur, nova adhortatione, ſuaſsionibus alijs, per ſpem, & fiduciam erigitur, vt à timore incipiens, progrediatur per has alias propinquiores præparationes ad ſuæ pœnitentiæ, & converſionis incrementum.

20 Quod S. Auguſtinus ſic apertè docet, vt ſolo illius teſtimonio omnes de hac re Queſnellij propoſitiones maneant penitus confutatæ, & ſimul redditur per illud validè ſtabilita tota doctrina à nobis hactenùs ex adverſo firmata. *De ipſa etiam*, inquit, *ſeveritate Dei qua corda mortalium ſaluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda eſt, vt ab eo quem timet, amari ſe gaudens, eum redamare audeat.* De Cathec. rud. cap. 5. Habet ergo in his Queſnellius timorem non exitialem, ſed ſaluberrimum, non ad deſperationem, ſed ad charitatem ducentem corda, quæ illo concutiuntur. Hæc igitur docet Auguſtinus, & cum de catechizandis rudibus agit, N. 193. vt propterea expreſſè confirmet quod ad primam propoſitionem diximus de diſponendis per Confeſſarium peccatoribus, vt à timore incipientes, ad charitatem ſaltem inchoatam attendant.

21 Ergo intentum, ſenſuſque Queſnellij in præſenti propoſitione, vt directè tendente ad reprobandum timorem, quo peccatores incipiunt concuti de peccatis, velati exitialem ad pœnitentiam, vtilemque duntaxat ad deſperationem inducendam; æquiſsimo iudicio damnantur, tanquam palam adverſa praxi Chriſti Domini, Apoſtolorum, & Eccleſiæ, à SS. PP. laudatæ, vt ex adductis teſtimonijs liquet. Nec mi-

minùs iuſtam cenſuram promeretur temeraria intentio Anonymi, tentantis hanc propoſitionem ſuffulcire authoritate S. Bernardi, verbis illius adeo captiosè, adeò infidelitèr, vt vidimus, allegatis.

22 Qui vlteriùs eam ad rem iſtam tradit ibidèm doctrinam, atque hucuſque dictis conformem, quam prætermittere nequeo ad ſolatium eorum qui à timore pœnitentiam inchoant; & ad cautionem aliorum, qui ex magno timore, ad deſperationem, vel ex nimia ſpe, ad præſumptionem, induci, aut tentari poſſunt.

Vbi ſupr. 23 *Cave*, inquit, *gloriationem, tolle, & ſecuritatem, quatenùs vtilitèr ſemper ſollicitus ſis, ſemper humilitèr paveas: non illo ſcilicèt timore, qui ſicut iam dixi, provocat iram, ſed illo qui mitigat. Qui horribilis timor, ſi quando terrendo tuum pulſaverit animum, tacitè ſuggerens tuum obſequium Deo eſſe non poſſe acceptum, & quod tua ſit infructuoſa pœnitentia, quia videlicèt, undè Deus à te offenſus eſt, per te emendari non poteſt; ne ad momentum quidem recipias .... Secundùm ergo duos timores qui ſupra diſtincti ſunt, volo te timere, & non timere, præſumere, & non præſumere. Timere, vt pœniteat: non timere, vt præſumas. Porro præſumere, ne diffidas; non præſumere, nè torpeſcas.* Hæc ille pia quidèm, ſalubria, atque diſſerta: ſed quæ impiam evincunt propoſitionem Queſnellij, & ſimul demonſtrant iniquam defenſionem Anonymi.

LXVI.

LXVI. & LXVII. PROP. COND.

Qui vult Deo appropinquare, non debet ad ipſum venire cum brutalibus paſsionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ, ſed per fidem, & amorem, ſicut filij.

Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi vt Dominum durum, imperioſum, iniuſtum, intractabilem.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Qui veut s' approcher de Dieu, ne doit ne venir à lui avec des paſsions brutales, ni ſe conduire par vn inſtinct naturel, ou par la crainte, comme les betes, mais par la foi, & par l' amour, comme les Enfans.

Hebr. 12. 20. *La crainte ſervile ne ſe le repreſente que comme vn maitre dur, imperiux, injuſte, intraitable.*

NOTA ANONYMI.

PAter Queſnellius has enuntiat propoſitiones, reflexione facta ſupra reſponſionem ſervi ſepelientis talentum: duoque præmittit, quæ illam integrè iuſtam reddunt. Primum eſt, quod ipſe adiungit timori ſervili amorem proprium: *Amor proprius*, ait, *qui ad Dei negotia non attendit, niſi ob ſuum commodum, & vtilitatem, & ob timorem ſervilem, numquam faciet niſi miniſtros deſides, & pigros, &c.* Secundùm eſt, quod ipſe opponit ideam quam charitas format de Deo, cum idea quam timor format. Apparet ergo patentèr quod ipſe loquitur de timore coniuncto, & proprio amoris, & deſidiæ. Quo ſuppoſito, eſt ne quod enuntiat, nimis durum, ſeu rigidum?

)§(

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De Spirit. & litt. c. 32.

SANCT. Auguſtinus. *Illi qui ſub lege ſunt, & timore pœnæ iuſtitiam ſuam facere conantur, & ideò non faciunt Dei iuſtitiam, quia charitas eam facit, qua non libet, niſi quod licet; non timor qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate, qua mallet, ſi fieri poſſet, licere quod non licet, & illi ergo credunt Deo: nàm ſi omninò non crederent, nec pœnam legis vtique formidarent. Sed non hanc fidem commendat Apoſtolus qui dicit, non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis, iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Timor ergo ille ſervilis eſt, & ideò quamvis in illo Domino credatur, non tamèn iuſtitia diligitur, ſed damnatio timetur. Filij verò clamant, Abba Pater .... & petunt, & eſuriunt iuſtitiam .... hùc ergo tranſeant qui ſub lege ſunt, vt ex ſervis filij fiant.*

REFLEXIONES ANONYMI.

IN iſto diffuſo teſtimonio diſtinguit S. Auguſtinus fidem quam timor includit neceſſariò, ab illa quam commendat Apoſtolus. Igitur P. Queſnellius non errat opponens viæ timoris, viam fidei, & amoris. S. Auguſtinus adhortatur eos qui ſub lege, & ſub timore ſunt, vt ad alterum extremum tranſeant, quo deſinant ſervos eſſe, & filij fiant. Non itaquè etiam errat P. Queſnellius exhortans eos qui volunt Deo appropinquare, vt præferant viam fidei, & amoris, viç timoris, quæ non facit niſi ſervos. Et ſi ille vtitur exemplo beſtiarum, hoc ideò eſt, quia in verſiculo ex S. Paulo quem commentatur, ita habetur.

ANIMADVERSIONES.

1 MAlè ſibi Queſnellius, & Anonymus conſonant. Timor namque beſtialis, ſeu brutis communis, & qui in homine eſt partis inferioris, & pure ſenſitivæ, naturalis paſsio, non eſt timor qui neceſſariò includat fidem; alioqui non tantùm homines,

&

& dœmones, ſed etiam beſtiæ, credent, & contremiſcent. Sed qui confundere amant timores omnes, vt, doloſis propoſitionibus generalibus, nullum, aut honeſtum, aut vtilem probent, noluere timorem brutalem adhùc ab humano diſtinguere, vt homines, hoc ſolùm quia timent pœnas à Deo, non iam homines, ſed pecora faciant.

2 Ex adverſo autèm Rupertus Abbas ait, timorem etiam perverſum, hominum, & dœmonum proprium eſſe, creaturarum ſcilicèt ratione vtentium, ideò quia quamvis non ſit ex ſpiritu Dei, qua proptèr timor pravus eſt; quia tamen eſt ex fide qua credunt pœnas æternas quas contremiſcunt, hoc ipſo non pecorum, ſed hominum timor eſt. *De Oper. Spir. S. lib. 4. capit. 5.*

3 Cum itaque hoc verum ſit de timore etiam malo, impiè prorſus, temereque audet Queſnellius appellare brutalem paſsionem, timorem illum, qui non perverſum, nec naturalem, ſed ex fide eſt, qui à Spiritu S. eſt, qui divina gratia excitatur, qui concutiens cor peccatoris, facit illum confugere ad Dei miſericordiam, gignitque in eo fiduciam de infinito pretio ſanguinis, & meritorum Chriſti, vt ex illo continuò erigatur in ſpem veniæ, & ſalutis. Profectò, *non cadit in mores iſtos feritas inamabilis illa.*

4 Aſt dicet pro Queſnellio, Anonymus. Timor iſte, quia ortus ex amore proprio, ex concupiſcentia, quæ in homine, inferior, & ſenſitiva pars eſt, qua, vt omnis creaturæ aliquid habet homo, iſte cum brutis communicat; iure dicitur brutalis paſsio, vt ex naturali inſtinctu beſtiarum, quo ſolummodò ſuam incolumitatem amant, proveniens. Undè Apoſtolus hoc ipſo ſenſu translatitio, & eodem iure accommodato, hominem appellavit beſtiam in eo verſiculo à Queſnellio commentato dicens: *Non enim portabant quod dicebatur: Etſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur.* *Ad Hebr. 12. 20.*

5 His quæ ſtatuimus ex Tridentino, & SS. PP. confutantes primam de hac re propoſitionem, redditur omninò, ac planè præcluſum effugium iſtud Queſnellio, Anonymo, & quibuſcumque alijs, eius defenſionem audentibus. Nam timor ſervilis quem ibì à Patribus laudatum, quemque à Concilio exactum pro prima præparatione peccatoris ad iuſtificationem demonſtravimus, quamvis à concupiſcentia, & amore proprio naſcatur, non oritur ex

amore tali, qui vltimatè ſiſtat in propria incolumitate tanquam in fine vltimo, & ideò non oritur ex amore contrario charitati, ſed tantummodò ab iſta diſtincto, qua proptèr ad illius finem referibilis eſt; quamvis actu non relatus, vt multis explicuimus ibi ex S. Thoma. n. 84.

6 Amor autem innatus, & naturalis, quo bruta ſuam incolumitatem cupiunt, & vndè mala quæque ſibi adverſa effugiunt, non alium finem quærit, non ad alium ordinabilis eſt; ſed neque vlterioris ordinationis eſt capax. Quapropter immeritò prorſus confunditur cum amore iſto, & timore brutali ex illo orto; concupiſcentiâ, & amor proprius hominis, ac timor exindè natus: proptereaque ineptiſsimè Queſnellius iſtum pleno ore brutalem, & ex inſtinctu naturali procedentem dicit. Quæ appellatio ad ſummùm ſuſtineri poterat, ſi timori ſubitaneo, prorsùs involuntario, & ex primo naturæ motu concepto, applicaretur.

7 Sed quantum, & ab iſto etiam differat timor, qui quamvis ſervilis, fide regulatur, & adiutorio divinæ gratiæ concipitur, per ſe patet, & quod perperàm, ac impiè iſte brutalis appellatur. Niſi forsàm id liceat ea humillima comparatione, & impropria accommodatione, qua David de ſe ipſo, & Deum alloquens dicebat: *Ut iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Homo itaque comparatus iumentis inſipientibus per concupiſcentiam ſuam, poteſt nihilominus appropinquare Deo, imò, & eſſe cum Deo: ideò videlicèt, quia non omnes motus ſuæ concupiſcentiæ brutales ſunt; ſed aliqui non habentes ſemetipſum pro vltimo fine, ſed dumtaxat pro medio, & proximo, poſſunt vlteriùs ordinari in Deum. His ergo poteſt non tantùm appropinquare Deo, ſed eſſe cum Deo. Pſal. 72. v. 23.

8 Do Auguſtinum ita pro nobis locum iſtum exponentem. *Iſte quaſi pecus factus eſt deſiderando terrena..... ſed non receſſit à Deo ſuo, quia non illa deſideravit à Dæmonibus, à Diabolo.* En qualiter non omnia terrena deſideria; opera ſunt Diaboli, aut mala: & conſequentèr, nec malus, nec brutalis eſt, timor ex eis deſiderijs naſcens, ſic nempè, vt per hæc concupiſcentiæ opera nequeat homo Deo appropinquare, ſed potiùs ab illo recedat. Contrarium namque firmat Auguſtinus, ſubiungens: *In ſiniſtra mea habebam quia pecus factus ſum,* In illo Pſal.

hil eſt, quia terrena in me fuit concupiſcentia, ſed dextera mea erat, quia ſemper tecum eram. Motus ergo concupiſcentiæ, quæ revera eſt pars ſiniſtra, & inferior, timor eſt ſervilis ortus ex amore proprio, ſed quia referibilis in Deum per dexteram, nempe per charitatem, non reddit hominem indignum propinquitatis ad Deum.

9 Poteſt itaque quodammodò, & per quandam ſimilitudinem dici, quod qui operatur, aut timet ex amore proprio; tanquam iumentum, aut beſtia timet, ſeu operatur: quia in hoc, ſola quædam, ſeu ex parte comparatio, non autèm omnimoda ſimilitudo intenditur. Non verò licet pronuntiare abſolutè, quod *homo veniens ad Deum per timorem*, ſæpè a PP. commendatum, *venit cum brutali paſſione, adduciturque per inſtinctum naturalem, ſicuti beſtia*, vt inquit Queſnellius, qui non aliqualem ſubiectorum comparationem, ſed omnimodam paſsionum ſimilitudinem his verbis deſignat, vt ex obvio eorumdem ſenſu patet.

10 Neque vllum ſibi exemplum deſumere poteſt ex Apoſtolo, qui, quoniam Deus ſtatuerat, ne homo, aut iumentum aſcenderet in montem, vbi daturus erat legem Moyſi, aut fines illius attingeret, ſub pœna lapidationis, & mortis, rationem iſtam, ſenſumque litteralem, ad figurativum, & ſpiritualem tranſtulit, dicens ad Hebræos: *Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur.* A quo quantum diſtet ſenſus propoſitionis Queſnellij, non iam ſpiritualis, ſed planè brutalis, ſola vtriuſque collatione fiet manifeſtum, vel ipſi Anonymo, vt tam præclarum Pauli Gloſſographum laudare non deſinat. Exod. 19. 13.

11 Nos autem alium eidem Pauli textum oſteriemus, vbi, quod forsitan ei gratum erit, ſignificat hominem Bovis nomine, à ſenſu litterali, ad figurativum tranſlato. Quia enim in Deuteronomio Deus ſic ſanxit. *Non ligabis os Bovis terentis in area fruges tuas*: Apoſtolus ſcribens ad Corinthios, totam hanc ſententiam ex littera ad ſpiritum translatam, ſic accommodat. *Scriptum eſt enim in lege Moyſi. Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt: quoniam debet in ſpe qui arat, arare, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi.* Cap. 25. 4. 1. cap. 9. 9.

12 Hic iam Commentator Queſnellius ſibi gratulari po-

poteſt, quod quia illa Deuteronomij proptèr nos ſcripta ſunt, teſte Paulo, nos Boves, & peccora appellari poſſumus. Ita planè, ſed in ſenſu ab Apoſtolo intento, & ad eam ſententiam quam firmat, vt nimirum, quemadmodùm bovi aranti, & trituranti, non eſt ligandum os nè comedat, ſic etiam nec Doctoribus laborantibus negari poſſunt victus, & alimenta.

13 Ita, & cõformitèr Patres, & Interpretes. Sed non proptereà liceat alicui, niſi forsàm Queſnellio, intelligere, & affirmare, quod homo, quia Bos dicitur, in hoc etiam ſignificetur ſimilis bovi, quod brutalitèr manducet, & ruminet. Hæc namque commentatio nimis ſtolida foret. Similitèr igitur, quia Paulus, vbi ſupra, vtens eodem ſenſu figurativo accommodaverit nomen beſtiæ homini timenti Deum, vt Queſnellius intendit, non propterea ſic interpretandus eſt, ac ſi voluerit ſignificare timorem hominis eſſe brutalem paſſionem, & ex inſtincta naturali procedentem, qualis eſt timor beſtię. Etenim hypomnema illud belluinum eſt.

14 Verumtamèn, vt hoc ſibi licere præſumit, non etiam mihi vitio vertat, quod ex ſecundo Pauli teſtimonio falsàm, & erroneam ſuam collationem, & propoſitionem redarguam. Ipſe enim ita ſibi fingit brutalem timorem peccatoris incipientis pœnitere, vt nullam ſpem cum eo compoſitam ipſi relinquat: omnem prorsùs peccatori adimit, vt ſolo timore brutalitèr concuſum repræſentet. At hoc eſt bovi trituranti os ligare: eſt namque adimere ſpem peccatori iam timore aranti, & trituranti peccata ſua, nam teſte Apoſtolo: *Qui arat, debet in ſpe arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.* Unde, & hic S. Chryſoſtomus: *In arando quidem quoniam, nec poterat fructus colligi, ſed ſolus labor ſuſtineri, ſpem poſuit. In terenda autèm area aliquo frui conceſſit .... proptèr ſpem, nempè futuram.* Errat ergo, & multimodis, propoſitio quæ divinam violat legem, quæ Paulo improbos ſenſus adſcribit, quæ ei contradicit, quæ timorem omnem cenſet brutalem, quæ & homines belluas facit. *Hom. 21.*

15 Propoſitio alia huic adiuncta, vel ex eo habenda eſt temeraria, quod impie ſuggillat, reprehenditque SS. Patres ſæpiſsimè ponderantes, & objicientes hominibus diſtrictum iudicium Dei, & pœnas æternas, vt eos à pecca-

tis

tis abſtinere, & de peccatis pœnitere faciant. Nam ſi incutientes illis timorem, & terrorem iſtum, Deum propterea eis repræſentant, tanquàm Dominum durum, imperioſum, iniuſtum, intractabilem, increpari prorsùs merentur ſentẽtia Queſnellij: vt ſiggillatim de S. Gregorio Magno
N.105. notavimus ad primam propoſitionem.

16 Sed & ſacrilegè dicet erraſſe Nathan Prophetam, tametſi à Deo miſus fuerit, eiuſque inſpiratione motus, cum Davidi ob vnum adulterij peccatum occultè perpetratum, tot pœnas, & publicas, comminatus eſt: eaſque ſic multiplices, acerbas, & duraturas extollens, vt quaſi viderentur vltra meritum deſtinatas. Ait quippè: *Quamobrèm non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum, eo quod deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt eſſet vxor tua. Itaque hæc dicit Dominus. Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. Tu enim feciſti abſconditè: Ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu Solis.* Ita Nathan, & aſpirante Numine.
2. Reg. 12. 10.

17 An propterea voluit Deus ſe Regi ſapientiſsimo repræſentare Dominum durum, imperioſum, iniuſtum, intractabilem, vt tot minis territus brutali paſsione per motus diceret, *tantæne animis cœleſtibus iræ?* Aut potiùs, vt timore promeriti ſupplicij concuſſus, ex intimo cordis exclamaret: *Peccavi Domino?* Quo illicò tota illa acerbarum pœnarum comminatio, verſa eſt in mitiſsimam pietatem, & peccati veniam, dicente continuò Nathan ad David: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris.* Nam vt Caſsiodorus inquit: *Tunc, quod ſupra omnes pietates indulgentiſsimum eſt, acceptam ſibi pœnitentiam Iudex ipſe teſtatur, quando etiam verba quibus rogetur clementiſsimus Redemptor indulget. Terret, vt corrigat. Iudicium minatur, vt parcat.* Inſtit div. cap. 16.

18 Ut igitur Deus terrores incutit, vt corrigat, pœnaſque minatur, vt clementiſsimus parcat, ſic etiam nulli obijcitur illius timor, nemo eum Iudicem etiam ſeverum, formidat, vt ipſum durum Dominum, iniuſtum, & intractabilem comminiſcatur; ſed potiùs, vt territus æquiſſima exiſtimatione ſuæ incommutabilis iuſtitiæ, ſciens nemi-

minem impunè eum offendere, diſcat exinde ad illius infinitam miſericordiam cum ſpe veniæ, & fiducia meritorum Chriſti, ſupplex confugere.

19 Rectum namque, & ſimul æquum iudicium, tùm de iuſtitia, tùm de miſericordia divina, facit verè pœnitentem, eum quem ſimul prudentèr timentem, & ſperantem facit. Foretque ille imprudentiſsimus, ſi Deum, vel ob iuſtitiam, quam timet ſeveram, Dominum durum; aut ob miſericordiam quam efflagitat propitiam, nimis facilem, ac veluti mollem ſibi repræſentaret.

20 Utrumque vitandum docet S. Auguſtinus, his verbis: *intendant ergo qui amant in Deo manſuetudinem, & timeant veritatem. Etenim dulcis, & rectus Dominus. Amas quod dulcis eſt: time quod rectus eſt. Tanquam manſuetus dixit, tacui. Sed tanquam iuſtus: Numquid ſemper tacebo? Miſericors, & miſerator Dominus. Ita planè. Adhuc adde, longanimis. Adde adhuc, & multum miſericors. Sed time quod eſt in noviſſimo: & Verax. Quod enim modo ſuſtinet peccantes, iudicaturus eſt contemnentes.*

De Verb. Domin. Serm. 47.

21 Obmuteſcat Queſnellius hæc ab ore Auguſtini audiens, atquè ediſcat, Deum pijſsimum, manſuetiſsimumque, timendum eſſe à peccatore, cùm tanquàm Iudex diſtrictum iudicium, & pœnas minatur. Nec propterea exiſtimandus eſt durus Dominus, iniuſtus imperioſus; ſed rectus, ſed verax. Qualem enim ideam de Deo minitante peccantibus pœnas æternas, fingit Queſnellius, effinxere antea alij, adversus quos S. Chryſoſtomus declamat, & eo magis confutat Queſnellium, quo demonſtrat Deum hoc ipſo quia timore pœnarum animos concutit, ut inquit Tridentinum, non ſe dominum durum, iniuſtum; ſed pijſsimum, ſed clementiſsimum oſtentat.

22 *Hæc porrò de cauſa,* inquit, *Deus aſsiduè nobis de gehenna loquitur, ut uberem ex illis minis, atque timore, fructum percipiamus. Si enim in ipſam peccatores abijcere volens, huius minas, non prædixiſſet, multi forſitan in illam decidiſſent. Si enim etiamnùm timore animas noſtras concutiente, non nulli ſunt qui ita facilè peccant, ac ſi ea non eſſet; ſi horum nihil dictum eſſet, non tentata minæ, quod malum non perpetraſſemus? Non igitur hoc crudelitatis, ſed miſericordiæ potius, & clementiæ opus eſt. Etenim ſi ſubverſionem illam*

Hom. 25. de Fut. Iud.

apud

apud Ionam, Deus comminatus non eſſet, ſubverſio impedita non fuiſſet. Si non dixiſſet, Ninive ſubvertetur, non ſtetiſſet Ninive. Et ſi minis gehennæ non eſſemus territi, omnes fortè in gehennam præcipitaremur.

23 Eat itaque Anonymus, & audactèr ſui Queſnellij cauſam contra Chryſoſtomū tueatur, ſuam iniquiſsimā ideam de Deo à peccatoribus formidato, adversùs recriſsimam de divina clementia exiſtimationem Chryſoſtomi ſtare faciat. quin, & ſimul contra Auguſtinum (nam, & hic Hercules contra duo) propugnet, Deum repræſentari imperioſum Dominum, quia iubet timeri eum poteſt mittere in gehennam, & quia intentatis minis peccantem hominem terret. Cum ex adverſo Auguſtinus beneficentiſsimā Dei providentiam ex vtroque capite commendet, dicens: *Mortis ſupplicium Dominus homini comminatus fuerat ſi peccaret, ſic eum muneratus libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio.* Enchir. cap. 25.

24 Sed O! audaciam, quæ tot teſtimonijs expreſsè refragantibus excuſare adhùc tentat ab impietate propoſitionem Queſnellij! Pro qua tamen nullum invenere apud SS.PP. ſuffragium, quod vel Anonymus, vel Auctor Hexaplorum adducerent. Nec mirum ſi non extat, cum adverſantia ſuppetant plurima. Sed qui in legem veterem tam vehementèr invehuntur quod timore pœnæ Iudæos ad ſui obſervantiam traheret, poterant equidem allegare Auctorem operis imperfecti in Matthæum, qui eam propterea *iniuſtam, oneroſam, immitem, ſuperbamque dixit*, & Hom. 14. ex eo approbare quod Queſnellius dixerit, legiſlatorem ipſum, dum homines ad ſe per timorem trahit, illis repræſentari tanquam *Dominum durum, imperioſum, iniuſtum, intractabilem.*

25 Verumtamèn cum docti Theologi, cunctique ſapientes Catholici, nullo dempto, locutiones illas laudati Authoris, quacumque tamen authoritate præditi, tanquam abſonas, & temerarias repellant, neque vllus ſit qui eis excuſationem aliquam prætendat multo minùs excuſari poteſt Queſnellius, imó ab omnibus male precari debet; ac meritò damnatur, quod cum adhùc inferioris notæ Author ſit, audeat talia de ipſo legiſlatore proferre. Malæ ergo cauſæ, malum ille patrocinium exinde ſumeret.

26 Nec denique teſtimonio quod ſubducit S. Auguſ-

tini vtramque, vel alterutram propoſitionem, vllo modo confirmat. Iam autèm ſuprà confutantes LXIV. propoſitionem, expoſuimus mentem S. Auguſtini in textu hic obiecto. Nec opus eſt ea iterare, quæ & in ſequentibus adhuc illuſtranda erunt. Modò autèm adnotare ſufficiat, quod nihil ad rem faciunt, quæ Anonymus ponderat. Ibi namquè S. Auguſtinus loquitur de ijs qui ita ſunt ſub lege, quod ob timorem pœnarum, non corde, ſed tantùm opere, legem adimplent.

27 Hi autem ſunt Iudæi carnales, teſte eodem S. Auguſtino, ſic diſtinguente, quæ Queſnellius, & Anonymus nituntur ſemper confundere. *Aliud eſt ergo*, inquit, *eſſe ſub lege, aliud in lege, aliud ſine lege. Sub lege, carnales Iudæi. In lege, ſpirituales, & Iudæi, & Chriſtiani ... ſine lege autem, gentes quæ nondum crediderunt.* Ergo qui ex Iudæis carnales erant, ob timorem opera legis exteriùs tantum, non interius, non voluntate, faciebant ij, inquam, quamvis fidem haberent, ob quam ab Ethnicis diſcernebantur, erant ſub lege, erant propriè ſervi ſervilitate perverſa, nec clamabant *Abba Pater*. De his enim procedit totum illud teſtimonium Auguſtini, vt evidentèr apparet, quia expreſsè loquitur de ijs qui ſub lege erant.

De op. Monach. cap. 11. Vid. infra n. 130.

28 Iudæi autèm, qui non carnales, ſed ſpirituales erant, vt modò Chriſtiani, timore non pravo, ſed honeſto, legem adimplentes, corde, ſcilicet, & opere, non ſunt ſub lege; vt David, de quo infra, & quorum propterea fides facit to. clamare *Abba Pater*: quoniam cum iſtorum timor ſit relatus, vel referibilis per charitatem in Deum, ſupponi debent credentes ea fide, quæ per dilectionem operatur.

29 Si igitur Anonymus verba S. Auguſtini hoc modo ab ipſo S. Doctore diſtincta, & enucleata, perpenderet, non extraheret, profectò ſenſum neque apparentèr faventem propoſitionibus adeò abſonis Queſnellij, & iam inter Baianas ab Alexandro VIII. damnatis: quinimò inveniet ſententias omnes S. Auguſtini de re iſta, apprimè conformes, & concorditèr confirmantes dogmata Chriſtiana, quæ Tridentinum, ac reliqui SS. PP. nos docent, vt facilè cuique comparanti cuncta hactenùs expenſa fiet perſpicuum, & adhuc manifeſtius apparebit ex dicendis contra ſequentes propoſitiones, & ex quibus

Prop. 14. & 15.

hu-

hucuſquè dicta maiorem lucem accipient.

30 Tandem: quod numquam Auguſtinus cenſuerit non eſſe filios clamantes *Abba Pater*, ſed ſervos Deum tanquam Dominum durum formidantes, qui ipſum Iudicem, & pœnas ab eo infligendas timent; patet expreſſo illius teſtimonio, quo luculentèr exponit locum Apoſtoli, cui maximè innititur Queſnellius, ac ſimul monet cavere ne in ſenſu quem Paulo attribuunt ipſe, & Anonymus, in his de Timore theſibus, illum intelligamus. *In quo ſanè Apoſtoli teſtimonio*, inquit, *cavere debemus, ne nos arbitremur non accepiſſe ſpiritum timoris Dei, quod ſine dubio magnum eſt Dei donum ..... non quo timore Petrus Chriſtum negavit: ſed illius timoris cuius ſpiritum accepimus, de quo dicit ipſe Dominus Chriſtus: Eum timete qui habet poteſtatem, & animam, & corpus perdere in gehennam. Ita dico vobis hunc timete.* Nil ſanè opportunius. De Grat. lib. arb. cap. 18.

§. IV.

DE ANTIQVO ET NOVO FOEDERE.

VI. PROP. CONDEMNATA.

Diſcrimen inter fœdus Iudaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat quod iubet, illum ſua gratia purificando.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Ad Rom. 11. 27. *Quelle differencee, ò mon Dieu entre l'alliance Iudaïque, & l'alliance Chretienne! l'une, & l'autre à pour condition le renoncement au pechè, & l'acompliſſement de votre loi. Mais là vous l'exigez du pecheur en le laiſſant dans ſon impuiſſance: ici vous donnez ce que vous commandez, en le purifiant par votre grace, en gravant votre loi dans ſon cœur, & en l'uniſſant à vous dans votre Fils.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De Spir. & litt.cap. 25.

SANCT. Auguſtinus. *Illud tamen quantum potes diligentèr attende, quod tanto molimine conor oſtendere. Cum Teſtamentum Novum Propheta promitteret, non ſecundùm Teſtamentum quod prius factum eſt populo Iſraël ex Ægypto liberato, nihil eum de ſacrificiorum, vel quorumcumque Sacramentorum commutatione dixiſſe .... ſed tantummodò illam commendaſſe diſtantiam, quod leges ſuas daturus eſſet Deus in mentem eorum qui pertinerent ad hoc Teſtamentum, & eorum ſcripturas in cordibus. Undè Apoſtolus ſumpſit, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus ..... cum igitur hæc appareat diſtantia veteris, & novi Teſtamenti, quod ibi in tabulis, hic in cordibus ſcribitur, ut quod ibi forinſecus terret, hic delectet intrinſecus: ibique fiat prævaricator per occidentem litteram, hic dilector per vivificantem ſpiritum.*

REFLEXIONES ANONYMI.

HÆC propoſitio P. Queſnellij nihil continet quod conclulum non ſit in allegato teſtimonio S. Auguſtini. Ex duplici tantum loco illa poteſt ingrata videri. Primò, quia aſſerit, quod in fœdere Iudaico peccator ſuæ impotentiæ
Act. 15. relinquitur. S. Petrus ait, legem eſſe iugum tale, quod nec Patres noſtri, nec nos potuimus portare. Et S. Paulus loquitur
Rom. 8. 1. de hoc quod erat impoſsibile ut fieret per legem, redditam, ſcilicet, à carne infirmam, & impotentem. Sed de hac expreſſione iterum in ſequentibus. Caracter quem S. Auguſtinus attribuit legi poſt Prophetam, eſt, quod ſub illa homo ſit prævaricator.

Secundò, quod in hac propoſitione potuit eſſe obiectum condemnationis eſt, quia Pater Queſnel ait, quod in fœdere Chriſtiano Deus dat id quod iubet. In quo nihil aliud clauditur, niſi illa celebris ſententia S. Auguſtini: *Da quod iubes, & iube quod vis*, quæ fuit veluti ſignum, aut verbum, Catholicos a Pelagianis diſcernens. Quod item videtur condemnatum in propoſitionibus III.IV.VII.VIII.XI.XV.LXIX. Et

idcircò

§. IV.

DE ANTIQVO ET NOVO FOEDERE.

VI. PROP. CONDEMNATA.

Diſcrimen inter fœdus Iudaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat quod iubet, illum ſua gratia purificando.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Ad Rom. 11. 27. *Quelle differencce, ò mon Dieu entre l'alliance Judaïque, & l'alliance Chretienne! l'une, & l'autre à pour condition le renoncement au pechè, & l'acompliſſement de votre loi. Mais la vous l'exigez du pecheur en le laiſſant dans ſon impuiſſance: ici vous donnez ce que vous commandez, en le purifiant par votre grace, en gravant votre loi dans ſon cœur, & en l'uniſſant à vous dans votre Fils.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De Spir. & lit. cap. 25. SANCT. Auguſtinus. *Illud tamen quantum potes diligentèr attende, quod tanto molimine conor oſtendere. Cum Teſtamentum Novum Propheta promitteret, non ſecundùm Teſtamentum quod prius factum eſt populo Iſraël ex Ægypto liberato, nihil eum de ſacrificiorum, vel quorumcumque Sacramentorum commutatione dixiſſe .... ſed tantummodò illam commendaſſe diſtantiam, quod leges ſuas daturus eſſet Deus in mentem eorum qui pertinerent ad hoc Teſtamentum, & eorum ſcripturas in cordibus. Undè Apoſtolus ſumpſit, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus ..... cum igitur hæc appareat diſtantia veteris, & novi Teſtamenti, quod ibi in tabulis, hic in cordibus ſcribitur, ut quod ibi forinſecus, terret, hic delectet intrinſecus: ibique fiat prævaricator per occidentem litteram, hic dilector per vivificantem ſpiritum.*

REFLEXIONES ANONYMI.

HÆC propoſitio P. Queſnellij nihil continet quod conclutum non ſit in allegato teſtimonio S. Auguſtini. Ex duplici tantum loco illa poteſt ingrata videri. Primò, quia aſſerit, quod in fœdere Iudaico peccator ſuæ impotentiæ *Act. 15.* relinquitur. S. Petrus ait, legem eſſe iugum tale, quod nec Patres noſtri, nec nos potuimus portare. Et S. Paulus loquitur *Rom. 8. 3.* de hoc quod erat impoſsibile ut fieret per legem, redditam, ſcilicet, a carne infirmam, & impotentem. Sed de hac expreſſione iterum in ſequentibus. Character quem S. Auguſtinus attribuit legi poſt Prophetam, eſt, quod ſub illa homo ſit prævaricator.

Secundò, quod in hac propoſitione potuit eſſe obiectum condemnationis eſt, quia Pater Queſnel ait, quod in fœdere Chriſtiano Deus dat id quod iubet. In quo nihil aliud clauditur, niſi illa celebris ſententia S. Auguſtini: *Da quod iubes, & iube quod vis*, quæ fuit veluti ſignum, aut verbum, Catholicos a Pelagianis diſcernens. Quod item videtur condemnatum in propoſitionibus III.IV.VII.VIII.XI.XV.LXIX. Et idcircò

idcircò conſiderari debet veluti præfixum in ſcripto iſto ſupra has omnes propoſitiones.

Sexta autèm, de qua hìc agitur, non videtur continere aliud quam quod Jeremias, Ezechiel, & S. Paulus pronunciant, videlicet, quod Deus facturus erat cum hominibus fœdus vnum ab antiquo diverſum in eo, quia cum iſtud violatum fuerit, ipſe in novo daturus eſſet illis cor novum, & ſpiritum novum, ſcripturaſque erat legem in cordibus eorum, facturuſque eos ambulare in via mandatorum ſuorum, & vt iſta ab eiſdem adimplerentur. *Faciam, vt faciatis, &c.*

Heb. 8. & 10.

ANIMADVERSIONES.

1 ROgo Chriſtianum Lectorem nè omninò oculos á præcedenti propoſitione avertat, dùm examini præſentis incumbit: ſed vtramque ſimul conferat, ac ſincero iudicio ponderet, qui verius dici poteſt, vel repræſentari, Dominus durus, imperioſus, iniuſtus, intractabilis, àn qui intentatis minis, & timore pœnæ infligendæ, ſubditos ad obſervantiam ſuorum mandatorum provocat? An qui impoſsibilia iubet, & ea adimplenda ab impotente exigit, nullo collato auxilio, ſine quo non poteſt: nullo præſtito adiutorio, quo poſsit? Hic profectò duriſsimus Dominus, qui iugum reipſa inſupportabile imponit. Hic imperioſus, qui & impoſsibilia captanda imperat. Hic iniuſtus, qui leges neceſſariò violandas condit. Hic intractabilis, qui invalidos ad opus adigit.

2 Talem porrò Deum hac, & tribus ſequentibus propoſitionibus repræſentat, & fingit Queſnellius, quarum propterea ſenſus erroneos, hæreticos, blaſphemos, & conſequentèr repugnantes Tridentino, & SS. PP. ac maximè Auguſtino, demonſtraturi ſumus, poſtquam nonnulla, quæ nec Queſnellius, neque vllus Janſeniſta negare poterit, ad maiorem dicendorum claritatem præmiſſerimus.

3 Fœdus antiquum, ſeu Iudaicum, fœduſque novum, ſeu Chriſtianum, eadem prorſus ſunt, ac Teſtamentum vetus, & novum; ac lex ſcripta per Moyſen promulgata, & lex gratiæ per Chriſtum lata. Nomina ergo iſta indifferentèr in Sacra Scriptura, & à SS. PP. vſurpantur ad idem ſignificandum, ea tantùm, vel ex ethimologia, vel ex ritu vniuſcu-

cuiuſque differentia, quod fœdus mutuò inter duos illud ineuntes, ſeu percutientes, ſeu ferientes, ſtabiliebatur, cæſa hoſtia, & in duas partes diviſa, vt inter eas vtrinquè oppoſitas, pertranſeuntes qui fœdus inibant, ſignificarent, ſe morti devovere, ſi illud violarent. Ritus iſte fœderis ineundi, non ſolum apud Ethnicos, ſed & apud Hebræos ſervatus eſt, vt non obſcurè colligitur *quando pepigit Dominus Fœdus cum Abram*, & clariùs adhùc conſtat ex Jeremia.

Genſ. c. 5. | cap. 34. 18.

4 Teſtamentum autem à teſtando dictum, eo quod teſtatur voluntatem qua homo ſuorum bonorum hæredem inſtituit, pro fœdere etiam, & pacto, ab Hebræis, & in Sacris Litteris vſurpatur, vel quia reſpondet voci hebreę *Berith*, quæ ſignificat *pactum*: vel quia hanc ſeptuaginta Interpretes tranſtulerunt in dictionem Græcam, quæ ſonat *diſpoſitionem*, propriam etiam Teſtamenti. Undè illud: *Teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumaeorum, & Iſmaelitæ*. Ideſt, fœdus percuſſerunt. Et illud: *diſponamus Teſtamentum cum gentibus*. Ideſt, fœdus ineamus. In quo ſenſu non accipitur Teſtamentum pro eo quod ſolummodò mortuo teſtatore valet, ſed pro pacto inter viventes inito, vt notant Hieronymus, & Auguſtinus.

Pſ. 82. 6. | 1. Macab. 1. | In Malach 2. in Pſal. 82.

5 Verumetiam ſi ſumatur pro fœdere viventium, cum ad hoc ineundum mors itèm hoſtiæ interveniebat, vt diximus; non abſonè, aut incommodè dici poteſt, quod Teſtamentum ſivè qua tale, ſivè etiam, vt fœdus viventium eſt, redditur validum morte teſtatoris, ſeù in re, ſi Teſtamentum propriè ſit, ſeù in figura, ſi tantummodò reipſa fœdus, & aliunde typus veri Teſtamenti fuerit. Ita namque, & ritus cum ſignificato Teſtamenti, & fœderis conveniunt, & quod magis eſt, idipſum innuit Apoſtolus dicens: *Ubi Teſtamentum eſt, mors neceſſè eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondùm valet, dum vivit qui teſtatus eſt. Undè nec primum quidèm ſine ſanguine dedicatum eſt.*

Ad Hebr. 9. 16.

6 Quibus alludit Paulus ad id quod fecit Moyſes quando aſumpto volumine legis populo intimatæ, media portione ſanguinis victimarum, tunc occiſarum, reſperſit populum, partemque reſiduam fudit ſuper altare dicens. *Hic ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum*. Et ad vtrumque textum

Exod. 24. 8.

tum attendens S. Auguſtinus, inquit. *Sicut Apoſtolus ad Hebræos dicit: Teſtamentum teſtatoris morte firmatur, propterea mortuo pro nobis Chriſto, novum Teſtamentum firmatum eſſe aſſerit; cuius ſimilitudo vetus Teſtamentum erat, in quo mors teſtatoris per victimam præfigurabatur.* Sanguis ergo, morſque, ad ritum tam Teſtamenti, quàm Fœderis pertinebant. *Lib. 83. qq. Quæſt. 75.*

7 Iam verò vtroque nomine, & fœderis, & Teſtamenti, Lex propriiſsimè ſignificatur, & intelligitur, & præſertim ſi ethimologiam legis à ligando gratam S. Thomæ teneamus, quam & probare videtur Sacra Scriptura leges appellans vincula. *Fregiſti iugum, rupiſti vincula.* Conſonatque illud: *Iugum meum ſuave eſt.* Cumque iuxta communem Theologorum, & Iuriſperitorum ſententiam, proximus, ac proprius legis effectus ſit inducere obligationem; eodem iure quo hæc ex Teſtamento, & fœdere conſurgit, atque per vtramque ligantur qui fœdus ineunt, & qui Teſtamento obſtringuntur; ſimiliter, & lege ligantur, & obligantur qui Legiſlatoris providentiæ, & diſpoſitioni ſubduntur. *1. 2. q. 90. art. 1.* *Hier. 2.*

8 Ob hæc itaque, & ob alia quæ omittimus, Lex, Teſtamentum, & Fœdus in idem coincidunt, ac maximè ad rem noſtram pro eodem in Sacra Pagina, & à SS. PP. vſurpantur. Utque appareat ſimilitudo omnimoda figuræ, & figurati, inter vtrumque fœdus, inter vtrumque Teſtamentum vetus, & novum, inter vtramque legem, ſat eſt animadvertere ex dictis, quod ab ipſo initio, ſeu inſtitutione veteris fœderis, Teſtamenti, & Legis, novum Teſtamentum, & fœdus, Lexque Evangelij, & gratiæ præfigurabantur his etiam ritibus quibus vetera condiebantur, vt nihil in his ſit, quod non fuerit typus, & vmbra eorum quæ in novo continentur, iuxta illud *Omnia in figura contingebant illis.* *1. ad Cor. 10.*

9 His ſuppoſitis, plures ſunt differentiæ fœderis Chriſtiani, à Iudaico; novi Teſtamenti, à veteri; Legis Chriſti, à Lege Moyſis: quas ex multis prærogativis, & excellentijs Legis novæ ſupra veterem deſumptas, Apoſtolus innuit, & SS. PP. exponunt, eaſque, vt occaſio ſe offerat, forſam attingam. Verùm temere prorſus, ac impie Queſnellius hac ſua propoſitione affirmat, diſcrimen vtriuſque ſtare in eo, quod in veteri Deus impletionem legis, alioqui impoſſibilem, iubebat, & exi-

exigebat: in novo autem dat idipſum quod iubet.

10 Temerarium inquam hoc, dùm, vel tanquam vnicum tantum vtriuſque fœderis diſcrimen illud aſsignatur; vel dum ponitur tanquàm vnũ, ſeu præcipuum ad quod cæteræ differentiæ reduci debeant, contra communem SS. PP. & Theologorum conſenſum, quam plura alia diſcrimina diſtinguentium. Neque inter quindecim differentias, quas recenſent, ex totidem excellentijs novi Teſtamenti ſupra veterem, prædictum diſcrimen invenitur, aut prudentèr ex aliqua illarum colligi poteſt.

11 Verùm ea fuit Queſnellij perſpicacia, eaque ſui defenſoris Anonymi ſolertia eſt, vt quia S. Auguſtinus dixerit, hanc inter vtrumque Teſtamentum eſſe diſtantiam, quod vetus ſcriptum ſit in tabulis lapideis, novum autem in cordibus; vndè colligit, Iudæum fieri prævaricatorem per occidentẽ litteram, Chriſtianum autem fieri dilectorem per vivificantem ſpiritum: Ex hoc illi, quaſi inevitabili ſequela, deducunt, id à S. Auguſtino aſsignari inter vtrumque fœdus diſcrimen, quod in veteri Deus reliquit hominem in ſua impotentia, iniungens illi præcepta impoſſibilia ſervari: in novo autem non ita, quia Deus homini dat idipſum quod iubet.

12 Mira prorsùs, & plena acumine collectio! Annè præcepta veteris Teſtamenti tradebantur, vel reddebantur impoſsibilia, quia ſcripta in tabulis lapideis? Tanta nè Deo cura ad exarandum digito ſuo, vel Angeli, legem quam, quia lapidibus inſculptam, non poſſent homines adimplere? An autèm lex illa continebat præcepta impoſsibilia, quia occaſionaliter prævaricatores faciebat, vel (ſi mavis quamvis impie) vt ſubditos prævaricatores faceret? Sed imò hoc ipſo præcepta illa demonſtrantur poſsibilia: ea namque lex ſupponere ſecum debebat homines potentes illa adimplere, vt videlicèt non adimplentes prævaricatores faceret, quia vt verum eſt illud: *Beatus, qui potuit transſgredi, & non eſt tranſgreſſus*, etiam, & verum eſt: *Prævaricator, qui potuit non tranſgredi, & tranſgreſſus eſt.* Eccleſ. 31. 8. Quo ergo ſenſu, quo filo, ex ea diſtantia, vtriuſque fœderis ab Auguſtino aſsignata; trahi poteſt præſens diſcrimen à Queſnellio ſomniatum?

13 Attamèn, ſi hoc tanquàm vnicum, ſeu præcipuum vtriuſque fœderis diſcrimen

placet Queſnellio, vellem ab ipſo, vel a ſuo Anonymo audire, ad quod fœdus, & Teſtamentum ſpectent Iuſti illi, quibus etiam in lege Gratiæ,

Janſenius *volentibus, & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſsibilia aliqua Dei præcepta, deeſt quoq; iis gratia quæ poſsibilia fiunt?* quæ eſt prima ſui Janſenij propoſitio, & cuius germanæ, ac ſimillimæ, & ſenſu, & verbis, ſunt ſequentes Queſnellij.

Queſnel. 14 *Ieſu Chriſti gratia principium efficax boni cuiuſcumque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.* Item: *Ita Domine, omnia poſsibilia ſunt ei, cui omnia poſsibilia facis, eadem operando in illo.* Rurſus: *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.* Tandē: *Quando Deus nō emollit cor per interiorem unctionē gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratia exteriores non inſerviunt niſi ad illud magis obdurandum.*

15 In his porrò non alium a Janſenij ſenſu damnato intendit Queſnellius, vt ſuis locis conſtabit, & prætèrea liquet, quia in ſuis obſervationibus ad illa verba Chriſti ad S. Petrum: *Vade poſt me Satana*, adhibet ad eas confirmandas idem exemplum

Mat. 16. 23.

quo Janſenius vtitur ad ſuam fulciendam, ſcilicet, Petri non potentis Chriſtum nō negare, quia defuit illi gratia efficax qua ipſi poſsibile fieret non negare Chriſtum. Eſt ergo apertus ſenſus tum Janſenij, tum Queſnellij, quod aliquibus, etiam iuſtis, poſt novum Teſtamentum, ſunt impoſsibilia aliqua præcepta Dei, & quod negata eis gratia efficaci qua poſsibilia fiunt, tametſi habeant alias gratias exteriores, qualis eſt lex præſcribens quod faciundum eſt, ſunt impotentes adimplere legem, imò per iſtam, iuxta Queſnellium, magis obdurantur.

16 Hæc cum apud ipſos ita ſint, rogo: Quod diſcrimen poteſt eſſe inter fœdus Iudaicum, & Chriſtianum, ex eo quod in vtroque fœdere commune eſt Iudæis, & Chriſtianis? Utriſque enim ſunt impoſsibilia Dei præcepta, iuxta Queſnellium; at ex hoc ſumit ipſe diſcrimen fœderis Iudaici, à Chriſtiano: ergo neceſſariò colligitur, vel quod Queſnellius ponit adhuc Chriſtianos, etiam iuſtos, ſpectantes ad fœdus Iudaicum, & conſequentèr ſentit iſtud non fuiſſe abolitum per Chriſtum: vel temere comminiſcitur inter vtrumque fœdus diſcrimen, quod nemo ex SS. PP. nul-

luſque

huiſque Interpres hactenùs deſignavit.

17 Verum impietas propoſitionis ex penitiori ſenſu ſuo ſtatim enucleando, demonſtranda eſt: & anteà præmittendum, quod totus ille coaleſcit ex his principijs erroneis, quæ fuere Uviclepho, Luthero, Calvino, Melancthoni, & reliquis Novatoribus fundamenta ad ſua perverſa dogmata *de Gratia, & libero arbitrio* ſtabilienda, quæque demùm poſt Baium, Janſenius, Arnaldus, & cuncti Janſeniſtæ fovere ſtuduerunt: atquè ea ipſa tandèm Queſnellius, *hæreditario delinquens errore*, ut aiebat S. Ambroſius, ſatagit totis viribus firmare his propoſitionibus, quas agentes cum ipſo, & cum Anonymo, de Gratia, in ſequentibus refellemus.

Apud Uvald. li. 1. doct. fid. art. 1. cap. 12. Lib. de ſer. arb. lib. 2. in Pigh. li. 2. Inſt. & Antid. Lib. 5. de fide. 3.

18 Et quoniam ibi etiam ſingula iſta principia, ut ſuis ſingularibus propoſitionibus reſpondentia, examinanda, & convellenda ſunt; modò ſufficiat hic aliqua tantùm adnotare, prætermiſſa illorum impugnatione, ne præſcriptam diſtributionem, & partitionem confundamus, & ad vitandam repetitionem argumentorum, & textuum lectoribus faſtidioſam, quam hucuſque ſtudioſè vitare curavimus.

19 Igitur primum dogma, & veluti principium quod ipſi ſtabiliunt, eſt, humanum arbitrium ſuam omninò amiſiſſe libertatem indifferentiæ, per peccatū originale, redditumq; eſſe ſervū. Undè; ſecūdò affirmant, nullam in eo non ſolum ſauciato per tam lethale vulnus, ſed etiam extincto, relinqui virtutem, aut potentiam, ad quidquam benè agendum. Ex quo deducunt tertiò, nulla Lege Divina, nulliſque Dei præceptis, reddi hominem potentem operari bonum cuiuſcumque generis, quia lex eſt quoddam auxilium dumtaxat exterius, & propterea invalidum ad internam illam impotentiam ex peccato contractam vincendam, ſeu tollendam.

20 Hinc quartò colligunt, opus eſſe potenti, & efficaci auxilio interioris gratiæ Dei, quo voluntas humana, ita reddatur ſufficientèr potens benè operari, ut ſimùl reipſa, & neceſſariò benè operetur. Cumque Chriſtus ſolus ſit qui gratiam iſtam ſemper victricem ſuis meritis nobis promeruit, in ſola eius lege, quæ proindè Lex Gratiæ, & Spiritus eſt, hæc gratia hominibus diſpenſatur. Undè ad rem præſentem concludunt, exiſtentibus ſub lege veteri precepta iſtius fuiſſe impoſſi-

bilia, quia redditi ex peccato originali impotentes legem adimplere, neque adiuti potenti, & victrice gratia Christi propria novæ Legis, eorum arbitrium non liberum, ſed ſervum erat, & cum eis, tanquam cum ſervis lex illa agebat, cohibens non cor, ſed manus, comminatione pœnarum, & promiſsionibus temporalibus.

21 Hec ſequela ex prædictis antecedentibus, & planè impia (vt modo alias taceam, quæ huc non expectant) eſt, quam Queſnellius ſua propoſitione firmare, Anonymuſque ſua defenſione confirmare tentant: primò iniqua expoſitione textuum Apoſtoli, quibus iam olim abuſi fuerant Lutherus, & Calvinus. Secundò, inepta allegatione SS. PP. quorum teſtimonia ad ſenſum improbum, & illis omninò adverſum detorquent.

22 Nàm quod attinet ad prædictos hæreticos, nemo ignorat quod Lutherus in ſuo libro *de Servo arbitrio*, eadem aſſert fundamenta, quæ ex Queſnellio notavimus, vt ipſiſsimam impotentiam, nullamque actionem, ſed puram putam paſsionem humano arbitrio, & voluntati attribuat.

Lutherus.

Calvinus.

23 Similitèr Calvinus aſſerens voluntatem humanam verè agere, ſed determinatam neceſſariò, & fatalitèr per gratiam Chriſti, ſatagit alias probare impotentiam voluntatis ad benè agendum in lege veteri, quam Queſnellius ſtatuit, eo textu quo Paulus ſcribens ad Galatas probat neminem iuſtificari per legem, aut per opera eius, ſed per fidem, dicens. *Quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim, maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Libro Legis.* Cap. 3. 10.

24 Quo textu adeò abutitur Calvinus, vt fingat Apoſtolum hoc modo arguentem. *Quicumque non facit totam legem eſt maledictus a lege; atqui nemo poteſt facere legem, ergo lex impoſsibilis eſt, & omnes neceſſariò ſunt ſub maledicto legis.* Cuius argumenti ſenſus eſt ipſiſsimus quem præfert propoſitio Queſnellij, & vtrobique, vt impius, contrarius Apoſtolo, qui cum ibi, & alibi, ac ſempèr, nihil magis intendat, niſi perſuadere, & demonſtrare, quod per ſolam fidem, & gratiam Chriſti poteſt lex obſervari, quæ alioqui à nemine viribus proprijs vnquàm adimplebitur, neque etiam per additam exteriorem virtutem legis poteſt

deſt tota adimpleri, in hoc, inquam, ſenſu, & ſecluſa omni gratia interiori per Chriſtum, dicitur ab ipſo impoſſibilis lex, quæ tamen eſt, & poſsibilis, & facilis adimpleri per vires gratiæ.

25 Senſum iſtum docet Apoſtolus ſæpiſsimè, ſed apertè ſcribens ad Romanos, vbi tanquam de re iſta accuratè agens, inquit. *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati, & mortis. Nàm quod impoſsibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens .... de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* Quod ergo legi, aut per ſolam legem erat impoſsibile, per ſpiritum vitæ in ea concluſum, vt poſteà apparebit, per gratiam Chriſti, poſsibile eſt. Cap. 8. 2.

26 Quarè alius diſcurſus verè catholicus, & longe à Calviniano, & Queſnelliano diverſus, efformatur, ſi ad ea verba, ſenſum, & intentum Pauli, alia minor ſubſumatur, ita ſcilicet: *Quicumque non facit totam legem eſt maledictus à lege, atqui nemo ſine fide, & gratia per Chriſtum facit vniverſam legem, omneſque poſſunt adiuti gratia Chriſti, illam adimplere: Ergo lex impoſsibilis non eſt, nec Deus paratus ſemper præſtare gratiam per Chriſtum, iubet impoſsibilia, neque omnes ſunt neceſſario ſub maledicto legis, ſed ij tantùm qui culpabiliter cortici legis adhærent, & fidunt.* Ita Hieronymus, ita Chryſoſtomus, & cuncti Interpretes, ac etiam Patres inferius allegandi.

27 Calvino videtur conſentire Michael Baius, ac ſimul docuiſſe Queſnellium, & inſtruere de ſua defenſione per Auguſtinum, Anonymo, dum ille hanc protulit propoſitionem, quæ eſt 54. ex damnatis per Conſtitutionem Pij V. & Gregorij XIII. *Definitiua hæc ſententia, Deum homini nihil impoſsibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino cum Pelagij ſit.* At poſteà videbimus, quam non tantùm illa ſententia verè tribuatur Auguſtino, ſed & quod idem S. Doctor contrariam apertè execratur. Michael Baius.

28 Bayum ſequutus eſt Janſenius aſſerens: *Scopo legis repugnaſſe quod Deus daret gratiam adiuvantem ad implenda præcepta, quæ imponebat.* Item: *Statum veteris Teſtamenti attuliſſe Iudæis gratiam impedientem, potius, quam ſufficientem.* Hæc eſt ipſiſsima Queſnellij doctrina, vt conſtet, quanto, & hæreditario iure, in Lutheri, Calvini, Jan- Janſen. lib. 3. de Grat. Salv. 5. & 8.

Janſenij, locum, & errorem ſuccedat.

29 Porrò oportet, vt & in ſe hæreditatis onera recipiat, ac impoſita ſolvat debita, pœnas nimirum, quas majores ſui coacti ſunt ſuſtinere à Sacro Concilio Tridentino ita definiente: *Nemo temerariè illis, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce, uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non iubet.* Et advertendum primò, quod dum Concilium hæc vltima verba abſolutè pronuntiat, eis directè percellit propoſitionem Queſnellij; quoniam ea ſententia vt abſoluta, accipienda eſt de Deo in quocumque fœdere cum hominibus inito.

Seſ. 6. cap. 11.

30 Advertendum vlteriùs, quod nè Queſnelliani, aut eius defenſores vitare valeant vim iſtius diffinitionis quocumque ſenſu ab ipſis excogitato, aut conficto, Concilium, non ſolum docet prædictis verbis, quod Deus impoſſibilia non iubet, ſed etiam prohibet quod quis contraria, & temeraria voce dicat, Deum impoſſibilia iubere. Impiè igitur vſurpatur in quocumque ſenſu etiam commentitio, ſed vtcumque verbis conformato, ſententia, aut vox, quam Tridentinum veluti temerariam vſurpandam prohibet.

31 Et quia illam à Patribus damnatam aſſerit, valdè hic opportunè pro Tridentino ſe dat, invito licet Anonymo, S. Auguſtinus, dignam ſua execratione cenſens propoſitionem Queſnelij. *Execramur*, inquit, *blaſphemiam eorum qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum: & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communione poſſe ſervari.* Propoſitionem iſtam blaſphemiã appellat, & meritò S. Auguſtinus, etiam antequam contrarium fuerit ab Eccleſia diffinitum. Quo ergo nomine, qua cenſura illam iam ab Eccleſia in Generali Concilio prohibitã notaret, qui, eo ipſo loco, vt hoc tanquam fidei dogma, inter alia, ſtatuat, & profiteatur, iſta præmittit: *Ut Eccleſiæ regula, ſanctaque Patrum traditio, atque iudicia in perpetuum firma, ſolidaque permaneant. Eſt autèm Patrum noſtrorum fides hæc, &c.*

Ser. 191. de Temp.

Ibid.

32 Verum præſtat ab eodem S. Doctore audire rationem cur ea propoſitio impia, & blaſphema ſit, quam his paucis comprehendit: *Nec impoſſibile aliquid potuit imperare, qui iuſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo quod non potuit vitare, qui*

Serm. 61. de Temp.

pius

pius eſt. Ergo & iuſtitiæ, & pietati divinæ derogat, ac proptereà in Deum blaſphemus eſt, qui affirmat impoſuiſſe populo ſuo legem præcepta impoſsibilia continentē.

33 Nàm quomodò erit, aut dicetur, Iuſtus, Legislator iniuſtam ferens Legem? Et quomodò lex iuſta eſſet, quæ ea præſcriberet facienda, quæ fieri non poſſunt? Iam, qui erit pius, bonuſque Dominus, ad hanc legem adimplendam obligans, idque intentatis minis, & promiſsis præmijs, cuius obſervantia impoſsibilis eſſet cuius tranſgreſsio neceſſaria foret? Appoſitè ait idem S. Auguſtinus: *Iniquum eſſe eum damnare cui non fuit poteſtas iuſſa complere*.

De Fide cont. Manich. 9.

34 Utque iniquus eſſet Iudex qui ſic tranſgreſſores impotentes puniret, ſtultus prorsùs nugator foret, nec verax, nec fidelis eſſe poterat, qui ſubditos ad obſervandam legem impoſsibilem ſervari, promiſsis invitaret, præmijs alliceret. *Quis non clamet*, inquit S. Auguſtinus, *ſtultum eſſe dare præcepta ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere?*

Ibi c. 10.

35 Multiplici igitur blaſphemia, & iure execranda, dicitur, Deum imponere hominibus præcepta impoſsibilia. Ex ea namque, inevitabili conſequentia colligit S. Auguſtinus, quod qui id affirmant Deum prædicant iniuſtum, impium, iniquum, ſtultum. *Has iniuſtitias, & iniquitates miſeri non intelligunt Deo ſe adſcribere*.

Ibid.

36 Miſeri profectò Queſnellius, & cuncti Janſeniſtæ, & Calviniſtæ, ſi ita ſuo aſſerto ſe blaſphemare intelligūt. Sed itē miſeri, ſi hoc non intelligūt, vt qui eo ipſo miſerabiliorem ſortem infrà indoctos quoſque, infra ruſticos quoque, infra opiliones adhuc, ſunt nacti. *Nec hi libri obſcuri*, aiebat S. Auguſtinus, *mihi ſcrutandi erant, undè diſcerem nemi nem ſupplicio dignum, qui aut id velit quod iuſtitia vellet non prohiberi, aut id non faciat, quod facere non poteſt. Nonnè iſta cantant, & in montibus Paſtores, & in Theatris Pœtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus hominum?*

Lib. de duab. Anim. cont. Manich. 11.

37 Ut autèm diſcant legem veterem, non attuliſſe has impijſsimas notas Authori ſuo, quia præcepta impoſsibilia contineret, oportet demonſtrare quod illa ex materia ſua, ex fine, & effectibus ſuis, ſancta, immaculata, fide-

delis, & valida erat. Nam quod attinet ad Legiſlatorem, neminem exiſtimo adeo impium, vel ſtolidum, qui valeat, aut velit iudicare, Deum, ſeu ex ignorantia, ſeu ex malitia, talem legem condidiſſe qua vellet homines, quos probè noverat peccato originali debilitatos, præceptis impoſſibilibus obſtringere: quamvis vnus Calvinus impudentèr dicat, Deum voluiſſe tranſgreſſionibus neceſſarijs horum præceptorum impoſsibilium, perdere homines, vt iram, & poteſtatem ſuam oſtenderet.

38 Ergo ad rem perſpicuè demonſtrandam, operæ pretium eſt exponere, qualis illa lex fuerit, quæ eius materia, & ad quos fines condita, quoſque habuerit effectus? Et quamvis de ſingulis his multa Theologi habeant, conabor quæ potiſsima ſunt, & ex Sacra Pagina, ac communi conſenſione ſtabilita, perſtringere: tametſi copia ipſa argumentorum me cogat aliquanto fuſiorem eſſe, quod patientèr ferendum optamus, dum propterea plenam rei notitiam, pleniòremque confutationem ſequentium, & præcedentium Queſnellij propoſitionum damus, adhibita explicatione a SS. PP. hauſta, plurium, & difficilium locorum S. Scripturæ, & præſertim ex Epiſtolis Pauli, quæ paucis, & aliundè penitùs explorari abſque confuſione nequeunt, quæ tamen perſpicuè, & intimiùs illuſtrari debent, vt in queis fundamenta etiam ad alias abſtruſiores propoſitiones *de Gratia*, & *Libertate*, aut iaciuntur, aut continentur. Quamobrèm prolixitatem ſpero excuſabit Lector inveniens tantam rerum, & textuum copiam apud alios forsàm indigeſtam, & à nobis, ni fallor, accuratiùs elucidatam.

39 Lex igitur poſitiva vetus, quæ in Pentateuco vſque in finem Deuteronomij continetur (quamvis totum Teſtamentum vetus lex etiam dicatur) Lex verè Divina fuit, à Deo ipſo, ſcilicet, inſtituta, & quo ad omnia eius præcepta, non ſolum moralia, ſed & ceremonialia, & iudicialia, ab eo, ſive immediatè, ſive, quod probabiliùs eſt, miniſterio Angelorum ordinata, lata, & Moyſi inſpirata, vt illam promulgaret, ac populo notam faceret. Quapropter Moyſes non legiſlator, non Author Legis, ſed dumtaxat promulgator fuit. Undè dicitur: *Lex per Moyſen data eſt*; data, ſcilicet, non acta, non condita. Solus itaque Deus fuit eius Author, *quia*, vt ait *Ioann. 1. 17.*
S.

In præfat. ad lib. moral. S. Gregorius Magnus, *interius præſidens loquendi efficaciam miniſtrabat*, vt proptereà propriiſsimè Divina Lex fuerit.

40 Finis autèm proximus, & intrinſecus proptèr quem illa data fuerit, qui & eam dignam Deo Authore demonſtrat, fuit ſpiritualis, & etiam ſupernaturalis, intentus nempe à Deo, non tantùm, vt Authore naturæ, ſed vt Authore ſupernaturali, & gratiæ, & ex providentia ſupernaturali reſpiciente Chriſtum finem vltimum legis, iuxta illud: *Finis Legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* *Ad Rom. 10.4.* Et quemadmodum tota illa lex eum præfigurabat, fidem etiam illius venturi continebat, dicente Apoſtolo: *Priuſquàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex Pedagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur.* *Ad Gal. 3.23.*

41 Fœlicitas igitur ſpiritualis, & ſupernaturalis populi cui lex illa dabatur, ſumpta tam pro ſanctitate, & honeſtate vitæ præſentis, quàm pro æterna futuræ felicitate, fuit finis à Deo per illam intentus, & conſequentèr per eam intendit etiam Deus media neceſſaria ad gratiam, & gloriam obtinendam: vt ſit apertè liquet ex his quæ Chriſtus reſpondit Juriſperito interroganti, *quid faciendo vitam æternam poſsidebo?* *Luc. 10. 25.* Cui iterum Chriſtus: *In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis?* Ad quæ ille: *Diliges Deum tuum ex toto corde, &c. & proximum ſicut te ipſum*: ex quo Chriſtus ad eius interrogationem reſpondens ait: *Hoc fac, & vives*, ſignificans planè, legem illam datam fuiſſe ad vitam æternam conſequendam, & per media ad eius aſſecutionem conducentia.

42 Similiter alteri interroganti: *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* *Mat. 19. 17.* Reſpondit Chriſtus: *Serva mandata.* Ergo illud erat finis legis, hocque erat medium, & vtrumque à Legislatore intentum. De quo, & obitèr notandum, quod non poterat ſeriò mandata obſervanda iniungere, quæ impoſsibilia ſciret. Sed de textu illo iterum alibi.

43 Omnia iſtius legis præcepta eò tendebant, ſive lex ipſa vetus collectivè accepta, ſeu vt comprehendens præcepta omnia moralia, cæremonialia, & iudicialia, ad id impoſita fuit, vt nempè foret hominibus norma rectè, honeſtè, & convenientèr vivendi in ſe, & reſpectu Dei, & in ordine ad Rempublicam

Dd hu-

humanam. Per præcepta namque moralia, propria etiam legis naturæ, inſtituebantur quo ad bonos mores ſimpliciter ad propriam honeſtatem conducentes. Per præcepta ceremonialia inſtruebantur de his omnibus, quæ ad divinum cultum ſpectant, vt fuere Sacrificia, Sacramenta, & aliæ Sacræ obſervationes, quæ *Sabbata* dicebantur.

44 Denique per Judicialia præcepta, docebantur de iuſtitia inter ſe ipſos ſervanda, & de reliquis quæ ad mores civiles, ad politiam, & regimen Reipublicæ pertinebant. Atque ita ſingula præcepta reſpicientia propriam materiam, & particulares fines, ordinabantur tanquam partes, ad legem vnam quam componebant, & cuius obſervantia ex proprijs actibus, aut præſcriptis, aut prohibitis, conſtituebat finem adæquatum legis conſiſtentem in totius vitæ rectitudine quo ad mores, quo ad cultum Dei, & quo ad communitatis æconomiam, & politiam. Quæ omnia, finesque prædictos comprehendit ipſe Deus dicens per Ezechielem. *Cap. 20. 11.* *Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. Inſuper, & Sabbata mea dedi eis, vt eſſent ſignum inter me, & eos, & ſcirent quia ego Dominus ſanctificavi eos.*

45 Ex quo apparet quod fuerit ſancta, & honeſta tota legis, & ſingulorum præceptorum materia. Non enim conveniebat alia ſanctiſsimo, & optimo Legiſlatori; & ex qua, vel ob quam lex ipſa eſt, & dicitur immaculata, teſtimonium fidele, iuſtitia recta, præceptum lucidum. *Pſal. 18.* *Itaque lex ſancta, & mandatum iuſtum, ſanctum, & bonum*: *Ad Rom. 7. 12.* ſcriptura certè non ſancta, ſi mandata iniuſta, quia impoſsibilia, contineret. Quod ſi alicubi dicuntur præcepta non bona, aut teſtamentum culpa non vacans, mox dicemus de qua parte legis, & in quo ſenſu, hæc, & ſimilia accipienda ſunt. *N. 101.*

46 Sancta porrò lex, mandataque bona, non ſolum actus externos, ſed & internos, per ſe, & directè tanquam materiam propriam reſpiciebant: & hoc maximè conveniebat legi quia divina, ſeu à Deo ſcrutante renes, & corda: cum legis humanæ ſit ſe ſolummodò extendere ad actus externos. Quamobrem dicitur: *Lex Domini immaculata convertens animas.* *Pſ. 18. 8.* Ideſt præcipiens, non agens, animorum converſionem. Item: *Teſtimonium ſapientiam præſtans.* Rursùs: *Iuſtitia Domini recta, lætifi-*

cans.

tantes corda. Et denique: *Timor Domini ſanctus, iudicia Domini vera iuſtificata.... deſiderabilia, &c.*

47 Quæ, vt plura alia omittam, palam evicunt, legem veterem de actibus internis fuiſſe, vt quæ converſionem animarum præcipiebat, quæ ſapientiam præſtabat, quę lætificabat corda, quæ vera, & deſiderabilia iudicia Dei continebat: hæc enim omnia motus interiores per legem ordinandos denotant. Neque alitèr timor Dei ſanctus, vel honeſtus foret, niſi adverſam legi, & præceptis divinis voluntatem pravam, puniendam timeret.

48 Nequè obſtat quod Apoſtolus eam appellet legem factorum. Nam, vel hæc appellatio cadit ſupra præcepta cæremonialia, & iudicialia, non ſupra moralia. Vel quod potiùs exiſtimo, vt conformius intento Apoſtoli, mox, & fuſiùs elucidando, & ex PP. confirmando, ea eſt denominatio ſumpta ab vna legis parte, nempè à littera; non ab alia, & nobiliori, ſcilicet ſpirituali. In quo ſenſu etiam S. Auguſtinus diſtinguit in lege *præcepta vitæ agendæ, & præcepta vitæ ſignificandæ*, quæ ait tunc rectè fuiſſe obſervata, *cum prænunciabantur iſta quę nunc revelata ſunt*, de quo latè infra. Modò autèm addimus, quod quamvis lex nova appellatur ab Apoſtolo ibi *Lex fidei*, lex etiam operum eſt, quoniam eſt lex fidei quæ per charitatem operatur, & reſpicit etiam tanquam materiam propriam actus externos, vel exercendos, vel omittendos: Ergo & lex vetus quamvis lex operum, vel factorum dicatur à Paulo, non propterea cenſeri debet reſpiciens tantummodò opera externa tanquam materiam propriam, ſed & ordinans etiam actus internos.

Infra N. 144.

Lib. 10. cont. Fauſt. 2.

49 Hic notandum quam iniquè Queſnellius, ſuuſque defenſor, in præcedentibus propoſitionibus *de Timore, & Amore*, & in his *de Antiquo, & novo fœdere*, abutantur teſtimonijs Apoſtoli, & SS. PP. ad damnandum omnem timorem ſervilem, tanquam omninò pravum, Judaicumque, retinentem nimirum affectum peccandi, & cohibentem tantùm manus ab opere externo, & præſcripto legis veteris. Quæ quamvis ſuis locis confutata ſint, pleniùs tamen ex his quæ in præſenti dicimus, dicemuſque, diſſipantur.

50 Explicatis itaquè fine, & materia legis veteris, & ſuorum præceptorum; illius effectus breviter perſtringam.

Et primò, quod lex illa obligaret in conſcientia, videtur perſpicuum ex verbis illis in Deuteronomio: *Quis det talem eos habere mentem ut timeant me, & cuſtodiant univerſa mandata mea in omni tempore, ut benè ſit eis.* Quæ obligatio non ſolum erat effectus inductus ex præceptis tantum moralibus, ſed etiam ex cæremonialibus, & iudicialibus: hæc namque poſtrema eo capite intimantur. Quod & videtur Apoſtolus innuere, dum dicit: *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Debitum enim propriè ad conſcientiam pertinet. *Ad Gal. 5. 3.*

51 Aliquæ permiſsiones, paucæ tamen, fuere etiam effectus prædictæ legis, quæ propterea ſunt permiſsiones iuris, ſeu introductæ per legem, meliùſque dici poſſunt, diſpenſationes, conceſsiones, aut privilegia. Ulteriùs, illa erat lex pœnalis, ſive habens effectus pœnarum, vel quas taxabat, vel quas exequebatur ob tranſgreſsiones. Similiter, opera ut præmio digna, præmiumque ipſum, erant effectus eiuſdem legis, quæ propriè ob utrumque, fœdus, & pactum dicebatur, quia comminatione pœnarum, & promiſsione præmiorum, à populo acceptatis, homines obligabat ad opus, & Deus ſe obligabat ad præmia obſervantibus reddenda.

52 Inter pœnas autèm, quæ temporales; multiplices, & graviſsimæ erant, neceſſariæ tamen ad continendas gentes pronas ad peccandum. Ob eas lex dicebatur lex timoris, & ſervitutis: maxima autem illarum erat ira Dei, & vindicta eius, quam tranſgreſſores incurrebant, de qua ſæpiſsimè in ſcriptura fit mentio, & cuius effectus æterna mors, ac damnatio eſt.

53 Quæ autem, aut qualia forent præmia per hanc legem promiſſa? Difficile admodum eſt definire, quia plurimi ſunt textus Sacræ Paginæ, pluraque SS. PP. teſtimonia, quos ſequitur S. Thomas, quibus ſignificatur ſola temporalia bona fuiſſe per eam legem obſervantibus promiſſa. Verumtamen ex pluribus alijs S. Scripturæ locis, atque alijs Patrum authoritatibus conſtat, non ſola bona temporalia, ſed & perpetua, æternam nimirum vitam, & felicitatem Iudæos ſperaſſe. Nec decens, aut dignum Deo videtur, quod cum pœnas non ſolum temporales, ſed æternas tranſgreſſoribus intentaret, præmia non æterna, ſed dumtaxàt tempo- *1. 2. q. 99. ar. 6.*

ralia a ſimplentibus promitteret.

N. 19. 54 Neque vlteriùs hoc poterat convenire cum fine vltimo prædictæ legis nupèr explicato: qui cum fuerit ſpiritualis, & ſupernaturalis, alliquendaſque ad ſummam illius populi fœlicitatem, per media ſpiritualia, videtur non potuiſſe intendi à Deo, niſi & hi, qui ea lege tenebantur, illum, tanquàm à ſe aſſequendum, promiſſum, & ſperandum haberent.

55 Ad diſſolvendam difficultatem iſtam, aliaſque non minus graves quæ in præſenti materia occurrunt, nec parùm negotij alijs faceſſunt, conabor ſtatim ſtabilire doctrinam generalem, & nemini, vt ſpero, inviſam, quia ex Scriptura, & Patribus, deſumptam, & ſolidatam, & qua exiſtimo enodari planè difficultates omnes, illuſtrarique cuncta dubia, quæ Authores Catholicos in varias expoſitiones, & ſolutiones diſperſos habent, & ex quibus Novatores antiqui, & moderni, anſam, & occaſionem ad ſuam hæterodoxiam arripuere.

56 Anteà tamèn quia dubitari ſolet, an iuſtificatio fuerit effectus legis? Cum præcipuus legum omnium effectus ſit, ſubditos facere bonos: oportet hoc breviter etiam expedire. Neque dubium eſt de iuſtificatione legali, quam Apoſtolus appellat iuſtitiam carnis, quæ non faciebat ſubditum interius, & iuxta conſcientiam, mundum, aut perfectum: ſed conſiſtebat in quibuſdam cæremonijs inſtitutis ad carnis emundationem, ſivè ad tollendas quaſdam immundirias legales. Solummodò ergo procedit dubium de Juſtificatione interiori, ſupernaturalique, quam Apoſtolus vocat iuſtitiam legis, ſpiritus, ac fidei; Ad Hebr. 9.

57 Hæc porrò non erat effectus Legis ſcriptæ, ſicut neque vlla alia gratia: id eſt, nulla dabatur ex vi veteris legis ſecundum litteram conſideratæ, quia videlicèt opera præſcripta ab ea lege, neque ex efficacia ſua, neque ex virtute operantis, vel, vt dici ſolet, neque ex opere operato, neque ex opere operantis, tantum effectum præſtare valebant. Quod de omnibus operibus moralibus, cæremonialibus, & iudicialibus, multis locis, & luculentèr docet Apoſtolus.

58 Tùm generatim verbis illis: *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro.* Ad Rom. 3. 20. Ad Gal. 2. 16. Et ſimul invicto eo argumento: *Si ex lege iuſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt:* quæ de tota lege, id eſt, collecti-

lectivè accepta procedunt. Cùm, & ſigillatim, dùm de particulari illo præcepto morali: *Non concupiſces*, docet, non ſolum non iuſtificare, ſed occaſionem mortis ſpiritualis afferre. Similiter cum de cæremonialibus ait, eſſe *egena, & infirma elementa*: & quod munera, & hoſtiæ, *non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſervientem*. Ac demum de iudicialibus, cum horum opera *iuſtitias carnis* appellat. Nulla itaquè opera illa erant de ſe ad iuſtificandum ſufficientia.

Ad Rom. 7. 8.

Ad Gal. 4. 9.

Ad Hebr. 9. 9. & 10.

59 Sed neque ex opere operantis ſub prædicta Lege ſcripta, quiſquam iuſtificabatur; quoniam ea ſecundum litteram, non erat Lex Fidei, ſed imò ab iſta diſtincta, iuxta Apoſtolum illam appellantem *legem operum*: & ex eo quia dictum erat, *Iuſtus ex fide vivit*, concludentem legem non iuſtificare, *quia lex non eſt ex fide*. Non poterat igitur lex illa, aut ex opere operato, aut ex opere operantis, quemquam iuſtificare.

Ad Gal. 3. 12.

60 Nequè propterea, aut Iudæis, aut alijs ſub lege naturali, & ante ſcriptam exiſtentibus, defuere remedia, quibus a peccato originali, & ab alijs mundarentur. Providentiſsimus namque Deus volens ſeriò omnes homines ab initio mundi vſque in finem extituros, ſalvos facere, nolenſque vnquam mortem peccatoris, non potuit non præparare hominibus, ſub quacumque lege, & in quacumque ætate, remedia quibus vtraque illa clementiſſima voluntas ſuum obiectum exequatur.

61 Præparavit vtique illa, & ex Chriſto ante omnia præviſo, & præintento, vt qui erat Primogenitus in multis fratribus, ſeu Primogenitus ante omnem creaturam, & *non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Videns ergo Deus humanam naturam per peccatum lapſam, & corruptam, non aliter reparandam, niſi medio Incarnationis, quod ab æterno decreverat, decrevit ſimiliter æquiſſima providentia, nullam gratiam, nullumve remedium hominibus lapſis conferre, niſi propter meritum illius qui totam naturam redempturus erat: atque idcircò, & ne vnquàm ſua infinita erga homines miſericordia ſuſpenſa maneret, ſuaque illa clementiſsima voluntas veluti otioſa ſtaret, decrevit etiam per anticipatam ſolutionē meriti Chriſti, providere, & præparare homi-

Act. 4. 12.

minibus in quocumque ſtatu, & ætate, nimirum etiam parvulis, remedium quo à peccato mundarentur.

62 Hoc autèm ab origine mundi, & in lege naturæ præcedente Legem ſcriptam, fuit quoddam ſignum exterius, non ex divina inſtitutione, ſed arbitrio hominum piorum, & Deo ſervientium determinatum: quod cum fuerit quædam profeſsio, & veluti atteſtatio Fidei Chriſti venturi, ratione cuius, debita aliàs intentione, & modo applicati, parvuli aggregabantur Eccleſiæ viſibili tanquàm eius membra, tuncque Deus ad prædicti ſigni viſibilis præſentiam, gratiam remiſsivam peccati originalis parvulis largiebatur.

63 Poſteà verò, nempè à Lege ſcripta, imò, & anteà, à tempore Abrahæ, remedium hoc peccati originalis fuit à Deo determinatum, & inſtitutum: inſtituit, ſcilicet, circumciſionem, cùm, & primò ex pacto inito cum Abraham, *Cap. 17. 10.* quod fuit tanquam inchoatio legis per Moyſen dandæ: tùm, & poſteà per iſtam legem: quæ debitè applicata infantibus erat potiſsimum legis veteris Sacramentum, ſignumque gratiæ ſanctificantis, quam Deus ad iſtius ſigni præſentiam conferebat illis. Atque hoc modo in vtraque lege naturali, & ſcripta, providit Deus remedium neceſſarium, & ſufficiens ad iuſtificationem parvulorum, aut potiùs providit ſigna externa remedij à ſe liberaliſsimè conferendi. Non igitur erat iuſtificatio effectus illius legis ex opere operato.

64 Neque item erat eius effectus ex opere operantis. Nam quamvis lex illa contineret præcepta fidei, ſpe, charitatis, & contritionis, ſeu pœnitentiæ, quorum actibus in lege gratiæ diſpoſitivè iuſtificamur: non dabatur tamen per veterem legem, gratia quæ per novam datur, & idcircò prædicti actus, ex vi veteris legis, nec diſponebant, nec poterant diſponere ad iuſtificationem impij, nec cauſabant, aut poterant iſtam cauſare: ergo neque erat, nec poterat eſſe iuſtificatio effectus legis veteris ex opere operantis. Idemque dicendum de Iuſto quo ad merendum per eos actus augmentum gratiæ.

65 Sed contra hoc videtur obſtare primò, quod in Sacra Pagina, & in ipſo veteri Teſtamento, dicitur: *Quòd ſi impius egerit pœnitentiam, & cuſtodierit mandata, vita vivet.* Item: *Si in mandatis vitæ ambulaverit vita vivet.* *Ezech. 18. 21. & 33. 15.*

At

At per ſe notum eſt, quod *mandata vitæ*, ſunt per excellentiam præcepta iſta Virtutum Theologalium; & quod pleonaſmus ille *vita vivet*, ſpiritualis animæ vita, & ſimul æterna fœlicitas, maximè ſignificantur. Rursùs, Chriſtus ipſe ſubdito legis veteris interroganti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Reſpondit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Qui & iterum de mandatis legis veteris, hoc eſſe maximum dixit: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Ergo negari non poteſt, quod iuſtificatio fuerit effectus operum legis veteris.

Matth. 19. 17. & 22. 37.

66 Secundum non minùs obſtans, eſt hoc ipſum quod Novatores, & noviſsimè Queſnellius in præſenti affirmant, quodque videtur inevitabili ſequela ex ea colligendum, videlicet, quod in lege veteri præcepta Dei fuere impoſsibilia, & præſertim prædicta, quæ potiſsima ſunt, ac ſimul alia Decalogi, vt ad quorum adimpletionem nequaquam iuvabat lex ipſa vetus, neque vllam de ſe dabat gratiam qua homines illa adimplerent, & ſine qua minime ea obſervare poterant.

67 Hæc difficultas, quæ ex prædicta poſitione illicò conſurgit, adeò inſuperabilis viſa fuit hæreticis, vt illa preſsi antiquiores, non hæſitaverint abſolutè affirmare præcepta divina fuiſſe populo Iudaico impoſsibilia: & hoc ipſum his noſtris temporibus Janſenius, eiuſque diſcipuli pertinacitèr affirmant, quamvis apud Authores Catholicos qui contra Lutherum, & Calvinum olim fœlicitèr decertarunt, inveniant ſatis aptam, & claram prædictæ difficultatis ſolutionem.

68 Quæ porrò huiuſmodi eſt. Quamvis inquiunt, ex vi legis veteris, nemo poſſet ſub illa, aut virtute illius, prædicta Dei præcepta obſervare, non ſunt tamèn dicenda homini abſolutè impoſsibilia, quia ex vi legis novæ, & in Fide Chriſti venturi, præſto erat omnibus per quamdam anticipatam ſolutionem meritorum illius, auxilium gratiæ, quo iuvarentur ad ea præcepta adimplenda, & conſequenter quo illa eis poſsibilia reddebantur.

69 Solutio iſta communis veriſsima eſt, vt quæ innititur doctrinæ crebrò, & conſtantèr traditæ ab Apoſtolo, quam & illuſtrant, & confirmant cuncti SS. PP. & Interpretes. Quin, & eius veritas redditur veluti neceſſaria ex hoc duplici, & inconcuſſo dogmate: quod nempè Deus eſt

eſt legiſlator optimus, iuſtiſſimus, & æquiſſimus, & *nullus ei ſimilis in Legiſlatoribus*, Iob. 36. 22. qui propterea nemini poteſt aliquid impoſſibile iubere: & quod Chriſtus eſt vnica vitis, cuius omnes homines palmites ſunt, vt proinde nullus palmes poſſit ferre fructum à ſemetipſo, & niſi manſerit in illa vite; quarè & nemo ſub quacumque lege, poteſt ferre fructum obſervantiæ illius, niſi per Chriſtum, & ex eiuſdem influxu per ipſius gratiam. Ex vtroque itaque principio, neceſſariò colligitur, & quod præcepta Dei nemini ſub quacumque lege ſunt impoſſibilia, & quod omnibus ſub quacumque lege ſolummodò ſunt poſſibilia per gratiam Chriſti.

70 Et quidem, cum Deus in lege veteri, atque etiam in lege naturali, providerit de remedio ad iuſtificationem parvulorum, quamvis non ex opere operato, & ex vi vtriuſque legis, ſed ex vi meritorum Chriſti præintenti, quod planè ſat eſt ne dicantur ea remedia in vtraque lege impoſſibilia; quis dicere audeat, adeò minorem providentiam habuiſſe de adultis, & iam ab originali peccato mundatis, quos, & maximè lege obſtrictos volebat, vt eis præcepta imponeret, de operibus ad ſuam iuſtificationem neceſſarijs, ſed alioqui impoſſibilibus? Imperia profectò eiuſmodi, peiora Manlianis forent.

71 Denique. Tota ipſa legis veteris idæa, ſeù æconomia hactenùs explicata, id manifeſtiſſimè convincit. Lex namque perfecta ex optimo Legiſlatore; perfecta ex fine ab ipſo intento; perfecta quo ad materiam; perfecta in ſuis effectibus; non poterat continere præcepta impoſſibilia; imò neque vnum huiuſmodi poterat includere, quod à ſubdito adimpleri non poſſet: quoniam hoc ipſo argueretur defectus providentiæ in Authore: malitia, aut perverſitas in intentione: exorbitantia in materia: crudelitas, & illuſio in effectibus. Quæ nec de Deo omniſcio, ſanctiſſimo, ſinceriſſimo, omnipotente, ſomniari valent; nec de lege immaculata, prudētiſſima, æquiſſima, & fideli, dici poſſunt.

72 Verùm dices. Lex cuius littera occidit, lex mortis, lex quæ iram operatur, lex quæ ſpiritum ſolius ſervitutis infundit, lex quæ timorem incutit, lex quæ prævaricatores facit, lex quæ peccare docet, lex quæ ſub maledicto ſubditos obſtrictos habet; ac tandèm, lex lapidea, & cuius onus, nec nos, nec Patres noſ- *Ad Rom. 1. & 4. & 7. & 8. Ad Cor. 3. Ad Gal. 3. Ad Hebr. 7. Act. 15.*

Ee tri

tri portare potuimus; lex eſt impoſsibilia iubens, & quamvis hoc ipſo videatur, dura, & crudelis, digna tamen fuit, quæ imponeretur genti peccatrici, populo ingrato, & rebelli, qui dura cervice, & incircumciſis cordibus ſemper Spiritui Sancto reſtitit. At illis nominibus, aut notionibus, Apoſtoli Petrus, & Paulus, legem veterem deſcribunt, & deſignant: ergo & rectè dici poteſt, ſine vlla prorsùs iniuria Dei, iuſte alioqui ſe gerentis cum prædicto populo, quod eis impoſuit legem præcepta impoſsibilia continentem.

73 Inſupèr, & Catholici Theologi id ipſum videntur ſentire, & docere, dum communi illa ſua ſolutione, & doctrina fatentur, impoſsibilem fuiſſe Iudæis, ex vi ſuæ legis, obſervantiam præceptorum quæ illa continebat: quod perindè formalitèr eſt, ac impoſsibilia eſſe illis, & ſub ea lege, præcepta. Quod autem redderentur potentes ea adimplere ex vi legis gratiæ, & per fidem Chriſti venturi; hoc non reddit falſam propoſitionem illam invariatam, ſed omninò variat eius ſubiectum, & prædicatum; quoniam Iudæi ſic in Chriſtum venturum credentes, & per ipſius gratiam tantum potentes, hoc ipſo iam ad legem novam pertinebant, qui alias verè per veterem ſuam impotentes erant: ergo veriſsimum eſt de alijs qui indubie maior pars erant, & qui tantum ſub lege veteri ſtabant, quod eis in eo ſtatu fuere impoſsibilia legis præcepta, quia ſcilicet, lex nullum illis auxilium dabat, non aliquatenus iuvabat ad ea adimplenda, ſed dumtaxat quæ erant agenda, docebat.

74 Hæc eſt in re iſta difficultas, & ardua ſupra loca Scripturæ dubitandi ratio, quę & multipliciter adhuc vrgeri poteſt. Ad cuius enodationem, oportet iam ſtabilire doctrinam illam communem quam ſupra promiſsimus, quam nec negare, aut labefactare poterunt Novatores, niſi impudentèr deſpicere velint aperta Sacræ Scripturæ teſtimonia, & SS. PP. conſtantes, & expreſſas ſententias, quibus illa fulcitur. Duabus eam, pro maiori claritate, propoſitionibus complectar, & hanc primo ſtatuo. *Lex vetus non erat ſic abſolutè infirma, aut invalida, quod non valeret omninò, & ex aliqua ſui parte mox explicanda, vllam poteſtatem conferre ſubditis ad ſui perfectam obſervantiam.* *1. Propoſitio.*

75 Hæc, niſi fallor, colligitur apertè ex Apoſtolo, inter

ter alia, appellante legem *ſanctam, & mandatum ſanctum, iuſtum, & bonum*: & quod ita bonum eſt, abſit vt nemini fuerit mors, & infirmitas. Ait inſuper, quod qui vult facere bonum, quod lex præcipit, invenit tunc legem cui conſentit, & condelectatur: quæ ſatis denotant legem non eſſe adeò infirmam, vt ex nulla ſui parte adiuvaret hominem ad bonorum præceptorum adimpletionem. Clariùs adhuc cum poſteà addit, quod *lex infirmabatur per carnem*: ergo quia illa in ſe abſolutè, aut ex omni parte, infirma non erat, ſed reddebatur infirma per aliam, & repugnantem legem carnis, & concupiſcentiæ, dum, ſcilicet, ſuggeſtioni, & blandimentis iſtius ita conſentiebat voluntas, vt hoc ipſum malum quod per legem odio habebat, illud nihilominus per concupiſcentiam faceret.

Ad Rom. 7. 12. 21. 22.

Cap. 8. 3.

76 Do Chryſoſtomum multis laudantem legem veterem, & luculentèr explicantèr notiones adverſas ſuprà de illa inſinuatas, quæ potiùs conveniunt peccato, quam legi, vt *per quæ Paulus illam accuſat, per ea demùm rurſùs legis virtutem magis, ac magis oſtendat*: erat ergo, & Apoſtolo, & Chryſoſtomo lex illa virtuoſa, ac potens. Hinc iterùm S. Doctor. *conſidera, legem non ſolum noluiſſe vitium ad intentionem, incrementumque perducere, ſed ſtuduiſſe etiam, operamque navaſſe, vt ſi quod antea eſſet convelleret, reſcinderetque.* Item antea dixerat: *Verùm lege non ad id laborem, ac ſtudium afferente ſuum, ſed ſecùs agente.* Non itaquè lex illa erat omninò invalida, & ſine vlla prorsùs virtute.

Hom. 12. in Epiſt. ad Rom.

77 Idem innuit S. Auguſtinus, dicens: *Ergo infirmabatur lex per carnem, id eſt non efficiebat iuſtos deditos carni*: ac ſi ex ſe valida foret ad iuſtos efficiendos, niſi lege concupiſcentiæ repugnante, cui homo conſentit, inefficax redderetur. Quod planè etiam de ipſa lege gratiæ, abſque vllo ſuæ virtutis præiudicio, dicendum eſt, teſte eodem S. Auguſtino alibi.

Lib. 83. q. 4. 66.

Lib. Retract. cap. 26.

78 Mitto plura, quia quamvis illa, ſicuti & allegata, ſatis confirment præiactam generalem propoſitionem, non adhuc ſufficiunt ad plenè evacuandam rationis dubitandi difficultatem, quoniàm nihil ſolemniùs, nihil decantatius, nihilvè conformiùs ijs SS. PP. cunctiſque alijs, quemadmodùm, & palàm, ac ſæpè ab Apoſtolo ſtabilitum, niſi quod lex vetus nullas vires ad ſua præcepta adimplenda confe-

rebat, nullo modo iuvabat, vel vllam opem volentibus ea obſervare, donabat. Undè qui ex natura ſua infirmi, & impotentes ad eorum adimpletionem erant, in eadem impotentia, & infirmitate, per legem relinquebantur: atque id ſolummodò habebant ex lege docente ipſos, & ſuis maximè præceptis moralibus, peccata, & prohibitiones, quod cum hæc opera ante legem, aut ſine lege facerent, peccatores erant: ſed eadem facientes ſuppoſita lege, & eius inſtructione, prævaricatores erant, ob quod, ait Apoſtolus, quod ſi non fuiſſet lex, non fuiſſet prævaricatio.

79 Nullas itaque vires præſtabat lex, ne homines fierent prævaricatores illius, & ſuorum præceptorum tranſgreſſores. Vtque erat impoſſibile legi has vires præbere, erat ſimiliter neceſſaria hominibus, vt ſub ea lege ſtabant, impotentia ad illam ſervandam; opuſque habebant recurrere ad legem novam, nondùm editam, vt potentiſsima gratia per Chriſtum fierent potentes præcepta legis implere: *Nam quod impoſſibile erat legi*, inquit Apoſtolus, *in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittit .... vt iuſtificatio legis impleretur.* Recurſus tamen iſte etiam videtur impoſsibilis, quia lex nova nondùm promulgata erat: ergo videtur neceſſariò colligendum, quod ſub lege veteri, quia hæc infirma prorſus, & imbecillis erat, ſui ſubditi relinquebantur ad eius obſervantiam impotentes, nec poterant, vt potentes fierent, ad aliam legem ſibi non dum impoſitam, ad aliud fœdus ſecum non dùm initum tranſire.

Ad Rom. 8. 3.

80 Hæc nihilominùs non vrgent, vt cogamur fateri infirmitatem, & imbecibillitatem in lege veteri, quam negat S. Chryſoſtomus exponens Apoſtolum laudantem potius, quam calumniantem legem, dicens: *Videtur quidem legem calumniari: ſin verò quis diligenter attendat, vel maxime illam laudat, convenisſe eam cum Chriſto oſtendens, & res eaſdem cum illo voluiſſe. Neque enim dixit quod in lege malum erat, ſed quod illa minimè poterat: & rurſus imbecillis erat, non quatenus male agebat, aut inſidiabatur; non imbecillitatem illi adſcribit, ſed carni, dicens: quatenus imbecillis erat per carnem.* Homil. 13.

81 Quo teſtimonio fretus, ad præiactæ propoſitionis penitiorem explicationem, & occurrentium argumentorum

rum ſolutionem, hanc aliam, quæ & principalis in præſenti propoſitio eſt ſtabilio: *Quamvis lex vetus nullas valeret præſtare vires ſuis ſubditis, ex parte litteræ, ſeu ex vi ſenſus externi per litteram ſignificati, ad ſua præcepta implenda; optimè poterat eas præbere, ac præbebat, ex parte ſui præcipui ſenſus interni, ſeu ex vi principalis figurati per ipſam.* Propoſitio hæc ſupponit duos eſſe diſtinguendos in lege veteri ſenſus, alterum expreſſum, alterum figuratum: alterum materialem, alterum ſpiritualem: alterum quem verba ipſa ſonabant, alterum quem ſignificabant: alterum præſcribentem opera exequenda, alterum adumbrantem finem, & ſpiritum quo erant facienda. Et quamvis prior ſenſus fuerit primò per legem, & à legiſlatore expreſſus; ſecundus tamen, vt nobilior, fuit præcipuè, aut maximè ab ipſo intentus.

Alia, et præcipua Propoſitio.

82 Et quidèm, quod ea lex has duas partes contineret, palàm evincitur ex Apoſtolo, tùm cum eam legem, carnalem, & mandatum carnis appellat, dicens: *Qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt.* Quam nihilominus alibi ſpiritualem dixerat: *Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt.* Cùm, & præſertim ob multa alia quæ videntur invicem opponi, & reapsè adverſarentur, niſi de diſtinctis partibus legis accipiantur, & ſingula ſingulis applicentur; vt cum inquit: *Soluti ſumus à lege mortis*, ideſt à littera quæ occidit; cum alibi dicat: *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit. Sed legem ſtatuimus.* Item, ſæpiſsimè affirmat, quod per legem nemo iuſtificatur, quod iuſtificatio non eſt ex lege; cum tamen alio loco hæc habeat: *Ut iuſtificatio legis impleretur in nobis.*

Ad Heb. 7.16.
Ad Rom. 7.14.
Ad Rom. 7.6.
Ad Rom. 3.31.
Ad Rom. 8.4.

83 Nec minùs clara ſunt quibus Apoſtolus crebrò docet, Legem veterem, aut Teſtamentum vetus fuiſſe novæ legis nubem: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt*: fuiſſe novi Teſtamenti velamen, quod Iudæi increduli, & infideles adhuc ſuper cor ſuum habent: *Uſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Rursùs, legem illam adumbraſſe omnia bona in lege gratiæ futura, & Chriſtum ipſum venientem: *Umbram enim habens lex futurorum bonorum.* Quæ, & ſimilia apud eundem Paulum frequentiſsima, manifeſtè denotant, aliam fuiſſe Legis, & Teſtamenti veteris partem litteralem, aliam ſpiritualem: aliam quæ in cortice

1. ad Cor. 10.1.
2. ad Corinth. 3, 15.
Ad Hebr. 10.1.

tice ſenſum præſeferebat purè externum, aliam ſenſus interni, & myſtici, in illa contentam, & clauſam: quemadmodum in corpore humano continetur anima, & ex vtraque parte vnum coaleſcit compoſitum. Quo exemplo vtitur Chryſoſtomus mox allegandus.

84 Id ipſum cuncti SS. PP. & Interpretes adeo copiosè, adeo conformitèr affirmant, vt nullo, aut parvo, ſed tamen inutili labore, innumera eorum teſtimonia allegare poſſem. Non nulla nihilominùs adducam. S. Auguſtinus: *Si figuræ diſcutiantur, omnia ibi prophetata reperiuntur quæ ſunt præſentata, vel expectantur præſentanda per Chriſtum.* Antea dixerat: *In veteri Teſtamento tanta prædicatio, & prænunciatio novi Teſtamenti eſt, vt nulla* (vel penè nulla, vt ipſe corrigit) *in Evangelica, atque Apoſtolica doctrina reperiantur, quamvis ardua, & divina præcepta, & promiſſa, quæ illis etiam libris veteribus deſint.*

1. Retr. 22.

85 Rurſus. *In veteri Teſtamento eſt occultatum novum, in novo Teſtamento eſt manifeſtatum vetus.* Item alibi. *Sicut ſcriptum eſt in Cantico Canticorum: Aſpiravit dies, ſemoveantur umbræ; ſpiritualis ſignificatio luceſcat, carnalis celebratio iam requieſcat.* Nimiùs forem ſi omnia de re iſta Auguſtini teſtimonia, quibus cunctæ paginæ illius redundant, conarer exſcribere. Qui plura velit legat eius concordiam vtriuſque Teſtamenti contra Manichæos, & libros contra Fauſtum, & ex his modò hæc verba à Queſnelliſtis obſervanda volumus. *Vetus Teſtamentum Iudæis datum eſt, & novum in veteri figuratum: Legis autem conſtitutionem quæ Iſraelitis data eſt, non intelligentes eius diſpenſationem, quia iam non vult nos Deus eſſe ſub lege, ſed ſub gratia, reprehendere iſti ſolent imperitia furioſa.*

De Catechiz. rud. cap. 4. Adv. Iud. 6.

Lib. 12. 3

86 Adhùc autèm, & dignum reflexione eſt, quod non ſolum in cortice, & littera veteris Teſtamenti claudebatur novum per illud figuratum; ſed etiam, quod amplius eſt, plura loca Teſtamenti veteris hoc ipſum ſignificabant, nempè ſe eſſe vmbram, & figuram novi Teſtamenti, & legis gratiæ, quod ex illo textu Canticorum: *Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ,* colligit S. Auguſtinus.

Cap. 4. 6.

87 S. Gregorius Nacianzenus, luculentiſsimum de eadem re teſtimonium habet, dicens: *Enimverò legem univerſam*

Orat. 42.

ſam futurorum, atque eorum quæ animo, & ratione intelliguntur, umbram fuiſſe, divinus Apoſtolus ante nos pronunciavit. At Deus etiam qui Moſi ante oraculo edidit, cum de his rebus leges illi præſcriberet; vide, inquit, ut omnia facias iuxta exemplar, quod tibi in monte oſtenſum eſt: ea nimirum quæ aſpectu ſentiuntur quaſi adumbrationem quamdam, & delineationem eorum rerum quæ oculorum ſenſum fugiunt, eſſe oſtendens. Atque illud perſuaſum habeo (hæc attendat quæſo Anonymus) *nihil temerè, nec inconſideratè, nihil humilitèr, atque abiectè, nihil deniquè Deo Legiſlatore, ac Miniſtro Moſe, parum dignum, indictum, atque conſtitutum eſſe; tametſi deſpectie factu ſit, ut ſuam cuique umbræ, ac figuræ allegoriam excogitemus.*

88 Plurima idem confirmantia poſſem ex S. Chryſoſtomo allegare, nam multa habet, & præſertim ad loca Apoſtoli ſuperius adducta, uti etiam Theodoretus, Ambroſius, ſeu Hilarius Diaconus, & reliqui Pauli Interpretes, qui in eandem ſententiam conſpirant, quemadmodum, & cuncti SS. PP. quos prætermittere libet, ne longior ſim in re alioqui notiſsima. S. Leo Pap. plura, & luculenta habet.

Serm. 1. de Pent.

89 Ne tamèn ullus remaneat ſcrupulus, ſi quis opponat, legem veterem abſolutè appellari legem carnis: Ergo quia tota carnalis erat, & ex nulla parte ſpiritualis. Reſpondet S. Chryſoſtomus primò, per legem carnis, ſicùt & per legem peccati, & mortis, non legem Moyſis, ſed legem membrorum, ſcilicet concupiſcentiam repugnantem legi mentis, ab Apoſtolò deſignari. Secundò ait, quod legem veterem appellavit carnalem ex parte litteræ, & craſsioris intelligentiæ: *Sic à priori illam vocans, ſicuti, & carnem ſæpenumerò totum hominem, & animam habentem appellari aſſuevit.*

Hom. 13. in 7. Ep. ad Rom.

90 Similitèr, ſi iterùm obijciatur, quod de lege, deque eius doctrina dici ſolet abſolutè quod illa occidit, & quod vivificare non poteſt: Ergo ſupervacaneum eſt diſtinguere in ea duas partes; & præſertim cum potiſsima eius pars ſit doctrina, quæ alias occidit. Reſpondeo primò, quod non de lege, ſed de littera nudè ſumpta, & purè quo ad ſignificata materialia, verè dicitur quod occidit: Ex quo imò colligitur aliam prætereà partem eſſe in lege quæ non occidit. Quod ſi S. Auguſtinus alicubi dixit, quod *Lex Dei, atque doctrina, quamvis ſan-*

Ep. 107. ad Vital.

ſancta, & iuſta, & bona, tamen occidit. Id intelligendum eſt ſub conditione ab ipſo ſtatim adhibita: *Si non vivificet ſpiritus.*

91 Quàmobrèm, & ex eodem S. Doctore, reſpondeo ſecundò, nomine litteræ legem ſignificari, ſumpta ex hac parte denominatione, non tamen ſic vt alteri parti, nempè figuratis per litteram, attribui poſſint quæ de littera dicuntur, ſed de lege ſecundum ea tantum quæ apertè, palam, & non figuratè prædicere. *Volo enim ſi potero*, inquit, *demonſtrare illud, quod ait Apoſtolus, littera occidit, ſpiritus autem vivificat, non de figuratis locutionibus dictum .... quamvis & illic congruentèr accipiatur, ſed potius de lege apertè quod malum eſt prohibente... quoniam legis littera quæ docet non eſſe peccandum, ſi ſpiritus vivificans deſit, occidit.*

De Spir. & litt. cap. 4.

92 Hæc autem ratio figurativa quæ facit nobiliorem partem legis veteris; vt maximè intenta à Deo, reperitur in ſingulis præceptis quæ ipſa continet, exceptis moralibus. Præcepta namque moralia non erant propria huius poſitivæ legis, cuius propria eſt ratio figuralis, ſed in ea fuere incorporata quæ propria erant legis naturalis obligantis ante poſitivam veterem, vt & ſemper, ac modo poſt illam, obligant. Quapropter non eſt in eis quærenda ratio figuralis ex inſtitutione divina, ſed dumtaxàt propria moralis. Quod expreſſe docet S. Auguſtinus adhibens exemplum in illo præcepto: *Non concupiſces*, inquiens: *Et utiquè non figuratè aliquid dicitur, quod accipiendum non ſit ſecundùm litteræ ſonum, cum dicit: Non concupiſces, ſed apertiſſimum, ſaluberrimumque præceptum eſt, quod ſi quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum.*

Ibi cap. 4.

93 In reliquis autèm præceptis, & maximè in cæremonialibus, invenitur propria ratio ſpiritualis, & figurativa, quæ, vt per ſe intenta, in eis præcipuè quærenda erat ad attingendum finem potiſſimum eorundem præceptorum. *Vt aliquid*, ait S. Auguſtinus, *figuratè ſcriptum .... non accipiamus ſicut littera ſonat, ſed aliud quod ſignificat intuentes, interiorem hominem ſpiritali intelligentia nutriamus.* Quocirca, aliam, & aliam materiam, alium atque alium finem, de quibus ſupra in communi locuti ſumus, debuerunt in veteri lege, & eius præceptis ſubditi eiuſdem diſtinguere.

Ibi.

94 Undè, & duplici

etiam

etiam modo legem, & eius præcepta adimplere poterant, vel ſecundùm quod littera ſonabat, vel ſecundùm quod per eandem litteram præfigurabatur: aut exequentes materialiter, & opere tantùm externo, quod lex ipſa, & præceptum faciendum præſcribebant, aut ſpiritualitèr ſe, & opera, ordinantes in Chriſtum finem legis, quem venturum, & per eandem promiſſum, ac ritibus omnibus ſuis præfiguratum, credere debebant.

95 Etenim ab inſtitutione prædictæ legis, ſive vt lex, ſive vt fœdus, ſive vt teſtamentum, præfiguratus fuit Chriſtus, ijs etiam ritibus quibus fœdus celebrabatur, aut teſtamentum condiebatur, aut lex promulgabatur, quod obſervavimus ſuprà ab Apoſtolo notatum, & à S. Auguſtino confirmatum. *Num. 5.* Inſupèr, totis paginis ſuis vetus ipſum teſtamentum Chriſtum prænunciat, Chriſtum merentem, patientem, redimentem, perſpicuis ſignis, verbiſque, ac rebus palàm ipſum figurantibus, adumbrat, quod accurata, & curioſa plurimorum Patrum, aliorumque adnotatione, & textuum collectione, cuique, & obvium, & notum eſſe poteſt. Neque aliud eſt quod magis perſonent ſcripta SS. PP. Satque ſit pro re vulgatiſsima legere SS. Cyprianum, & Auguſtinum, locis ad marginem notatis. *Dub. illa teſtimonia cont. Iud. In lib. cit. Fauſ.*

96 Placet autem ex S. Auguſtino ſequentia quia opportuna ex re, & ex effectu, referre. Chriſtus mihi *ubiquè illorum librorum, ubiquè illarum ſcripturarum peragranti, & anhelanti in ſudore illo damnationis humanæ, ſivè ex aperto, ſivè ex occulto, occurrit, & reficit: ipſe mihi, & ex nonnulla difficultate inventionis ſuæ deſiderium inflammat, quo id quod invenero avidè ſorbeam, medulliſque reconditum ſalubritèr teneam.* *Lib. 12. cap. 27.* Hæc ille iterùm poſteà forsàn ponderanda.

97 Cui adiungam Nazianzenum dicentem: *Sic igitur atque his de cauſis, Lex ſcripta introducta eſt ad Chriſtum nos colligens.* *Orat. 42.* Qui igitur ex Iudæis à cortice legis, à littera ſuorum præceptorum, ad altiorem, & nobiliorem partem eiuſdem legis pertingebant, aſſurgentes ad figurata per ipſam, & præſertìm ad Chriſtum, qui aliorum omnium imago, exemplar, & author erat, hoc ipſo validi, & potentes per eius gratiam reddebantur ad omnia legis præcepta, adimplenda, perfecta, ſcilicet adimpletione quæ & opere, & corde fit. Ex adver-

eò autèm qui litteræ tantum legis adhærentes, & fidentes, opera dumtaxàt externa illius faciebant, nequaquam attendentes ad nobiliorem illam partem legis, ſublimiora, & maximè credenda, & ſperanda præfigurantis, hi profectò legèm eiuſque præcepta nequaquam obſervabant, quin nec poterant obſervare, nullum valentes à ſenſu expreſſo litteræ auxilium habere.

98 Itèm, iſti volentes ex hac tantum litteræ parte, & operum externorum illius legem adimplere, & ſe iuſtificare, prævaricatores eo ipſo legis erant, quam & violabant ex ea præcipuè parte, qua ſpiritualis erat, qua promiſſa maiora, & promiſſum Chriſtum fontem gratiæ continebat, & qua æterna credenda, & ſperanda per ipſum præfigurabat. Hi inquam qui ſic dumtaxàt ex operibus, & littera legis erant, ſub maledicto

Ad Gal. 3. 10. erant legis, quia *maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea.* In omnibus ait Apoſtolus, nempè in ſcriptis, & expreſsis per litteram, quæ adimplere debebant, & in figuratis, & adumbratis, ob quæ illa adimplenda erant, & maximè in Chriſto, & ob Chriſtum, quia ipſe fuit, eſtque, qui *nos redemit de maledicto legis.*

99 Inſupèr lex ita craſsè, & tantummodò ex parte litteræ accepta, lex lapidea erat, lex ſervitutis, lex peccati, lex mortis, lex quæ littera ſua occidebat: quoniam volentes eam ex hac tantum parte obſervare, materiales hoc ipſo, & carnales fiebant, & cor lapideum, non carneum, non circumciſum habebant: ſervi, & perverſi, vel dum metu pœnarum, opera tantùm exteriùs, non interiùs faciebant, ac ſi lex, factorum, aut faciendorum, tantùm lex foret; vel dùm operabantur deſiderio, & expectatione bonorum temporalium promiſſorum, quæ ſibi tanquàm vltimo fini concupiebant, ac ſi ipſa lex, & vetus Teſtamentum hæc ſola futura promitterent, non autèm alia bona æterna, & ſpiritualia, ac maximè, & expreſsè Chriſtum.

100 Undè conſequentèr lex peccati erat, quia hæc partialis tantùm, & purè materialis obſervantia illius, tranſgreſsiò, & violatio eiuſdem erat quo ad excellentiorem ſui partem, ad quam, & ad eius ſublimem finem obligabantur, ſaltèm ex vi præceptorum moralium. Quarè, & manebant obnoxij morti, & damnationi, vt reſpectu quòrum

tum littera ipſa legis occidens erat. Non quia ipſa de ſe ad occiſionem, ad mortem, vel peccatum duceret, abſit: Cum potiùs ad vitam, & gratiam quam præfigurabat, vt pædagogus perduceret, ideòque lex ſancta, & mandatum iuſtum, bonumque erat: ſed qui, occaſione ex littera accepta, hanc eius partem ſolitariè obſervandam cenſebant, hoc ipſo, & culpa ſua, legem mortis, & peccati reddebant, quam vivificantem ſolus ſpiritus per eam figuratus facere poterat.

101 Hinc dicitur per eam data fuiſſe Iudæis præcepta non bona, ideſt, quæ accepta, & obſervata, vt præciſe eorum littera ſonabat, & non ſecundum quod ſignificabant, non erant bona, ſeu valentia facere hominem bonum, & iuſtum; hoc enim non à ſe, & ex littera, iuxta quam propriè dicuntur præcepta data, habebant: ſed ex præfigurato per ipſam Chriſto Authore gratiæ, in quo ſenſa non tam præcepta Iudæis data, quam *eloquia Dei illis credita*, dicuntur ab Apoſtolo: & à S. Auguſtino iuſta, & bona, crebrò appellantur mandata. Ad Rom. 3. 2.

102 Apoſtolus ipſe rem totam paucis explicuit, dicens: *Inventum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.* Ad quæ S. Chryſoſtomus. *Nam ſi mandati ſcopum inſpicere velis, ad vitam ducebat inquit, ac proptereà traditum eſt: quod ſi mors hinc evenit, eorum fuerit crimen qui mandatum acceperę, non mandati quod ad vitam ducit*: Ergo ſi in mandatis legis inveniſſent Iudæi ſcopum, finem, ſenſum ſpiritualem, ad eorum vitam mandata erant: ſed attendentibus tantùm ad præcepta data, vel vt in littera ſonant, hæc fuere illis ad mortem, non culpa mandatorum, ſed ſua. Ad Rom. 7. 10. Hom. 13.

103 Igitur qui ex illis legis, & præceptorum litteræ, & cortici ſempèr affixi, ſempèr adhærentes erant, reddebantur prorsùs impotentes ſervare legem, præceptaque iſtius erant eis impoſsibilia, quia nolentes exquirere ſcopum, & finem, mandatorum; nolentes præfigurata per legem intelligere; nolentes credere, & ſperare altiora futura per illam promiſſa, vndè tantummodò poterat eis venire auxilium ad ea bona, & iuſta præcepta, rectè, & iuſtè adimplenda, & ſine quo minimè poterant implere illa; hoc ipſo, & in eo ſtatu, erant eis impoſsibilia divina præcepta, quia ex vi ſolius litteræ legis, nullum prorsus auxilium eis ſuppeditabatur.

104 Non tamèn proptereà erant præcepta abſolutè impoſsibilia illis, ſed dumtaxàm ex ſuppoſitione; nec ſubindè erant eorundem tranſgreſsiones abſolutè neceſſariæ, ſed ſolummodò conſequentèr; & idcirco peccaminoſæ erant, & culpabiles; quoniam culpa ſua, & omninò voluntariè, ac liberè, carebant adiutorio, quod promptiſsimum haberent, ſi voluiſſent ad legis ſenſum ſpiritualem aſcendere, & ad Chriſtum Authorem gratiæ per eam promiſſum, credendum recurrere, cuius ope redderentur potentes proximè præcepta legis debita obſervatione implere, vt præveniente etiam gratia per ipſum iuvabantur vt eum quærerent.

105 Id quod fit manifeſtum ex contrario exemplo aliorum qui eadem præcepta obſervarunt, vt mox conſtabit. Et prætereà eſt expreſſum à S. Auguſtino ſæpiſsimè. Nam ad illud Pauli: *Non quæcumque vultis, illa faciatis,* ait: *Putant hic homines liberum arbitrium negare Apoſtolum nos habere. Neque intelligunt hoc eis dictum, ſi gratiam fidei ſuſceptam tenere volunt, per quam ſolam poſſunt ſpiritu ambulare, & concupiſcentias carnis non perficere. Si ergo nolunt eam tenere, non poterunt ea quæ volunt facere.* En vt non poterant, quia nolebant; non porrò quia in ea lege non poterant abſolutè, vt ait Queſnellius.

Ad Gal. 5 17.

Epiſ. ad cap. 5.

106. Rursùs ad illud eiuſdem Apoſtoli: *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio ex fide Ieſu-Chriſti daretur credentibus,* inquit S. Auguſtinus: *Ita Domine, ita fac miſericors Domine: Impera quod non poſſit impleri: imo impera quod non niſi per tuam gratiam poſſit impleri, vt cum homines per ſuas vires id adimplere nequiverint, omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus videatur: ſint omnes parvuli.* *Ad Gal. 3 22.* *In Pſal. 118.*

107 Videlicet, vt ipſemet Apoſtolus, vel vt David, qui facti ſunt ſua humilitate parvuli: & Auguſtinus communi amborum expoſitione, in vtroque adhibet exemplum dicens: *Hoc etiam iſte parvulus confitetur. Os meum inquit aperui, & attraxi ſpiritum quia mandata tua deſiderabam. Quid deſiderabat niſi facere mandata divina? Sed non erat undè faceret infirmus fortia, & parvulus magna. Aperuit os confitens quod per ſe ipſe non faceret, & attraxit undè faceret. Aperuit os petendo, quærendo, pulſando, & ſitiens hauſit ſpiritum bonum,* *Ibi.*

num, undè faceret quod per ſe ipſum non poterat, mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.

108 Non poterat equidèm res luculentius explicari, Quamvis enim Iudæi non haberent ex littera legis vires, ſpiritum, virtutem, ad obſervanda ritè eius præcepta, non propterea dicendi ſunt abſolute impotentes, qui poterant petendo, quærendo, pulſando, ad ſenſum ſpiritualem aſcendere, & ad Chriſtum in lege promiſſum, & per eam figuratum, fontem totius gratiæ recurrere; vnde ex illo ſibi attraherent ſpiritum, auxilium, opem, ad ea mandata ſancta, iuſta, bona, implenda. Quod qui non fecere, non legi, non Deo imperanti, ſed ſibi imputent, ſi legem conſequenter neceſſariò tranſgreſſi ſunt, quod culpa ſua ſe ad eam implendam impotentes reddiderunt. Quarè diſertè Auguſtinus cum dixiſſet: *Domine impera quod non poſſit impleri*, ne ſic videretur adſtruere præcepta abſolute impoſsibilia, quaſi corrigens ſe, ſubiungit continuò: *Imò impera quod non niſi per tuam gratiam poſſit impleri.*

109 Prætermitto innumera alia teſtimonia eiuſdem confirmantia hanc primam præiactæ propoſitionis noſtræ partem; plena enim ſunt omnia ſcripta illius ſimilibus ſententijs. Totus quæ liber *de Spiritu, & Littera*, è quo Anonymus ſui Queſnellij propoſitiones fulcire tentat, totuſque eius contextus, id ipſum maniſeſtiſsimis verbis perſonant, vt palàm fiet ex ijs quæ ſtatim adducam ad firmandam poſtremam partem noſtræ propoſitionis. Quod namquè lex vetus nullas præſtaret, aut præbere valeret vires ad ſua præcepta debitè implenda, ſecundum quod illa exterius ſonabat, ſeu ex parte litteræ, quæ eſt prior pars, ſat exiſtimo ex hactenus dictis exploratum manet.

110 Quod autèm eadem lex eas præberet ex parte ſui ſenſus interni, & ſpiritualis, ſeu ex vi præcipui figurati per ipſam; ad quod totum noſtrum, & rei præſentis negotium devolvitur, firmandum modò eſt tanquàm veriſsimum dogma, ex ſcriptura, & SS. PP. àtque præſertim Auguſtino, hauſtum. Nec iudico vllo modo opponi, ſed imò omnino componi, cum communi aliorum ſententia dicentium, Legem Moyſis, vetus teſtamentum, fœdus Iudaicum, nullas vires, nullam poteſtatem contuliſſe ad ſuorum præceptorum obſervantiam;

114 Ea autem primò colligitur apertè ex illo textu David, à S. Auguſtino ad rem ipſam adducto, & illuſtrato: *Mirabilia teſtimonia tua; ideo ſcrutata eſt ea anima mea. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam.* In his, ſuppoſito quod per teſtimonia Dei lex ab eo lata intelligitur, vt cunctis eſt notum, primum obſervatione S. Auguſtini, & noſtra, dignum eſt, quod in eis dicantur mirabilia teſtimonia, & præcepta Dei: cuius rationem reddit, quia, ſcilicet, & ſi bona fuerit lex à bono Deo, tametſi bona ſint præcepta, tamen illa vivificare non poſſunt. *Cur ergo*, inquit, *data eſt quæ vivificare non poſſet, & ex qua eſſet nulla iuſtitia? Nempè mirandum eſt, nempè ſtupendum.*

Pſ. 118. 129.

Auguſt. in Pſal. 118.

115 Modò audienda, & perpendenda ſequentia. *Hæc ſunt ergo mirabilia teſtimonia Dei, propter hoc huius anima ſcrutata eſt ea, quoniam deinde debilis non ei dici poſſit: fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Itaque poſt ſcrutationem ſenſus in lege veteri occulti, iam non erant ſuprà animam, vel fortiora viribus ſuis, divina præcepta. Non igitur Queſnellius dicere poteſt, quod adhuc debilis illa, aut infirma, impoſſibilia, aut fortiora ſe ſcrutata ſit. Utque ſciat, cur id Auguſtinus dicendum veret, audiat ipſum ſubiungentem.

116 *Potius itaque videamus huius anima quæ ſcrutata eſt, quid invenerit. Manifeſtatio, inquit, verborum tuorum illuminat, & intelligere facit parvulos.* Hoc eſt equidem quod invenit, nempe illuſtrationem ſui intellectus, per declaratum ſenſum littera velatum, per manifeſtatum Chriſtum qui illuminat omnem hominem, myſterijs illius legis præfiguratum, & ab ea promiſſum, vt per fidem illius quæ ad illuminationem ſequitur, acciperet gratiam, & vires, ad præcepta implenda, quas littera legis præbere non poterat.

117 *Noli ergo ſuperbire*, concludit S. Auguſtinus, *noli de tua quæ nulla eſt virtute præſumere, & intelliges, quare ſit à bono Deo, bona lex data, quæ tamen vivificare non poſſit. Ad hoc ergo data eſt.... vt te ad faciendam legem vires de tuo non habere, monſtraret: ac ſic inops, indigus, & egenus ad gratiam confugeres .... hoc ergo ſcrutando intellexit hic parvulus, quod minimus Apoſtolorum Paulus, ideſt parvulus, oſtendit, ideò de-*

datam legem quæ vivificare non poſſit, quia concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu-Chriſti daretur credentibus. Ita Domine impera quod non poſ-
N. 106. *ſit impleri, &c.* vt ſuprà.

118 Pulchra reverà expoſitio, quæ conformes in vna doctrina, & in eodem ſenſu, Davidem, & Paulum ſimul illuſtrat; & qua docemur, qualiter per legem veterem, & fœdus Judaicum, vt præfigurabant Chriſtum, & legem Evangelij, poterant homines, vi, & efficacia præfigurati, iuſtificari, & cuncta legis mandata adimplere, videlicèt non adhærentes tantum litteræ legis, quæ ſic occidit, ſed perſcrutantes ſenſum interiorem, & ſpiritualem illius, ex cuius ſcrutatione, & manifeſtatione, illuminati à Chriſto, & credentes in ipſum futurum, vt per eam legem promiſſum, gratiam, iuſtitiam, & vires ad obſervanda divina mandata accipiebant. Idque, & nihil prorsùs aliud affirmat propoſitio noſtra.

119 Atque hoc modo facti ſunt iuſti, potentes, forteſque in bello, qui ante Chriſti adventum exiſtentes laudantur ab Apoſtolo, qui proptereà ad legem novam dicuntur pertinere, quia eam ſubodorantes, & humili ſcrutatione in ſenſu ſpirituali eiuſdem Chriſtum promiſſum quærentes, invenientes, & credentes, gratia ipſius adiuti, attraxere exinde vires & ſpiritum quo carebant ad Dei præcepta obſervanda. Ita profectò David, de quo etiam Auguſtinus alibi: *Homo erat in veteri teſtamento, ſed non homo de veteri teſtamento,* In Expoſit. Ep. ad Galat.
accepit à Deo per fidem Chriſti poteſtatem adimplendi præceptum dilectionis proximi.

120 Hoc ſolum argumentum coaleſcens ex locis & exemplis vtriuſque teſtamenti à S. Auguſtino præclara expoſitione illuſtratis, vt luculentiſsimè confirmat propoſitionem noſtram, ſuf[illegible] poterat ad explodendam contrariam Queſnellij quæ impoſsibilia in fœdere Iudaico divina mandata ſtatuit, eo quod nulla auxilia per legem veterem poterant accipere ad illa obſervanda, qui ea lege tenebantur. Sed alio adhuc argumento ex veteri etiam teſtamento, & Inteprete Auguſtino, revincendus eſt Queſnellius.

121 Cum namque Deus per Moyſem fœdus cum populo iniret, eiſque intimaret præceptum maximum ſuæ dilectionis, & totius legis compendium, promiſsis præmijs, & intentatis minis, vt ab omnibus

bus per ſpem ſaltem, & timorem adimpleretur, hæc adiecit. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſuprà te eſt, neque procul poſitum*: non enim opus eſt vel Cœlum aſcendere, vel tranſfretare mare, vt poſsis *audire, & facere, quod præceptum eſt, ſed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum: conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum; vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viijs eius, & cuſtodias mandata illius, ac ceremonias, atque iudicia, & viuas.* Deuter. 30. 11. & ſeq.

122 Erat itaquè præceptum illud totius legis compendium, poteſtaſque ad illud audiendam (quod tamen antea iam exterius, & littera ſonante, auditum erat) atque ad illud exequendum, non longè ab illis erat, non autem in eis, ſed iuxta illos: nec etiam ſolummodò audientes, & ore tantum repetentes ſermonem, ſed conſiderantes, & corde illum, atque promiſſa præmia, & intentata ſupplicia intelligentes. Hoc enim modo, ſiue hac ratione, prædictum mandatum non erat ſuprà illos, ſeu non erat ipſis impoſsibile,

123 S. Auguſtinus cum primò adducat verba alia quæ in eodem capite Deuteronomij præcedunt allegata, & quibus dicitur: *Circumcidit Dominus Deum tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum*; Ibi. v. 6. incipiens ab his ſuam expoſitionem, inquit: *Euidens pollicitatio gratiæ: promittit enim Deus ſe eſſe facturum, quod ſolet iubere vt fiat.* Lib. 5. qq. ſup. Deuter. Atque ſtatim exponens illud, *mandatum hoc non eſt ſuprà te, ſed iuxta te eſt ſermo*, ait: *Prope eſt verbum hoc .... Hoc eſſe verbum fidei, dicit Apoſtolus, quod ad nouum pertinet teſtamentum.* Quod rursùs confirmat quorundam dubiorum ſolutione; dicens: *Sed quæri poteſt, cur ea ſuperiùs mandata dixerit quæ ſcripta ſunt in libro legis huius: niſi quia his omnibus ſpiritualia ſignificantur ad nouum teſtamentum pertinentia, ſi benè intelligantur.*

124 Oportet itaque ad ſenſum litterali ſubliniorem legis veteris recurrere, ac benè intelligere ſpiritualia quæ per eam ſignificantur, & ad nouum Teſtamentum pertinent, vt videlicèt mandata non ſint ſupra vires, & impoſsibilia; nec ſit longè, ſed propè, poteſtas ad illa. Et quia

omnium præfiguratorum per legem, maximus, & præcipuus eſt Chriſtus, ſubiungit S. Auguſtinus. *Iterum quæri poteſt, cur quod hic poſitum eſt: Neque transmare eſt, vt dicas, quis transfretabit nobis transmare, & accipiet nobis illud, Apoſtolus dixerit: Quis deſcendet in abyſſum, atque id exponens adiunxerit: Hoc eſt Chriſtum à mortuis reducere.*

125 Utque iſta penitiùs percipiantur, & ſimul totus ſenſus, veritas, & efficacia noſtri argumenti dilucidè appareant, audiendus eſt Apoſtolus allegatus ab Auguſtino, qui & textum iſtum Deuteronomij ſic exponit. *Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſtitiam quæ in lege eſt qui fecerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in Cœlum? Id eſt Chriſtum deducere: aut quis deſcendit in abyſſum? Hoc eſt Chriſtum à mortuis revocare. Sed quid dicit ſcriptura? Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Ad Rom. 10.

126 Aut igitur temerè dicendum deceptos Paulum, & Auguſtinum exponentes prædictum textum Deuteronomij; aut fatendum, quod per legem ipſam veterem, ſecundum ſenſum ſpiritualem eiuſdem, ſeu, quod idem eſt, per ea quæ præfigurabat, & maximè per Chriſtum futurum, habebant Iſraelitæ in eum credentes, omnimodam poteſtatem, vireſque ſufficientes ad præcepta legis implenda: & conſequenter quod eis quærentibus, intelligentibus, & credentibus finem legis Chriſtum, ſenſum ſpiritualem mandatorum, iuſtitiam in eis occultam, gratiam ibi velatam, non erant præcepta impoſsibilia, vt quæ non erant ſuprà, ſed propè, ſed iuxta ipſos, qui non egebant trahere, vel revocare Chriſtum in mundum, ſed ſat erat corde credere in ipſum promiſſum & futurum, vt per ipſius gratiam omnia quæ nos poſſumus facere, poſſent.

127 Hoc ipſum poterat non minori evidentia demonſtrari innumeris alijs teſtimonijs Apoſtoli in eadem Epiſtola, & in alijs ad Corinthios, ad Galatas, ad Hebræos adiunctis expoſitionibus SS. PP.

PP. & aliorum Interpretum, in queis Doctor Gentium plura legis, & teſtamenti veteris loca illuſtrat, vt Chriſtum ibi ſemper adumbratum oſtendat vnicum totius gratiæ, iuſtitiæ, & ſalutis in vtraque lege fontem, nam: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Et, *Exemplari, & vmbra deſeruiunt cæleſtium.* Verùm ſat modò ſint adducta, & reliqua ita generatim adnotata, quorum nonnulla poſtea forsàm ſiggillatim expendam.

1. ad Cor. 9.

Ad Heb. 8.

128 Nequeo tamen præterire quod cum Paulus dixerit, legem veterem habentem vmbram futurorum, non poſſe perfectos facere, quamvis indeſinenter offerre hoſtias, & ſacrificia iubeat; addit vlterius, exinde colligi ea opera apparere invalida ad auferenda peccata: *Impoſſibile enim eſt*, inquit, *ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.* Nullanè erat in ea lege hoſtia cuius virtute non fuerit impoſſibile auferri peccata? Nulla prorſus erat ex his quæ ex præſcripto litteræ legis immolabantur, quamvis quotannis, & indeſinentèr offerentur. At erat porrò hoſtia vna ad eum effectum potentiſsima, per eas victimas ſignificata, per ipſum vetus teſtamentum prænunciata, quæ antequam veniret ad aras, dùm adhuc futura erat, dùm adhuc veniebat, fecit hominibus poſsibile, quod per alias hoſtias impoſſile erat.

Ad Heb. 10.

129 Audi Apoſtolum exponentem Davidem. *Quia hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi. Ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam. Aufert primum, vt ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Ieſu Chriſti ſemel.* Per illa itaque legis ſacrificia nemo mundus à peccato, nemo perfectus reddebatur, quia impoſsibiles erant huiuſmodi effectus per illa, quæ & ſi typi, ac figuræ forent Chriſti, erant tamen vmbræ in ſua littera inanes. Per Chriſtum autem ibi latentem, & venientem ſacrificari ſemel pro omnibus, vt David prænunciavit, mundi & perfecti facti ſunt qui in ipſum crediderunt; ſecus vero non credentes, ſcilicet quia noluerunt, non quia non potuere. Ita Chryſoſtomus. Pſal. 39

Hom. 19.

130 Hic rememoranda venit celebris illa diviſio allata à S. Auguſtino, & de qua ſuprà, eorum nimirum qui ſunt ſub lege, nempè Iudæi carnales, quia littera legis Hom. 17.

tantum adhærentes, & fidentes, opera eius manu, & non corde faciebant: & aliorum, qui non ſub lege, ſed in lege erant, quos appellat ſpirituales Judæos, quia non ad litteram, ſed ad ſpiritum legis attendentes, credentes, & fideles erant, vt ſunt Chriſtiani: ac tandem Gentilium, qui ſunt ſine lege, quia non dum crediderunt.

131 David fuit ſpiritualis Judæus, & homo in veteri teſtamento; in lege, ſed non ſub lege, qua ſenſu non materiali, ſed ſpirituali iſtius ductus, & fide non victimarum quas littera immolari iubebat; ſed vnius hoſtiæ pro omnibus offerendæ, quam lex ipſa, & ſacrificia præfigurabant, gratiam per Chriſtum accepit, & qua iuſtus fieret, & qua redderetur potens adimplere perfecte cuncta legis precepta. Similiterque ſe habuerunt reliqui iuſti quos Apoſtolus recenſet oportuniſsimè, nimirum, in capite immediatè ſequenti prædictam expoſitionem textus Davidis. *Ad Heb. 11.*

132 Cum itaque hæc doctrina veriſsima, & omnium acceptione digna ſit, vt potè expreſsè firmata teſtimonijs Apoſtoli, & ſententijs PP. liquidò apparet quam ex adverſo falſa, & temeraria ſit, quam Queſnellius ſuis de hac re propoſitionibus ſtabilire ſatagit, nec minori evidentia liquet, iniuſtiſsimam eſſe illarum ab Anonymo adornatam defenſionem, quam, non ſine iniuria S. Auguſtini, verbis ipſius ſuffulcire tentat.

133 Locus namque illius ex libro de *Spiritu, & Littera*, tam longè abeſt à ſenſu Queſnellij, quam omnino adhæret, & cohæret ſenſui teſtimoniorum Apoſtoli quæ hactenùs adduximus. Solus etiam ipſe libri titulus (nam de propoſito, & contextu, ſuprà dictum eſt) id palàm demonſtrat, cum aperte diſtinguat in lege ſpiritum, & litteram; litteram quæ occidit, ſpiritum qui vivificat; litteram quæ invalidam ad eius opera voluntatem relinquit, ſpiritum qui vires ad totius legis obſervantiam præſtat. Dumque Queſnellius & eius defenſores volunt, quod Auguſtinus in eo libro damnaverit fœdus Judaicum & totam veterem legem, tamquam ex omni parte ſui occidentem, & invalidam ad iuvandum voluntatem ad ſui implementum, oportet ex ſententia illius fidem negare Paulo tot loca veteris teſtamenti exponenti, quin & totum caput XI. ſuæ Epiſtolæ ad Hebræos litturare. *Num. 16*

134 Item oportet aſſerere Auguſtinum in eo ipſo libro

bro ſic turpitèr erraſſe, vel ſui immemorem fuiſſe, quod contraria Queſnellio, & nobis apertè faventia etiam ſtatuerit. Loquens enim de obſervatione exteriori legis, de qua, & de circunciſione, Iudæi gloriabantur, hos increpans, inquit. *Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne eſt circunciſio, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circunciſione cordis, ſpiritu, non littera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* (*De Spir. & litt. cap. 8.*)

135 Rursùs de illis qui ſic ob legem acceptam gloriabantur, dicentes: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtavit eis*, inquit: *Dei legem ſua iuſtitia ſe arbitrabantur implere, cum magis eius prævaricatores eſſent .... Quia, & quicumque faciebant quod lex iubebat, non adiuvante ſpiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore iuſtitiæ, ac per hoc coram Deo, non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere .... Circunciſionem autem cordis dicit puram ſcilicet, ab omni illicita concupiſcentia voluntatem, quod non fit littera docente, & minante, ſed ſpiritu adiuvante, atque ſanante.* (*Ib.*) Hæc ad ſuperius dicta de timore etiam aptiſsima, ſat inſuper evincunt, quod quamvis legis littera occidat, ſpiritus tamen legis, ſeu præfiguratum per illam vivificat, & adiuvat.

136 Quod, quomedio, & quomodò fiat, ſequentibus docet. *Quandoquidem per legem oſtendit homini infirmitatem ſuam, ut ad eius miſericordiam per fidem confugiens, ſanetur .... Iuſtitia ergo per fidem Ieſu Chriſti in omnes qui credunt. Non enim eſt diſtinctio.* (*Ibid. cap. 9.*) Nullum ergo in hoc eſt diſcrimen Iudæi, à Chriſtiano: ergo æquo modo, & per idem medium, ſunt poſſibilia Iudæo, & Chriſtiano divina præcepta, cum videlicet vterque credit, *nullo modo poſſe ſua infirmitati ad implenda ea quæ lex facienda iuberet, niſi divina gratia ſubveniri*, nempe per fidem Chriſti futuri Iudæo, Chriſtiano præſentis.

137 Utque fides iſta vna fuit ſemper, & inquacumque lege, vna eſt, & vna erit, ſcilicet, mediatoris Ieſu-Chriſti. vnum ſimilitèr, & eundem effectum gratiæ, ſivè iuſtificantis, ſive adiuvantis, habet in Gentili, in Iudæo, & in Chriſtiano, quod Apoſtolus docuit docens. *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primum* (*Ad Rom. 1. 16.*)

&

& Græco: Iuſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem. Ad quæ S. Auguſtinus, *Hæc eſt iuſtitia Dei quæ in teſtamento veteri velata, in novo revelatur .... Et hæc eſt fides ex qua, & in qua revelatur, ex fide ſcilicet, annunciantium, in fidem obedientium; qua fide Ieſu-Chriſti, id eſt, quam nobis contulit Chriſtus, credimus ex Deo nobis eſſe, pleniuſque futurum eſſe, quod iuſtè vivimus.* *Vbi ſup.*

138 Errat itaque manifeſtè Queſnellius, & contra Apoſtolum, & Auguſtinum errat, dum præfixa propoſitione affirmat, Deum in fœdere Judaico reliquiſſe homines in ſua impotentia, non conferendo illis gratiam, qua poſſent à peccato fugere, & legem adimplere, quod ab illis Deus exigebat: cum è contra, in fœdere Chriſtiano nobis det hoc ipſum quod iubet, auxilia & gratiam nobis impertiendo ad eius legem obſervandam.

139 Quæ propoſitio in eo quod attinet ad legem veterem (nam de gratia in nova collata, alibi) manifeſti erroris convincitur teſtimonio Pauli, adiuncta expoſitione Auguſtini. Etenim vt illa quovis modo, aut ſenſu, ſubſiſtat, opus eſt aſſerere primò, quod nemo in fœdere Judaico poterat credere in Chriſtum promiſſum, & præfiguratum per legem, vel quod nemini ita credenti aderat virtus omnipotentiſsima Dei ad ſalutem, quod eſt contra Paulum. Secundò, neceſſum eſt cenſere, quod in veteri teſtamento non erat iuſtitia Dei, quamvis velata; nec quod homines ſub illo potuerunt cognoſcere Chriſtum futurum, nec credere quod ex eius fide, & per gratiam à Deo per ipſum donata, poterant iuſte vivere, quod Auguſtino apertè repugnat.

140 Si namque contraria dogmata ab vtroque Doctore gratiæ ſtabilita, vera, & firma, vt par eſt, habeantur, illis planè refutatur, vt erroris plena propoſitio Queſnellij, quoniam Deo exigente per fœdus, & legem impoſitam Iudæis, fugam à peccato, & integram adimpletionem illius, quæ neceſſario includit fidem, & ſpem Chriſti promiſſi, iuſtitiæ, & gratiæ per ipſum, & in illo iiſdem aſsiſtentiam virtutis divinæ, vt iuſtè viverent; nullo ſenſu, niſi prorſùs erroneo, & blaſphemo, dici poteſt, quod Deus reliquit in ſua impotentia homines, quibus tot, & tanta media, vt legem obſervarent, diſpoſuit, præparavit, contulit.

To-

141 Totus autem error Queſnelli, & ſuorum ſequacium, vt ſemel, & ſimul cum ſuis abſurdis ſequelis detegatur, in eo ſtat, quod confundentes litteram, & ſpiritum legis, atque nomine, aut voce legis (quo crebrò Apoſtolus, & PP. vtuntur ad litteram ſolam deſignandam) ſignificantes integram legem, ſine vlla diſtinctione litteræ, & ſpiritus; figuræ, & figurati; indè abſolute pronunciant legem infirmum, invalidam, & non niſi ad prævaricationes, peccata, & mortem, fructuoſam eſſe, facientemque homines, vel saltèm relinquentem illos impotentes ad eius obſervantiam.

142 Hæc autèm quamvis de littera legis nudè ſumpta, & ſecundum quod extrinſecùs ſonabat, verè dici poſſint, eo aliàs ſenſu quo ab Apoſtolo dicuntur, & a PP. & Interpretibus explicantur; falſiſsima prorsùs ſunt, ſi de lege vt præfigurante Chriſtum, eius fidem, Evangelium, gratiam, dicantur. Cumque hæc ratio figurativa ſit principalis pars illius, & maximè intenta à Legislatore, quamvis prior ſit littera ſonans, eo nempè modo quo cum prius ſit quod animale eſt, tamen potiſsimum eſt, & principaliſsimum quod ſpirituale eſt; proptereà falsò, ac temerè totam legem, ſive abſolutè, hæretici, & Janſeniſtæ, prædictis notis imbecillitatis damnant.

143 Et quidem quod lex illa tota figurativa, & prophetica Chriſti fuerit, certiſsimum dogma eſt, ab ipſo Chriſto aſſertum eis verbis: *Oportebat impleri quæ in lege, Pſalmis, & Prophetis ſcripta ſunt de me.* Et ad legem Moyſis Phariſeos remittens, inquit: *Nam de me ille ſcripſit.* Eſtque Patrum de hoc conſenſio, quorum aliqui expenſis ſingularibus teſtimonijs illud demonſtrant, vt iam notavimus. Ulterius, hæc pars figurativa legis quam Apoſtolus multis locis deſignat, & ſpiritualem appellat, eſt de qua Chriſtus ait: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*, qui alioqui legem quo ad litteram abolevit; & hanc legis partem occidentem, occidit, qui morte ſua, mortis mors fuit.

Lucæ ult.

Ioann. 5.

Num. 21. Ad Rom. 1. 14. Ad Gal. 4. 1. Ad Hebr. 9.

Math. 5.

144 Hæc itaquè pars principaliſsima legis, fuit maximè intenta à Deo, vt finis omnium, quia: *Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* Ad quem finem proportionari debebant fines proximi inſtitutionis populi, & ſingulorum præceptorum, materiaque, & effectus illorum, quæ non haberent vllam pro-

Ad Rom. 10.

proportionem, aut convenientiam, ſi tota lex, & ex omni parte ſua, in ſola littera ſtaret.
N. 48. Idcircò ſupra explicantes legem quo ad fines, materiam ſuam, & effectus, illi attribuimus cum Apoſtolo, & SS. PP. non ſolum fines extrinſecos, ſed intrinſecos, bonos, honeſtos, nec tantùm temporales, ſed ſpirituales, & ſupernaturales: nec ſolum actus externos, ſed internos, nec ſolum modo premia, & ſupplicia temporalia, ſed & eterna. Neque enim aliter utilis foret ea præcipua pars figurativa legis, in qua omnia erant. *Umbra futurorum, corpus autèm Christi*, ut aiebat Paulus; & *His de cauſis lex ſcripta introducta eſt, ad Chriſtum nos colligens*, inquit Nacianceneus.
Ad Coloſ. 2. 17.
Orat. 41.

145 Unde manifeſte liquet, quod qui ex Iudæis legem duntaxat factorum, legem tantum quo ad litteram, & externa opera, ſervabant, nequaquam legem adimplebant, quin inſulſe nimis ſe de legis obſervantia ob ea ſola ſa ti gloriari poterant. *Nam ſi forinſecus*, inquit S. Auguſtinus, *ea quæ Deus iubet manibus fiant, & in corde non fiant, nemo eſt tam inſulſus qui præcepta arbitretur impleri.* Ex quo evidentèr colligitur, quod in lege erat alia pars intrinſeca, & ſpiritualis, pratèr litteralem, & extrinſecam, cuius adimpletio per actus non externos, & materiales, ſed per internos, & ſpirituales, verè obſervantes faciebat.
Lib. 5. q. 49. ſup. Deuter.

146 Cumque omnes tenerentur legem obſervare, conſequenter tenebantur exquirere ſenſum ſpiritualem legis, cognoſcere, credere, & ſperare Chriſtum venturum; qui cum & Gentilium expectatio fuerit, multo magis à Iudæis expectandus erat, ut quem habebant multis, & apertis oraculis prænunciatum, quin & expreſſis revelationibus promiſſum, etiam Patribus ſua lege antiquioribus, ut Abrahamo, & poſtea Moyſi, Davidi, Hieremiæ, ac reliquis Prophetis.

147 De quo fit perſpicuum eſt illud, quod S. Stephanus in Concilio ſeniorum, & populi, prædicavit de Moyſe: *Hic eſt Moyſes*, inquit, *qui dixit filiis Iſrael, Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tamquam me, ipſum audite*, quæ habentur in Deuteronomio. Et quod hæc fuerit expreſſa anunciatio Chriſti, patet ex illo apud Ioannem: *Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus Ieſum filium Joſeph à Nazareth.*
Act. 7. 37.
Cap. 18. 15.
Cap. 1. 45.

Erat,

Erat itaque Chriſtus, & Moyſi revelatus, & à Moyſe in ipſa lege toti populo annuntiatus.

148 Utque infinita penè oracula Davidis, Iſaiæ, & aliorum Prophetarum prętercam, vnum Ieremiæ ab Apoſtolo, & ad rem noſtram, commendatum, non omittam, quia etiam ab Anonymo pro ſuo Queſnellio adductum, & eſt huiuſmodi. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus meum. Non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum.... Pactum quod irritum fecerunt .... Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos dicit Dominus: Dabo legem in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo, vſquè ad maximum, ait Dominus.*

Ad Heb. 8. 8.

Hier. 31. 31.

149 In his, exclamat Anonymus, patens eſt diſcrimen fœderis Iudaici, a fœdere Chriſtiano, ſitum in eo, quod lex antiqua ſcripta fuit in tabulis lapideis, lex autem nova ſcribenda erat in viſceribus, & cordibus: propereàque primum pactum factum eſt irritum, quia opere tantum Iudæi legem quæ purè factorum erat, ſervabant, & minimè adiuti per eam, ſed ſuæ impotētiæ relicti, nonpoterant corde, & animo illam adimplere. Sed nequaquàm hoc eſt quod Ieremias apertè vaticinatur, ſed novum Teſtamentum, & eius Authorem Chriſtum futurum, ait S. Auguſtinus: *Quod Prophetæ in ſpiritu providentes iſta dixerunt, ſed apertiùs Ieremias .... Nempè manifeſtum ita hoc propheticè pronunciari, ſicut ipſum Teſtamentum novum quod prius occultum fuit, & per Chriſtum poſteà revelatum eſt.*

Lib. 4. Cont. Iulian. 334

150 Verùm quoniam idem S. Doctor hanc Ieremiæ prophetiam luculentèr exponit in eo libro, & loco; vndè Anonymus ſui Queſnellij defenſionem cupit eruere; non abs re erit totam S. Auguſtini expoſitionem percurrere, vt qua palàm confirmat omnia hæc nùs à nobis dicta, & Queſnellianam propoſitionem confutat. Cum itaque præmittat doctrinam fide Chriſtianorum dignam, eam eſſe quæ ſtatuit neminem poſſe fieri iuſtum, vel per ſe ipſum, vel ſola gratia extrinſeca Dei, *quia legem dedit, quia doctrinam inſtituit, quia*

De Spir. & Litt. cap. 19.

bona præcepta mandavit: huius ſtatim rationem reddens, inquit. *Illa enim ſine adiuvante ſpiritu proculdubio eſt littera occidens: cum verò adeſt vivificans ſpiritus, hoc ipſum intus conſcriptum facit diligi, quod foris ſcriptum lex faciebat timere.*

151 Habes itaque in lege litteram occidentem, & ſpiritum adiuvantem, & vivificantem; iſtum intùs conſcriptum, & facientem interiorem actum, illam foris ſonantem, & cogentem manum ad opus tantum externum. Idque magis adhùc explicans, ſubiungit: *Inſpice in hoc paululum, & in eo teſtamento quod per Prophetam de hac re præclariſsimè dictum eſt: Ecce dies veniunt, &c.* Atque adducto integro teſtimonio, illud tanquam ſingulare his commendat. *Nempè in veteribus libris, aut nuſquam, aut difficilè præter hunc propheticum locum legitur facta commemoratio teſtamenti novi, vt omninò ipſo nomine appellaretur. Nam multis locis hoc ſignificatur, & pronunciatur futurum, ſed non ita, vt etiam nomen legatur expreſſum.*

152 Erat igitur Iudæis non ſolum multis veteris teſtamenti locis, novum ſignificatum, & pronunciatum, ſed & hic proprio nomine expreſſum, atque lex gratiæ per Chriſtum promiſſa erat per revelationem Dei, quam tenebantur credere, & firmiter ſperare, ſicuti alias promiſsiones, vt ſuæ legis obſervantes eſſent. Quo præſuppoſito, illicò Auguſtinus hortatur nos, vt conſideremus differentiam vtriuſque legis, & teſtamenti, quam non ipſe, ſed Deus ſua revelatione teſtatur. *Conſidera igitur diligentèr quam differentiam inter duo teſtamenta, id eſt, vetus, & novum* (Deus) *eſſe teſtatus ſit.*

153 Ea porrò non eſt quam Queſnellius ſomniat, & propugnat Anonymus, ſed potius omninò adverſa diſcrimini quod aſſignant, ſeù nolentes Deo illud revelanti, & Auguſtino exponenti fidem præſtare, ſeù non valentes diſcrimen veriſsimum, vt à Deo teſtificatum, diligentèr conſiderare. Quod evidentèr conſtabit, ſi deſignata differentia quam Deus ſtatuit, & Auguſtinus aſſignat, fiat manifeſtum, quod nec lex vetus erat abſolutè, & ex omni ſua parte, invalida, & imbecillis ad iuvandos homines ad integram ſui obſervantiam: & quod neque iſti relinquebantur per eam impotentes ad ſui impletionem.

154. Differentia itaquè à Deo

Deo ſtatuta ſtat, iuxta Auguſtinum, primò verbis i lis: *Quia ipſi nō perſeveraverunt in teſtamento meo, vitio eorum deputat quod in teſtamento Dei non perſeveraverunt, ne lex quam tunc acceperunt, culpanda videatur. Ipſa eſt enim quam non venit Chriſtus ſolvere, ſed implere.* At per ſe manifeſtum eſt, quod lex quam Chriſtus non venit ſolvere, ſed implere, non erat ea, quæ in littera tantum ſonabat, hanc enim diſſolvit, abrogavit; ſed erat ea, quæ per litteram ſpiritualiter præfigurabatur, quam adventu, & paſsione ſua re ipſa implevit, teſtamentum non irritum, ſed confirmatum, ad evacuandam promiſsionem Chriſti, vt inquit Apoſtolus: Ergo hæc erat in qua prævaricatores Iudæi noluerunt perſeverare. Cum itaque vitio eorum deputandum ſit, quod non perſeverarunt, nec de hoc culpanda adhuc in apparientia ſit lex, evidentèr liquet, quod non adimpleverunt legem, non quia non potuerunt, ſed quia liberi noluerunt: non quia lex imbecillis erat ad eos iuvandos vt poſſent, ex ea parte qua Chriſtum prænunciabat; ſed quia nolentes revelationem promiſſoriam de eo credere, & ad eum per fidem recurrere, redditi ſunt, hoc ipſo, non à lege, ſed à ſe, & culpabilitèr impotentes.

Ibid.

Ad Gal. 3 17.

155 Ad hanc namquè impotentiam tollendam, non invalidam, ſed vtilem legem, ex ea parte qua veluti gravida novi teſtamenti erat, præfigurans illud, & prænuntians Chriſtum, docet ſtatim S. Auguſtinus, ex Apoſtolo dicente: *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio ex fide daretur credentibus. Priùs autem quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem quæ revelanda erat.* Ad quæ Auguſtinus: *Ipſius concluſionis vtilitas dicta eſt .... Lex ergo data eſt, vt gratia quæreretur. Gratia data eſt vt lex impleretur.* Atque id vlterius confirmans, ex Paulo addit. *Quod enim impoſsibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, miſit Deus filium ſuum .... Vt iuſtitia legis impleretur in nobis.*

Ad Gal. 3. 22.

Ibid.

Ad Rom. 8. 3.

156 Fides itaque Chriſti promiſsi, & venturi, & gratia eius, concludebantur, occultabantur in lege veteri, ex qua occultatione lex non invalida, ſed vtilis evadebat, vt quærentes in ſenſu illius figurativo, & ſpirituali Chriſtum promiſſum, eius gratia daretur credentibus, qua legem implerent: nam hæc impletio

(quæ impoſsibilis erat adhærentibus legi, ſecundum id tantum quod littera ipſius ſonabat, qui propterea carnalitèr ſe gerentes infirmam reddebant legem ex alia ſui parte validiſsima) fiebat poſsibilis per gratiam Chriſti credentibus in ipſum, & quærentibus illam in eademmet lege concluſam.

157 Hęc S. Auguſtinus: qui præoccupans, vel Queſnellij, vel cuiuſcumque alterius Novatoris deliramentum de differentia vtriuſque teſtamenti ex hoc loco Ieremiæ, inquit: *Unde igitur illud vetus, hoc novum, cum lex eadem impleatur per teſtamentum novum, quæ dixit in veteri non concupiſces? Quia ipſi, inquit non perſeveraverunt in teſtamento novo, & ego neglexi eos.* Sed hinc argumentum. Deus non dixit apud Ieremiam, quod Iudæi non perſeveraverunt in teſtamento novo, ſed in illo veteri quod cum eis pepigit, quod irritum illi fecerunt; neque tunc promulgatum erat novum teſtamentum in quo potuiſſent perſeverare. Quomodo ergo, inquies, ſtare poteſt hæc expoſitio, & doctrina Auguſtini?

Ibid. cap. 20.

158 Optimè proculdubio, ſi quæ ipſe reſpondet, perpendas. *Ergo*, inquit, *proptèr veteris hominis noxam quæ per litteram iubentem, & minantem minimè ſanabatur, dicitur illud teſtamentum vetus: hoc autem novum proptèr novitatem ſpiritus quæ hominem novum ſanat a vitio vetuſtatis.* Igitur veteres illi Iudæi teſtamentum novum habebant, nondùm promulgatum, ſed præfiguratum in veteri, & expreſse apud Ieremiam promiſſum, in quo perſeverare potuerunt, ac debuerunt; & ex quo ſibi gratiam hauriri valebant, ne irritum pactum Dei facerent. Unde qui ſecùs fecere, ſua culpa, non impotentia, prævaricatores fuere, quia imbecillitas ex originali noxa contracta inſanabilis per nudam litteram legis, ſanabilis erat per Chriſtum prænunciatum per legem, ac ſanaretur, ſi perſeverantes in teſtamento novo promiſſo, crederent in ipſum.

159 Quod apertè docuit Apoſtolus dicens, litteram veteris teſtamenti velamen eſſe novi, quod Iudæi revelare debebant, non intendentes in ſolam litteram quæ occidit, & ſcripta eſt in tabulis lapideis, ſed tendentes ad ſpiritum ibi concluſum, ad Chriſtum prænunciatum, cuius futura erat lex in cordibus ſcribenda. Verùm quia

hoc

hoc non fecere Iudæi, ſed litteræ tantum adhærebant, vt quondam filij Iſrael, non in faciem Moyſis, ſed in velamen ſuperpoſitum intendebant, inquit: *Obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum enim diem id ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum (quoniam in Chriſto evacuatur) ſed uſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* 2. Ad Cor. 3. 14.

160 Cum S. Auguſtinus textum iſtum ibi, nec ſemel, exponendum aſſumat, ac primo dicat iuſtitiam, ſeu gratiam Dei per Chriſtum fuiſſe in veteri teſtamento velatam, in novo revelatam; & quod Iudæi poterant, & tenebantur ex lege ſua (vti etiam Gentiles ex operibus viſibilibus) cognoſcere, & glorificare Deum, atque in ipſum credere, addit: *Non in eo nos divinitus adiuvari ad operandam iuſtitiam, quia Legem Deus dedit plenam bonis, ſanctiſque præceptis; ſed quia ipſa voluntas noſtra ſine qua operari bonum non poſſumus, adiuvatur, & erigatur impartito ſpiritu gratiæ, ſine quo adiutorio doctrina illa littera eſt occidens.* De Spir. & Litt. cap. [illegible] & [illegible]

161 Rursùs, eundem textum componens cum laudata prophetia Ieremiæ, inquit: *Iſtam intuebatur Apoſtolus prophetiam, cum diceret: Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus, quoniam hic dictum eſt: In cordibus eorum ſcribam eas: ubi nominatim promiſſum eſt teſtamentum novum ... Nunc ipſius boni operis promittitur, mentis bonum, ſpiritus bonum, hic eſt intelligibile bonum, cum dicitur: Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas. Unde ſignificavit eos non foriſecus terrentem legem formidaturos, ſed intrinſecus habitantem ipſam legis iuſtitiam dilecturos.* Ibi, cap. 20. Profecto, aut incongruentem Ieremiæ, & Paulo expoſitionem cogitavit Auguſtinus, aut eo interprete, & idem ſentiente, haberi debet tanquam veriſſimum dogma, quod lex vetus tametſi ex parte litteræ occidens, eſſet invalida, & relinquens ſubditos impotentes; ex parte tamen ſui ſenſus ſpiritualis, & maximè Chriſti per illam adumbrati, per quem intrinſecus habitantem iuſtitiam diligendam continebat, potens illa erat, valida, & potentes ad ſui obſervantiam ſubditos ſuos faciebat.

Sed

162 Sed adhùc immorandum eſt in prophetia Ieremiæ, & expoſitione Auguſtini, vt ampliùs perveſtigemus effectum principalitèr per eam promiſſum, & in eo vtriuſque teſtamenti diſcrimen. Effectus itaque per illam cum novo teſtamento promiſſus, videtur deſignari illis verbis: *Et non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens: cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum.* [Ier. 31.] Quorum ſenſus viſus eſt dificilis Interpretibus dubitãtibus de qua Dei cognitione ibi ſit ſermo? Communiter allegatur S. Auguſtinus cenſens, in laudato opere, [De Spir. & Litt. cap. 21.] ſermonem eſſe de cognitione, aut viſione beatifica, ad quod adducit illud: *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum.* [Ioan. 17. 3.]

163 Quamvis autèm ibi loquatur de cognitione Dei complenda in patria, non tamen dicit hanc ſolam per Ieremiam promiſſam fuiſſe, ſed imo affirmat futuram etiam cognitionem Dei in via, ſine dependentia à doctrina, & inſtitutione per alterum, qualis habebatur in veteri teſtamento: quod manifeſte liquet, tum ex eo quia ibi proponit, reſolvitque, alium eiuſdem ſenſus difficultatem conſiſtentem in eo, quod etiam in novo teſtamẽto homines egẽt Doctore legis, & Prædicatore Evangelij ad cognoſcendum Deum, & credendum in Chriſtum, [Cap. 24.] vt docet Apoſtolus; quod non de Beatis, ſed de Viatoribus dici poteſt. [Ad Rom. 10. 14.]

164 Tùm quia, & id docet expreſsis verbis dicens, *Conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe teſtamento novo etiam per Prophetam. Eandemque gratiam in eo definitam, vt ſcribantur leges Dei in cordibus hominum perveniantque ad eam cognitionem Dei, vbi non docebit vnuſquiſque civem ſuum, vel fratrem ſuum dicens: Cognoſce Deum, quia omnes cognoſcent eum à minore vſque ad maiorem eorum. Hoc donum Spiritus Sancti eſt, quod diffundit charitas in cordibus noſtris. Charitas non quæcunque, ſed charitas Dei de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, ex qua iuſtus in hac peregrinatione viuens ad ſpeciem quoque perducitur poſt ſpeculum, & ænigmata.* [Ibi. cap. 28.]

165 Ex tam præclara Auguſtini expoſitione habetur, quod non cenſuerit Prophetam tantum loqui de cognitione Dei, & Chriſti, in Patria, ſed etiam in via, hic inchoanda per fidem, ibi viſione

næ complenda. Simulque conſtat hanc eſſe differentiam vtriuſque legis per Prophetam inſinuatam, quod lex vetus, vt ſcripta in lapidibus ſecundum quod littera extrinſecùs ſonabat, non poterat per ſe ducere Iudæos ad cognitionem Dei, & fidem Chriſti, ac novi teſtamenti, indigebantque vltrà edoceri ab alijs, qui eis aperirent Myſteria, & ſenſus ſpirituales ſub littera latentes. qualiter ipſe Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam edocuit duos Diſcipulos, incipiens à Moyſe, & aperiens illis ſcripturas quæ de ipſo loquebantur, eoſque ſtultitiæ, & tarditatis ad credendum reprehendit, quia his qui viderant eum Reſurrexiſſe, non crediderunt. *Luc. 24. 25.*

166· In novo autem teſtamento, cum apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri, atque in propria venit lux vera quæ illuminat omnem hominem, non iam tenebris, aut vmbris concluſam, nec tantum adumbratam, ſed omnibus viſibilem, cum omnibus converſantem, habitantem in nobis, & verbum caro factum; vmbracula litteræ legis diſparere, figuras ceſſare, prophetias evacuari cæperunt, & ſpiritualis omnis ſignificatio luceſcit, quia aſpirante die, inclinantur, & diſſipantur vmbræ, vt diſſertè Auguſtinus ſuprà allegatus: *Quia lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum-Chriſtum facta eſt.* *Sup. num. 81. Ioann. 1. 17.*

167 Tanta igitur luce, & veritate, illuminati omnes per Chriſtum, non egent iam poſt Evangelium inquirere ab alio de præfigurato per legem veterem, vt ipſum cognoſcant: quoniam lex eius tota ſpiritualis, tota in cordibus ſcripta, & gratia, ac veritas per ipſum facta, corda omnium inclinant ad cognitionem, ad fidem, ad amorem illius. Quod experti ſunt prædicti duo Diſcipuli dicentes: *Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Et quamvis plures modò indigeant Miniſtris, & Prædicatoribus Evangelij, opus iam non eſt ad hoc vt credant, quod Chriſtus eis annuncietur deinceps ſub velamine, ſed vt iam mundo manifeſtatus, quia *qui non eſt cognitus dum loqueretur, iam dignatus eſt cognoſci dum paſcitur*, vt inquit S. Gregorius. *Hom. 23. in Evang.*

168 Hoc ergo fuit vaticinium Ieremiæ de novo teſtamento, & hoc etiam diſcrimen illius à veteri, per ipſum revelatum: quod etiam prædixit Iſaias dicens: *Ponam vniverſos filios tuos doctos a Do-* *Cap. 54. 13.*

Ioann. 6. 45. & 46. *Domino*. Quo item reſpexit Chriſtus inquiens. *Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei: Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Atque ſtatim explicans quod quilibet Patrem audiat per filium, ait: *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem*, ad quæ S. Auguſtinus: Tract. 26. in Ioan. *Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt: non ab hominibus audient, & ſi ab hominibus audiunt, tamen quod intelligant intus datur, intùs corruſcat, intus revelatur.* Et poſteà: *Quid eſt diſcere à Patre, niſi audire à Patre? Quid eſt audire à Patre, niſi audire Verbum Patris, id eſt, me?*

169 Diſcrimen itaque vtriuſque fœderis ab ipſo Deo per Ieremiam prænunciatum, non in eo ſtat, quod in lege veteri fuerint Iudæis impoſsibilia Dei præcepta, quia lex illa reliquerat homines in ſua impotentia, nullo modo eos ad ſui impletionem adiuvans; & quia Deus non dabat id ipſum quod illis iubebat: cum aliter ſe gerat cum Chriſtianis quibus poſsibilia ſunt præcepta novæ legis, quia in hoc noſtro fœdere Deus dat nobis id ipſum quod iubet. Tale namque diſcrimen, nec nimis violenter erui, aut extorqueri poteſt ex textu Ieremiæ. Quin in veteri fœdere, vt poterant Iudæi credere in Chriſtum præfiguratum, & promiſſum, parata etiam habebant auxilia per ipſum, & per anticipatam ſolutionem ſuorum meritorum, quibus iuvarentur ad credendum, & quibus eorum impotentia tolleretur ad alia præcepta, & opere, & corde ſervanda.

170 In hoc itaquè nullum erat diſcrimen Iudæi à Christiano; quemadmodum neque in eo, quod lex vetus fuerit ſcripta in tabulis lapideis, nova autem in cordibus, niſi quatenùs per id denotatur lex vetus ſumpta ſolummodò externis, ſeu ſecundum quod ſonabant eius præcepta, cærimoniæ, iudicia, ſacrificia, Sabbatha, vel Sacramenta: in quo ſenſu tantum materiali, & ſenſibili, & reſpectu illorum Iudæorum qui huic ſenſui adhærebant, non curantes alium propheticum, ſpiritualem, & figurativum, lex illa erat littera occidens, erat lex dura, lapidea, & in lapidibus ſcripta: cum ex oppoſito lex nova, & Evangelium, tota illa ſpiritus ſit, non alias quærendus per litteram, non inquirendus per figuras; quia non iam occultus, ſed manifeſtus, non velatus, ſed revelatus.

Iux-

171 Iuxta quam explicationem, & ſenſum, loquitur ſemper S. Auguſtinus agens de diſcrimine vtriuſque legis, clariſsimèque eo ipſo loco ab Anonymo allegato, vt ibi videri poteſt, ſicuti, & teſtimonium ex ipſo ſupra adductum. Quod ſi Queſnellio licet (N. 150.) ita craſsè Apoſtolum, & Auguſtinum accipere, & intelligere, vt totam rationem diſcriminis vtriuſque legis ponant in eo, quod vetus in tabulis, nova in cordibus ſit ſcripta, poterat reprehendere Evangeliſtas, Paulumque ipſum, & alios Apoſtolos, qui legem gratiæ attramento ſcriptam tradidere; oporteretque vt neque ipſe diſcernat, ſed potius confundat cum lege Evangelij, legem naturalem; Chriſtianoſque cum Gentilibus, quia i ti legem non ſcriptam, ſed menti impreſſam habebant. De quo videatur etiam ibi S. Auguſtinus (Libr. de Spir. & Lit. cap. 26.) explicans differtè, & ad rem noſtram, iſtam etiam differentiam.

172 Igitur præcipuum vtriuſque legis diſcrimen expreſſum per Ieremiam, & Paulum, ac ſæpiſsimè in ſcriptura inſinuatum, vt liquet ex tot allegatis teſtimonijs, & innumeris alijs quæ omitto, ſtat in eo, quod in veteri teſtamento totus ſpiritus novi, tota gratia, fonſque ipſe, & plenitudo gratiarum, erat occultus, & tantùm figuratus; ſed tamen ibi erat, quamvis velatus, & concluſus. In novo autèm totus idem ſpiritus, atque Chriſtus Author illius, & gratiæ, iam non ſub velamine, ſub vmbris, & figuris latens, ſed palam manifeſtus, & toti mundo revelatus eſt.

173 Ex hoc notiſsimo diſcrimine, oriantur reliqua omnia, quæ ex multiplici excellentia novæ legis ſupra veterem, vel aſsignant PP. vel excogitant Theologi. Hanc etiam differentiam inter alias tradit S. Auguſtinus (Cont. Adim. cap. 16.): *Vt in illo cognoſcatur præfiguratio poſſeſsionis, in iſto teneatur ipſa poſſeſsio.* Hinc etiam plures, & varij effectus inveniuntur in ſubditis vtriuſque legis, per quos iſti invicèm diſtant, & alius Iudæus, alius Chriſtianus dicitur. Atque ex hac effectuum varietate oritur, quod apud Auguſtinum, & alios, modò vna differentia, modò alia vtriuſque legis deſignetur, vt quod lex vetus ſit lex factorum, vel operum; lex verò nova, lex fidei: illa carnis, hæc ſpiritus lex: quod illa timore, iſta amore adimpleatur, & alia huiuſmodi. Omnes tamen iſtæ differentiæ ad vnam generalem, vel tan-

quam primam, potiſsimam, & veluti aliarum radicem reducit S. Thomas, inquiens: *Dicendum, quod omnes differentiæ quæ aſsignantur inter novam legem, & veterem, accipiuntur ſecundum perfectum, & imperfectum.* 1. 2. q. 107. art. 1. ad 2.

174 Hoc itaque eſt præcipuum diſcrimen ſubditorum vtriuſque legis. Qui nempe ſtabant ſub lege veteri, imperfecti, parvuli, pædagogo egentes, & vtentes erant: ſub nova autem, iam viri, perfecti, & ſine alterius extrinſeco adiutorio, valebant legem implere. Atque hoc eſt diſcrimen per Ieremiam revelatum verbis illis: *Et non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens, cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me.* Cap. 31. Et hoc etiam apprimè correſpondet differentiæ vtriuſque legis: quia namque vetus occultabat Chriſtum, & eius myſteria, indigebant Iudæi ductore, & pædagogo qui ſibi illum inter vmbras, & figuras veluti latitantem, monſtrarent: in nova autem opus non habemus doctrina iſta, & pædagogio, quia ſciſſo iam templi velo, & edocti a Domino in carne noſtra apparente, non vltrà nobis velatus, ſed manifeſtus noſter Chriſtus Magiſter eſt.

175 Id infinitis propè teſtimonijs Sacræ Scripturæ, & SS. PP. ſententijs comprobari poteſt. David de lege ipſa veteri, ait: *Sapientiam præſtans parvulis.* Pſal. 18. 8. Quod maximè ſuis parabolis intendit Salomon: *Ut detur parvulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia, & intellectus.* Prov. 1. 4. Iſaias hoc ipſum ſignificat dicens: *Ubi eſt litteratus? Ubi legis verba ponderans? Ubi doctor parvulorum?* Cap. 33. 18. Similitèr illud apud Danielem: *Impij in teſtamentum ſimulabant fraudulentèr: populus autem ſciens Deum ſuum obtinebit, & faciet: & docti in populo docebunt plurimos.* Cap. 11. 32.

176 Mitto plura alia ex veteri teſtamento. Ex novo ſat erit allegare non nulla Pauli, quia ad rem opportuna: & præſertim illud quod de ſe ipſo cum antea fuiſſet ſub veteri lege inquit: *Cum eſſem parvulus, loquebar vt parvulus, ſapiebam vt parvulus, cogitabam vt parvulus: quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* 1. ad Cor. 13. 11. Quænam autem fuerint iſta, dixerat immediatè antea: *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* Nimirùm; pars illa legis, littera, quæ novum teſtamentum, & Chriſtum velabat, & præfigurabat. Ita S. Chryſoſtomus. Hom. 34.

Item,

177 Item, integrum caput IV. Epiſtolæ ad Galatas de re iſta eſt, vbi ſubditos legis appellat parvulos, non differentes à ſervis, ſub tutoribus, ſub elementis poſitos, ignorantes Deum, filios Abrahæ ex ancilla. Cum eos qui ſub Evangelio ſunt, filios liberę, viros, hæredes, cognoſcentes Deum, & ab ipſo cognitos, dicat. *Ad Rom. 8.17. Ad Eph. 4.14. Ad Heb. 5.11. 12.9.* Idem crebrò repetit, ac multis locis ad marginem notatis. Quarè, & de ſemetipſo dicit, quod non prædicabat *in perſuaſibilibus ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis: Ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* *1. ad Cor. 2.4.* Videatur S. Auguſtinus ſupra laudatus. *N. 107.*

178 Erant igitur non iam parvuli, ſed perfecti, qui eruditi à Domino carne noſtra induto, non indigebant ſapientia hominum, ſed ſola virtute Dei iam eis oſtenſa, vt in ipſum crederent inſtructi doctrina ſpiritus, & à Paulo, non ſenſibilia ſpiritualibus, ſed ſpiritualia ſpiritualibus comparante. Erant autem ex adverſo imperfecti, parvuli, qui ſub littera legis Dominum promiſſum, & præfiguratum habebant: de quo indigebant a legis peritis, & Sacerdotibus edoceri, ab his qui ſcirent materialia, & ſenſibilia, ſpiritualibus comparare, atque exquirere, & tentari quæ in littera legis cuſtodiebantur concluſa.

179 Hoc etiam apertiſſimè ſignificat Apoſtolus inquiens. *Prius autem, quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo.* *Ad Gal. 3.23.* Ita planè Iudeus pędagogo indigebat, exquirente nimirùm ſub littera legis ſenſum ſpiritualem latentem, ſcrutante Chriſtum, fidem, gratiam, iuſtificationem, & ſalutem per ipſum, quæ, & eius myſteria, ibi concluſa tenebantur vſque ad præfinitum tempus adventus illius: *De qua ſalute*, ait S. Petrus, *exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ qui de futura in vobis gratia prophetaverunt; ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias. Quibus revelatum eſt quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea quæ nunc nunciata ſunt vobis.* *1. Pet. 1. 10.*

180 At cum poſteà venit

nit Chriſtus cunctis gentibus deſideratus, ea omnia, quæ in lege ſub cortice litteræ conclusa erant, ita apertè revelata ſunt, vt iam non ſimus ſub pædagogo, indigentes alterius ſcrutatione, ac documentis ad cognoſcendum Dominum, ipſe enim iam in ſua propria venit. Ipſe apparuit conditor novi fœderis, quem carne noſtra veſtitum plurimi teſtes, & fide etiam divina digniſsimi, præſentem viderunt, & nos de eius adventu certiſsimos faciunt *Non enim doctas fabulas ſecuti*, aiebat idem S. Petrus, *notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam; ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.* 2. Pet. 1. 16.

181 Quamvis autem hoc foret in vtroque fœdere diſcrimen ab ipſo Deo per Ieremiam enunciatum, adhùc autem aliud erat in Iudæo infideli reſpectu Chriſtiani, & reſpectu etiam Iudæi fidelis: quod non ex voluntate Dei, non ex indole, aut conditione fœderis veteris, ſed ex pura, & culpabili malitia, & infidelitate Iudæi oriebatur. Qui enim ex eis litteræ tantum legis adhærentes, & fidentes, nolebant ad eius ſenſum ſpiritualem tranſire, nolebant vti pædagogio Prophetarum, nolebant inquirere, vt cognoſcerent Chriſtum futurum, neque in eum, & promiſsionem de ipſo, credere: hi maximè diſcernebantur à Iudæis fidelibus, & modò diſcernuntur à Chriſtianis, ſed culpabili infidelitate ſua.

182 Quos propterea reprehendit Apoſtolus, duos Iudæos infidelem, & fidelem deſcribens, & diſtinguens, quia infidelis exteriori ſolum, & manifeſtæ litteræ, & carnis circuncisioni confidit, deque ſua legis obſervantia gloriatur: cum ex adverſo qui fidelis eſt, non litteræ manifeſtæ, ſed occulto ſpiritui, & circuncisioni non carnis, ſed cordis adhæreat. *Non enim*, inquit, *qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio; ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Ad Rom. 2. 28.

183 In quo textu extat expreſſum Catholicum dogma, doctrinaque veriſsima, & Doctore Gratiæ digna: quod nempè fidelis Iudæus diſcernitur ab infideli, peccator à iuſto, ſola culpa ſua, non opera Dei, qui vtrique confert gratiam, & adiutorium, quo, ſicut Iudæus fidelis poteſt obſervare, & obſervat legem, poſsit infidelis illam

adimplere quam culpa ſua non implet; & conſequenter neminem relinquit Deus in ſua impotentia, ſeù nulli imponit præcepta impoſsibilia. Utrique namque dedit legem ſanctam, immaculatam, ex littera, & ſpiritu coaleſcentem, quam adimplet fidelis Iudæus quia ſpiritui adhæret; non obſervat infidelis quia litteræ tantùm confidit, potens alias ſimilitèr ad ſpiritum aſſurgere, & indè haurire auxilium ad eam implendam. Culpa igitur ſua diſcernitur à iuſto, ſecundum illud: *Perditio tua Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum.*

Oſeæ 13. 2.

184 Quamvis ita à ſe, & non à Deo, diſcernatur infidelis Iudæus à fideli; aliter, ſeu aliundè diſcernitur fidelis ab infideli, ſcilicet, non à ſe, ſed à Deo, non per opera propria, & quaſi viribus ſuis elicita quibus legem adimpleat, ſed per gratiam Dei, cui liberè cooperando, & vires, & opera debet; idcircò aït Paulus: *Cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt:* conſonantque cum illis. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Sed de diſcrimine iſto referendo in gratiam ſine præiudicio libertatis, ſermo erit cum refutemus Queſnellianas de gratia propoſitiones.

1. ad Cor. 4. 7.

185 Modò ſat eſt, ſi tot teſtimonijs adductis exploratum ac firmum maneat, Iudæos non diſcriminari à Chriſtianis, ex vi ſui fœderis, aut legis, quia nimirùm hæc reliquerit eos in ſua impotentia ad eam implendam: quaſi adeo infirma, & invalida fuerit, vt nullum potuerint ex ea ſibi adquirere auxilium quo eius præcepta adimplerent, ac ſubindè iſta forent illis impoſsibilia.

186 Quippè id evincitur falſiſsimum eſſe, tam apertis ſententijs Scripturæ, & Patrum, quibus manifeſte diſtinguunt in lege ſpiritum, à littera: quibus docent litteram occidere, ſpiritum vivificare: quibus deſignantur materia, finis, & effectus legis, iſtiuſque præcepta, ex ſeria intentione Dei ordinata ad vitam ſpiritualem, & æternam: Quibus prædicatur Chriſtus per eam legem promiſſus, atque à conditione, & promulgatione eiuſdem per omnia præfiguratus, à Iudæis cognoſcendus futurus, & credendus, quemadmodùm creditus, & cognitus fuit ab ijs qui ex ipſis fideles, & iuſti fuere: a quibus, a Prophetis, & ab alijs poterant edoceri, qui tanquam parvuli, & im-

perfecti, pædagogo indigebant

187 Hæc namque, & reliqua hactenùs explicata, intendit Deus, diſpoſuit, præparavit eis quibus ſuam legem dedit, quibus *credita*
Ad Rom. 3.2. *ſunt eloquia Dei.* Eritne, vel vtcumquè probabile, aut veroſimile, quod qui *non fecit*
Pſ. 147. 20. *taliter omni nationi*, ſimul voluerit imponere illis præcepta impoſsibilia, & quod neceſſariis tranſgreſsionibus illorum fruſtraret ſanctiſsimam, & ſeriam Legiſlatoris intentionem, parataque media ad eam conſequendam? Quia & veniet, quod redderent irritam, & inanem inſtitutam virtutem unius mediatoris, qui finis legis eſt, nulla ope, nullo auxilio eis per ipſum præſtito?

188 Ad quid ergo Chriſtus tot figuris adumbratus? Tot umbris præfiguratus? Tot oraculis prænunciatus? Ut nempe his potentiſsimis ſubſidiis homines efficerentur, aut relinquerentur invalidi? Et in quo conditæ ſunt omnes poteſtates cœli, vt *qui eſt ante omnes, & om-*
Ad Coloſ. 1.16. *nia in ipſo conſtant, qui eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus primatum tenens; quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, in ipſum pacificans per ſanguinem crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt*: An, inquam, in illo non conditæ non roboratæ, ſed infirmæ, ſed enervatæ, relictæ fuere Iudæorum poteſtates? Aut enim eas roborare non potuit, aut noluit? At dici nequit quod non potuit, cui *data eſt omnis* Matt. 28.
poteſtas in cœlo, & in terra: 18.
Et in quo ait Apoſtolus, *omnia poſſum qui me confortat.* Ad Philip. 4.13.
Sed nec dici poteſt quod non voluit, *qui operatur in nobis,* Ad Philip. 2.13.
& velle, & perficere, pro bona voluntate.

189 Qui non tantùm venit ad homines viſibilitèr carne noſtra indutus, vt infructuoſam ex peccato originali voluntatem adiuvaret ad bonos fructus faciendos; ſed venit etiam inviſibiliter per gratiam, ex anticipata vi meritorum ſuorum, ad eos qui erant ſub lege; imò, & ad eos etiam qui erant ante legem, vt inquit S. Gregorius Magnus parabolam ficus infructuoſæ ad quam ſemel iterum, atque iterùm Dominus venit, ita exponens. *Tertiò Dominus* Luca 13. 7.
vineæ ad ficulneam venit, quia naturam generis humani, Hom. 31. in Evag.
ante legem, ſub lege, ſub gratia, expectando, admonendo, viſitando requiſivit. Venit ante legem quia per naturalem intellectum quid unuſquiſ-

qualiter exemplo ſuo, qualitèr erga proximum agere debuiſſet, innotuit. Venit in lege quia præcipiendo docuit. Venit poſt legem per gratiam, quia pietatis ſuæ præſentiam exhibendo monſtravit.

190 Neque exiſtimandum eſt, quod non venerit in lege etiam per gratiam, quia dicitur quod venit, cum *præcipiendo docuit.* Nam ſupponitur, quod venit non ſolùm admonendo extrinſecè, non enim per id tantum poterat ficulnea infructuoſa, fœcunda reddi. Notanda etiam quæ ſequuntur: *Sed tamen in tribus annis fructum ſe non inveniſſe conqueritur.* Non ſanè conquereretur ſi admonitio ſua ficulneam infructuoſam, & impotentem fructus facere reliquiſſet. Cur ergo illa impotens, cur infœcunda facta eſt? Ibid. *Quia quorumdam,* ſubiungit S.Gregorius, *pravorum mentes, nec inſpirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incarnationis eius miracula convertunt.*

191 En vnicam, veramque rationem impotentiæ quorumdam Iudæorum, non omnium, ſed infidelium, ad legem obſervandam; quam ſola culpa ſua, non defectu divinæ gratiæ, ſed ſuarum mentium pravitate, & voluntaria, ac libera cæcitate contraxerunt, nolentes quærere, & ſcrutari ſenſum ſpiritualem legis, in quo certo invenirent Chriſtum quem iam eſſe promiſſum crederent, & per quem ſimul accepturi erant gratiam qua legem, & opere, & corde cuſtodirent: nullaque de neceſsitate iſtius medij ignorantia poterant excuſari, quia Regem, & Prophetam ſuum audiebant dicentem: *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Pſ. 118. 33. Item, & illud: *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Ibi. 2.

192 Super quæ videndus S. Auguſtinus, cuius nonnulla, & huc apta dedimus ſupra. N. 1148 Tota namque de hoc Pſalmo expoſitio illius, eſt planè doctrina noſtra. Sed ad locum præſentem pauca perpendenda omittere nolumus, advertentes quod cum præmittat ad rem etiam vaticinium Ieremiæ ſupra ex ipſo illuſtratum, poſtea ait: *Ecce quomodo voluit iſtam legem ſibi poni à Domino, non ſicut iniuſtis, & non ſubditis ad vetus teſtamentum pertinentibus poſita eſt in tabulis lapideis, ſed ſicut ſanctis filiis liberæ .... Non quam memoria* Enarr. in Pſ. 118. Conc. 11.

ria timeant, & vita negligant, ſed quam ſciant intelligendo, faciant diligendo.

193 Rurſus inquit. *Gratia itaque Dei nobis præcipuè commendatur, quando ſibi legem poni poſcit à Domino qui utique jam legem ſecundum litteram noverat; ſed quia littera occidit, ſpiritus autem vivificat, orat ut per Spiritum Sanctum faciat quod per litteram ſciebat, ne per ſcientiam mandati non obſervati, etiam prævaricationis ei crimen accedat. Quamquam etiam ut ſciatur lex quomodo ſciendum eſt ..... à Domino acceperit intellectum: unde iſte adjungit, & dicit: Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo .... Sed quia & hoc non valet viribus propriis niſi adjuvetur ab illo qui jubet, ut faciat quod jubet, Deduc me, inquit, in ſemita mandatorum tuorum.*

194 Tam longè profectò abeſt ut per S. Auguſtinum probetur propoſitio Queſnellij, quod hoc ſolo teſtimonio falſiſſima illa, & ſuæ menti penitus adverſa demonſtratur. Utque relinquam Lectori ponderandum quantùm tota hac expoſitione textus Davidici, nobis ſuffragetur; nam per illam confirmantur apertè cuncta hactenus dicta, hoc unum non prætermittam animadverſione dignum, quod nempè verba illa: *Da quod jubes, & jube quod vis*, quæ Queſnellius in ſua propoſitione laudat tanquam quid propriſſimum, & privativum fœderis Chriſtiani, diſtinguens iſtud à fœdere Judaico, quodque & Anonymus ut diſcrimen notum, & à cenſura prorſus alienum, allegat; ſi alicubi expreſſa verba ſunt S. Auguſtini, maximè in hoc teſtimonio; & ubi de fœdere non Chriſtiano, ſed Judaico ſermo eſt; ut manifeſtum ſit, quod non poteſt eſſe utriuſque diſcrimen, quod utrique commune eſt: & quod in fœdere Judaico, quemadmodùm in Chriſtiano, homines adjuvabantur ad legis impletionem, à Deo jubente quod ipſe dabat, facienteque quod jubebat.

195 Hoc ipſum perſonant omnes paginæ Auguſtini, ut longior uſque faſtidium eſſem, ſi vellem cuncta ſuorum operum loca perluſtrare quibus omnia, & ſingula quæ in hac confutatione dicimus, confirmantur. Ex ipſo illa ſtabilivimus, & præſertim ex libro unde Anonymus ſui Queſnellij defenſionem molitur, ſed quam infœliciter, quamque oſcitanter, judicent qui legerint tot eius teſti-

teſtimonia à nobis ex prędicto libro accuratè expenſa.

196 In quo ſi ve. ſolus titulus obſervetur planum eſt, quod cum agit de *Spiritu, & Littera* legis, hæc duo neceſſariò diſtinguenda ſunt, vt ſine iniqua confuſione, imò ſine manifeſta ſenſuum, & contextuum repugnantia, ac verborum contradictione, intelligantur quæ apud Apoſtolum, & alios Sacros Scriptores, apud Auguſtinum, & reliquos SS. PP. inveniuntur. Lex enim vetus erat lex fidei, & factorum: erat carnalis, & ſimul ſpiritualis: Erat lex mortis, & mandata vitæ habens, Præcepta non bona, & mandata iuſta, & ſancta continens. Atque vt alia ſatis iam ponderata omittam, ex illa nulla eſſe poterat iuſtificatio, & tamen erat in ea iuſtificatio quæ adimpleretur.

197 Ut ergo iſta vera ſint, ſine vlla contrarietate de eadem lege, apud Paulum, & SS. PP. veriſsimum etiam debet eſſe, quod illa, & impotentes benè operari ad pravum eorũ vſum relinquebat, & potentes benè operari ſuo bono vſu faciebat, ſine vlla prorſus repugnantia: quia hæc duo in ſpecie oppoſita, quemadmodùm, & alia enumerata, non ſunt eidem legi indiviſibiliter attribuenda, ſed diſcreta diſtributione facta ab Apoſtolo, & à SS. PP. ad duas partes quibus integra lex conſtabat, ad litteram ſcilicet, & ſpiritum.

198 Qui namque litteræ ſolummodò adhærentes, confidentesque ſuis ſolis operibus exterioribus contenti erant; hi nequaquam legem adimplebant, quia meliorem illius partem, nempe figurativam, & ſpiritualem deſpiciebant, atque inſulsè prorsùs ſe legem obſervare exiſtimabant, vt ex S. Auguſtino diximus. Cum namque in ipſa lege clauderetur Chriſtus, N. 143 & expreſse promiſſus, & per omnia adumbratus, ibi concluſa etiam erat fides de illo, & de eius revelatione promiſſoria quam tenere debuerunt; & proinde qui illam non habuere, facti ſunt totius legis prævaricatores. Nam, *quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Iacob. 2. 10. Quanto ergo magis ſi offendat in eo quod principaliſsimum in lege eſt, & maximè à Legislatore intentum?

199 Undè à ſemetipſis facti ſunt impotentes præcepta legis implere, non à Deo, qui legem ſanctam, immaculatam eis dedit; qui & man-

data deſiderabilia, nec ſupra illos, nec ſupra modum, impoſuit, materiam ſpiritualem reſpicientia, ad fines excellentiſsimos ordinata, habentiaque effectus ſaluberrimos; qui & finem adæquatum, præſtantiſsimum, Chriſtum ſcilicet, per illam intendit, & præſcripſit: vtque ad Deum cognoſcendum, ad credendum in ipſum, & ad petendum auxilia ad bene operandum, & gratiam ... iuſtificarentur, conſurgerent, tranſeuntes à littera ad ſpiritum, multifariam, multiſque modis eis locutus fuit de illo per Prophetas: quem, & eius novum teſtamentum expreſſe revelavit, innumeris figuris adumbravit, atque mediatorem, & Redemptorem totius generis humani iugis vaticinijs deſignatum prænunciavit: & nè tanquam parvuli vmbris detinerentur, aut velamine litteræ præpedirentur, habebant à Deo datos Moyſem, & Prophetas quos audirent, habebant fratres, Sacerdotes, legis Doctores, & proximos iuſtos à quibus edocerentur.

200 Quid ergo vltra debuit facere Deus vineæ ſuæ, vt palmites illius potentes eſſent ferre fructus? Non autem à ſemetipſis, ſed à vite, in qua tanquam in legis ſpiritu manere debebant, non in littera interficiente, ſed in ſpiritu perficiente, vt diſertè ait S. Auguſtinus: *Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti: finis perficiens, non interficiens.* Non itaque impotentes relicti fuere à Deo, qui abundè, & ſemper dat omnibus, & velle, & perficere pro bona voluntate. *Lib. 1. contr. Adverſ. Leg. 7.*

201 Pro mala autèm Iudæorum infidelium voluntate, relicti ſunt à ſe ipſis impotentes, qui noluerunt intelligere, vt benè agerent: *Quod non poterant intendere filij Iſraël in faciem Moyſi, proptèr gloriam vultus eius, ſignum erat quia in lege Chriſtum intellecturi non erant*, inquit S. Auguſtinus colligens impotentiam eorum ex ipſorum ignorantia certò culpabili, quæ nullo modo excuſabilis erat, cum tot teſtimonia Dei haberent, totque media quibus ad ſcrutandum ſpiritum legis ducerentur, ad intelligendum Chriſtum, à quo opitularentur. *Ibi.*

202 Sed audi adhùc Queſnelli, audi Anonyme, Auguſtinum iterum legis litteram, & ſpiritum legis, aptè diſtinguentem, & ita loquentem *Sub illa peccator, inſuper etiam prævaricator amiſſa excuſatione ignorantiæ convictus iacet; ſub iſta verò, &*

par-

parente, & opitulante, nec quia mala eſt operatus, extinguitur, & vt bona operetur accenditur. Quid ergo mirum ſi illa dicta eſt miniſtratio mortis vbi littera occidit malum prohibendo quod ſit, & bonum operando quod non ſit: iſta verò dicta eſt miniſtratio ſpiritus vtique vivificantis, vt à prævaricationis morte ſurgamus, & iuſtitiam non vel legamus in tabulis, ſed liberi in cordibus, & in moribus habeamus.

203 Habebant equidem Iudæi obligationem tranſeundi à littera legis occidente, ad ſpiritum vivificantem, vt ſic quærerent Chriſtum quem cognoſcere, & in quem credere debuerunt, neque ignorare poterant, *quod etiam minima quæ putantur in lege Sacramentis ſpiritualibus plena ſint*, vt inquit S. Hieronymus. (Lib. 1. Comment. in Matth.) De quo etiam à Prophetis, & à ſapientioribus edocebantur his teſtimonijs quæ alias poſſunt videri collecta à S. Cypriano: atque ea ſcrutantes quærenteſque, haud dubie illuminarentur vt cognoſcerent, & crederent, nam: *Declaratio ſermonum Dei illuminat, & intellectum dat parvulis*, (Pſ. 118.) de quo S. Auguſtinus, vbi ſupra. Idque ſi feciſſent, quod ſane in ipſis erat, Deus ſemper paratiſsimus ad iuvandum homines, non denegaret eis gratiam, qua poſſent benè operari, & legem adimplerent. Ad hæc namque externa documenta, ad hos conatus noſtros promptiſsimè Deus ſua interiori gratia reſpondet. *Si ab hominibus audiunt*, aiebat S. Auguſtinus ad rem, *tamen quod intelligunt intùs datur, intùs coruſcat, intùs revelatur.*

204 De quo illuſtre ſuppeditant exemplum illi duo Diſcipuli ſupra memorati, quibus euntibus in Emmaus, Chriſtus poſt Reſurrectionem occurrit, qui in ſemetipſis experti, & confeſsi ſunt cor ſuum ardere, dum Chriſtus eis explicabat ſcripturas de ipſo loquentes: *Nonne*, inquiunt, (Luc. 24.) *cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Quia ſcilicet explicato velo veteris teſtamenti, Chriſtus ibi prænunciatus, ſe propterea eis declaravit, ac dedit cognoſcendus, illicò hi qui tardi erant ad credendum, credere cœperunt, ac ſimul, ſimul, dum ſe eis Dominus in ſcripturis declarabat, cor eorum interna gratia per motum, vt bona operaretur, accendebatur.

205 Luculentèr S. Bernardus. (Homil. de duob. Diſcip.) *Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis de Ieſu cum*

cum divinarum ſcripturarum dulcedine noſtras reſiceremus auritas, invenientes in illis mirabiles delectationes ſuper omnes divitias? Nonne, nos tunc docebat unctio Chriſti de omnibus medullatas infundendo nobis delitias? Anteà autem appellaverat ardorem illum dulcem, & confortantem, quem Deus paratus erat infundere ſtatim, ac homo meditabatur in lege eius die, ac nocte, vt iam non intentus dumtaxat litteræ, quæ ſine iugi meditatione percipitur, ad ſenſum ſpiritualem intelligendum aſſurgat. Undè opportunè etiam S. Gregor. vtrumque in libro ſcripto intus, & fori diſtinguit, dicens: *Liber enim ſacri eloquii intus ſcriptus eſt per allegoriam, foris per hiſtoriam. Intus per ſpiritualem intellectum, foris autem per ſenſum litteræ ſimplicem, adhuc infirmantibus congruentem. Intus quia inviſibilia promittit: foris quia viſibilia præceptorum ſuorum rectitudine diſponit.*

Lib. 1. in Ezech. Homil. 9. 10.

206 Ex quo, & apparet quod ea lex congruens fuerit Iudæis, vt qui cum ſuperbi ſint, & de ſe ipſis gloriabantur, tardèm cognoſcerent quod lex eadem, quæ illos tranſeuntes ad ſpiritualem ſenſum iuvare poterat, omnino infirmabatur per carnem, dum litteræ tantùm illius, confidentes, foris dumtaxat eam adimplere ſtudebant. *Oportebat enim*, inquit S. Auguſtinus, *vt in teſtamento veteri lex imponeretur ſuperbis, & de ſuæ voluntatis virtute fidentibus; quæ non daret iuſtitiam, ſed iuberet. Ac ſic morte prævaricationis implicitì, ad gratiam confugerent, non iubentem tantummodò, ſed iuvantem quæ novo teſtamento eſt revelata.* Quod autem ſubiungit, ſibi dictum putent Queſnellius, & qui eum errantem, vel præceſſerunt, vel ſequuntur. *Hinc putant iſti divinorum eloquiorum blaſphematores malam fuiſſe legem quæ data eſt per Moyſem, quia ibi eſt miniſtratio mortis in litteris figurata lapideis, non intuentes proptèr eos eſſe dictum qui ſuo libero arbitrio legem ſufficere arbitrabantur, & ſpiritu gratia non adiuti, rei prævaricationis ſub eiuſdem legis littera tenebantur.*

Lib. 2. contr. Advers. Leg. 7.

207 Hi inquam fuere tranſgreſſores, infideles, prævaricatores, & de quibus Deus ipſe dixit: *Semper hi errant corde, ipſi verò non cognoverunt vias meas*, facti nimirùm à ſe ipſis, ſeu culpa propria, impotentes invenire rectas illas vias Domini, quas David ſibi demonſtrandas Pſal. 94.

poſtu-

poſtulabat, dùm arbitrantes ſufficere ſibi litteras exteriores, & lapideas legis, noluerunt confugere ad ſpiritum gratiæ ſub ea littera velatum, & novo teſtamento revelandum, quo iuvarentur, quo invenirent, & cognoſcerent vias illas, ac crederent in Chriſtum initium viarum Domini, & qui eſt via, veritas, & vita.

Vbi ſup. 208 *Nec ſanè omnes*, ait etiam Auguſtinus, *in illo populo non intelligebant Chriſtum per illas vmbras teſtamenti veteris figuratum. Neque enim hæc ipſe Moyſes, & cæteri Prophetæ non intelligebant qui eum poſteris prænuntiabant.* Profectò iſti, & reliqui ſupra ex Apoſtolo memorati, intellexerunt, cognoveruntque: Nam tranſeuntes à littera ad ſpiritum, ab vmbris ad præfiguratum, atque ſcrutantes mirabilia teſtimonia Dei, illuminati ſunt, datus fuit eis intellectus, & declaratus ſenſus ſpiritualis legis, & ſermonum Dei, vt de Davide ſic ea ſcrutante ait S.

In Pſal. 118. Conc. 27. Auguſtinus: *Videamus huius anima quæ ſcrutata eſt, quid invenerit: Manifeſtatio inquit verborum tuorum illuminat, & intelligere facit parvulos.*

209 Ita invenit, ita accepit David parvulus, vt ſub pædagogo legis poſitus, quia, ſcilicet, mandata Dei deſiderabat. Verum inculcanda ſunt hic quæ Auguſtinus addit, & alibi attacta: *Quid aſ-* *N. 1141*
ſiderabat, niſi facere mandata divina? Sed non erat vndè faceret infirmus fortia, parvulus magna. Aperuit os confitens quod per ſe ipſe non faceret, & attraxit vndè faceret. Aperuit os petendo, quærendo, pulſando, & ſitiens hauſit ſpiritum bonum, vndè faceret, quod per ſe ipſum non poterat, mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.

210 Infirmus igitur, parvulus erat David, atque eius voluntas debilis ex peccato, impotens erat viribus proprijs adimplere legis præcepta: Ergo petere debebat iuvamen, auxilium, poteſtatem. At vndè? A littera legis? Minimè, quia hæc invalida, & vt lapidea abſque vnctione erat, neque ſpiritus lapidibus iuvari, & confortari valet. Undè ergo? A ſpiritu litteræ, à Chriſto præfigurato, & inquiſitione, ſcrutatione, & deſiderio ſuo invento; à quo tantum poterat haurire ſpiritum divinæ gratiæ, quo non iam debilis, ſed robuſtus, non iam impotens, ſed potens ad mandata Dei implenda redderetur: *Hæc ſunt ergo mirabilia teſtimonia Dei: propter*

Lcg

hoc huius anima ſcrutata eſt ea, quoniam deindè debilis non ei dici poſſit: Fortiora te ne quæſieris.

211 Hæc S. Auguſtinus, qui alioqui de ſe fatetur quantam gratiam, delectationemque, & cordis inflammationem hauſerit ex Chriſto quæſito, & invento ſub velamine litteræ veteris legis, & teſtamenti, cuius teſtimonium hìc etiam opportunum, ſupra dedimus. Undè, & apparet, quod quicumque ex Iudæis ita ſe geſſerunt, non accipientes legem ſecundùm litteram dumtaxat, ſed ſcrutantes ſenſum interiorem, inquirentesque Chriſtum ibi præfiguratum, & à Prophetis prænunciatum, haudubie illum invenerunt, cum quo ſimul venerunt ipſis omnia bona ſuæ gratiæ, qua & iuſti facti ſunt, & potentes legem ſervare. *Malis enim ijs*, inquit S. Chryſoſtomus, *quæ ſenſus carnalis affert, multo plura bona exhibet ſenſus ſpiritualis.* Dixerat autem antea: *Neque enim eſt littera quæ condemnet, hoc eſt lex illa vetus, ſed ipſe ſpiritus qui opem, auxiliumque affert.*

N. 96.

Hom. 12. in cap. 7. Epiſt. ad Rom.

Hom. 13.

212 Et hoc equidèm per Chriſtum, atque anticipata ſolutione infiniti meriti ipſius, qui præintentus fuit, & prædeſtinatus Primogenitus ante omnem creaturam: ſive tantum in illis gratiam cauſaverit ut cauſa efficiens moralis, ſive ut cauſa dumtaxat finalis, quod Theologis noſtris, ac præſertim Scholaſticis, diſquirendum relinquimus. Nobis enim modo ſat eſt, quod omnis gratia collata hominibus in quocumque ſtatu, & ſub quacumque lege, fuerit effectus Chriſti Salvatoris omnium, & per fidem ipſius, ut communitèr, & conformitèr ſentiunt Patres omnes, edocti ab Apoſtolo ſæpiſſime id aſſerente: atque eodem ſenſu cuncti Interpretes exponūt plurima loca utriuſque teſtamenti id ipſum ſignificantia.

Ad Rom. 3. 1. ad Cor. 15. 2. ad Cor. 4. 1. ad Timot. 2.

213 Qui itaque ex Iudæis Chriſtum ſub velamine litteræ legis futurum, & veluti latentem exquiſierunt, ipſum proculdubio invenere, & per illum, gratiam ut fierent iuſti, potentesque benè operari, & legis obſervantes, acceperunt. Hæc profectò ſunt mirabilia quę in lege Dei conſideranda David concupiebat, dicens: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Atque hoc modo, hac via, & iſte, & illi: *Ad novum teſtamentum quamvis nondum revelatum per gratiā Dei pertinebant, ad quem pertinebat Abraham.* Inquit S. Auguſtin.

Pſ. 118. 18.

1. Contr. Adverſ. Legis. cap. 8.

214 Ut igitur iſti quamvis fuerint ſub illa lege, & viribus proprijs invalidi ad eam adimplendam, non tamen fuere abſolutè impotentes, nec dici poteſt quod Deus reliquerit per impoſitam legem in ſua naturali impotentia quos hactenùs potentes laudavimus, & obſervantes vidimus; neceſſariò fatendum eſt, quod & omnes alij, & ij quoquè qui nequaquam legem obſervarunt, ſua ſola culpa, & non defectu Dei, aut ex infirmitate legis ex omni eius parte, facti ſunt tranſgreſſores, & impotentes adimplere eius mandata. Atque hæc fuit perpetua, & conſtans ſententia S. Auguſtini, qui adhùc ad prædicta verba, hæc alia, & Queſnellio, ac ſequacibus apta, ſubiungit. *Hinc quippè iſti, ſi remoto velamine legerent, intelligerent ita non eſſe inimicum Evangelium legi quæ data eſt per Moyſem, ſicut inter ſe non ſunt inimici Abraham, & ipſe Moyſes.* Ibid.

215 Una namquè, & communis Iudæis omnibus erat lex illa: communia oracula, communia vaticinia prænuntiantia Chriſtum: neque alijs ſolus litteræ ſenſus, alijs verò ſenſus ſpiritualis traditus: ſed cunctis indiſcriminatim credita ſunt eloquia Dei. Alij tamen fuere obſervantes, alij tranſgreſſores; alij iuſti, alij peccatores. De vtriſque ita S. Auguſtinus, & primò de iuſtis: *Quæ in re hoc primum dico, illorum hominum non tantum linguam, verum etiam vitam fuiſſe propheticam .... Quo circa quod ad eos quidem attinet qui illic erant eruditi corde in ſapientia Dei non ſolum in his quæ dicebant, ſed etiam in his quæ faciebant. Quod autem ad cæteros, ac ſimul omnes illius gentis homines in ijs quæ in illis, vel de illis divinitus fiebant, prophetia venturi Chriſti; & Eccleſiæ perſcrutanda eſt.* Contr. Fauſt. lib. 22. cap. 24.

216 De tranſgreſſoribus autèm, quos Queſnellius ex lege impotentes comminiſcitur, hæc anteà protulit. *Hoc enim certè ſua culpa, non vi aliena fecerunt, qui cum poſſent malo reſiſtere, noluerunt .... Si potuerunt, & non fecerunt, vtiquè noluerunt: ſi ergo noluerunt, voluntatis crimen eſt, non neceſſitatis. A voluntate igitur initiū peccati: vndè autem initium peccati, indè initium mali, vel faciendi contra iuſtum præceptum, vel patiendi ſecundum iuſtum iudicium.* Ibid. c. 22.

217 Finem nunquam facerem, qui iam forſan ſupra modum longior, & adusque faſtidium nimiùs ſum, ſi vellem colligere loca omnia in

queis

queis S. Auguſtinus expreſsè, & dilucidè firmat, & confirmat cuncta, & ſingula quæ hactenùs ex ipſo, & alijs SS. PP. ſtatuimus, non alioqui coacta allegatione teſtimoniorum, quibus tot laudata Sacræ Scripturæ dogmata exponunt, & illuſtrant; ſed imò obvia vera, & conformi ſententia, qua perſpicuè evincitur fuiſſe omnibus Iudæis poſsibilem obſervantiam veteris legis, nec per hanc, aut per Deum vnquàm ſtetiſſe, quod aliqui illorum fuerint impotentes eius præcepta adimplere. Longè id à SS. PP. & præſertim ab Auguſtino, qui contrarium ab ipſis etiam Pelagianis, quamvis perverſo ſenſu, affirmatum, ſempèr, ac libentèr veluti indubitatam, concesſit. *Magnum aliquid*, aiebat, *Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non iuberet Deus quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat?*

De Grat. & lib. arb. cap. 16.

218 In iſto namque aſſerto Pelagiani non errabant, ſed plane errabant quia exinde colligebant legem quam Deus hominibus facienda, vel omittenda præcepit, eſſe gratiam ſufficientiſsimam qua poterant omnia legis præcepta adimplere. Hanc conſecutionem erroneam, falſam, & perverse deductam ex antecedente alioqui verò, oppugnat crebrò, ac vehementèr, & merito S. Auguſtinus, gratiam, & eius indiſpenſabilem neceſſitatem extollens ſemper ſupra legem, quam proindè infirmam, invalidam, ad vllas vires, ſeu poteſtatem ad benè operandum tribuendas, multis demonſtrat. Undè apparet quam temerè pronunciaverit Michael Bayus, quod *Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſsibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cum Pelagij ſit.*

219 Temerè inquam, quaſi Auguſtinus ſenſerit Deum homini aliquando, vel aliquid impoſsibile præcepiſſe, vt à Pelagio contrarium ſtatuente perquam longè diſtaret: cum nulla fuerit, nec potuerit eſſe de hoc, Auguſtinum inter & Pelagium, contentio, ſed ſolummodò de malè à Pelagio illata contra neceſsitatem gratiæ ſequela; alioqui non cum illo tantum, ſed ſecum pugnaret, & à ſemetipſo diſcederet Auguſtinus, eam definitivam ſententiam ſæpenumero firmans, & talia, ac tot pro illa documenta tradens quæ in allegatis hucuſquè teſtimonijs ſuis continentur, quæ ſenſu ſuo manifeſto, & minimè extorto, vt apertè confirmant quæcumque ſtatuimus, palàm

etiam

etiam exinuunt, nunquàm Auguſtinum, etiam contra Pelagianos agentem, ſenſiſſe, quod præcepta Dei fuere hominibus ſub quacumque lege impoſsibilia. Et qui adhùc plura de mente illius argumenta cupiat, adeat loca ad marginem adnotata.

Lib. 4. ad Bonif. cap. 1. De Corr. & Grat. cap. 1. Serm. 6. & 15. de Verb. Apoſt. Epiſt. 95. ad Innoc. Epiſt. 144. ad Anaſt.

220 Sed quid miror? Pleni de re iſta ſunt libri Auguſtini, vbi paſsim docet legis litteram non iuvare, ſed occidere, reos facere, & per illam tamen tanquam per pædagogum, tametſi moleſtiſsimum, quærendam eſſe gratiam Salvatoris quæ vivificat, quæ adiuvat, & potentes facit. Hoc autem ita complexè acceptum, non alitèr exiſtimo conſtare poſſe, niſi aſſerendo legem veterem, ſumptam pro ipſa littera exteriùs ſonante, & ſcripta, vt communitèr accipi ſolet, occidere, non iuvare, ſed impotentes relinquere homines nolentes, vt fecere alij, a littera ad ſpiritum eiuſdem legis tranſire, nempè ad Chriſtum ibi latentem, per eam prænuntiatum, & à quo ſufficiens haurirent auxilium, vt alij accepere, quo perfecti legis obſervantes eſſent. Nimirùm, hoc modo alij ex Iudæis facti fuere culpa ſua impotentes; alij gratia Dei potentes legem ſervare. Quod cum alias totius rei negotium, & præſentis cauſæ contra Queſnellium definitio ſirmanet abundè exploratum his textibus Sacræ Scripturæ, his teſtimonijs SS. PP. quæ expendimus, in eundem ſenſum, & expoſitionem priorum conformatis. Neque alitèr valent, vt exiſtimo, meliùs, aut veriùs, conciliari quæ iam in odium, iam in laudem legis veteris dicta obſervavimus. Prodeſt enim hæc diſcretio ad iſtam concordiam, ſicuti agentes de timore ſervili eam appoſuimus diſtinctionem, quæ adverſas in ſpecie Patrum ſententias facit cohærentes, atque illa cum iſtis non parùm affinitatis habent, vt eadem prorſus diſcretione tractari debeant. Atque hac via etiam ſedari poſſunt contentiones inter Illuſtr. Caſtell, & Palanco, de re iſta ortas, quod facilè evincerem; ſi noſtrum foret tantas componere lites.

221 Neque hæc noſtra communis dogmatis explicatio ingrata eſſe poteſt alijs Theologis, & Interpretibus. Primò, quia per eam apparent ſine vlla repugnantia cohærentia, ea quæ in Sacra Scriptura, & præſertim ab Apoſtolo, & ſimiliter ea quæ apud SS. PP. de lege veteri dicta inveniuntur, ac ſimul difficilis ratio illa dubitandi

ſuperiùs poſita, manet penitùs exarmata.

222 Secundò, quia præmiſſa diſtinctio legis veteris ſecundum litteram, & ſecundum ſpiritum, planè ſuadet, & confirmat totam illam diverſitatem, quam in fine, in materia, & in effectibus eiuſdem legis obſervavimus, & differentiam, ſeu diſcretionem quæ inter obſervantes, & tranſgreſſores debet agnoſci. At illa diſtinctio facta fuit ab ab Apoſtolo, & familiaris eſt Patribus, vt liquet ex iam laudatis. Quin, & Origenes affirmat eam fuiſſe antiquioribus ſe acceptam inquiens: *Dicimus, legem eſſe duplicem, alteram iuxta litteram, alteram iuxta ſententiam, ſicut & maiores noſtri docuerunt.* Tanta enim erat illis vtriuſque partis diſtinctio, vt duas ex vna videantur facere leges. Simili modo loquitur Nacianzenus: *Moyſes duplicem legem ſanxit, litteralem nimirum externè, ſpiritualem internè.*

Lib. 7. contr. Celſ.

Orat. de Laud. Baſil.

223 Tertiò, quia cum omnes teneamus plurimos ex Iudæis ante adventum Chriſti fuiſſe iuſtos, & ſuæ legis obſervantes, quod nemo, vel dubitare poteſt de his quos enumerat, & laudat Apoſtolus, qui, & iuxta ipſum, & conſenſu Patrum, ac Theologorum, tales fuerunt ex fide Chriſti futuri, & per gratiam ipſius; de ijs, inquam, cenſendum eſt, quod ab ipſa lege, tanquam à pædagogo, manuducti, pervenerunt ad cognitionem Chriſti præfigurati, & prænunciati per illam, in quem crediderunt, & per quem fidem, & gratiam acceperunt.

Ad Heb. 11.

224 Quamvis enim de aliquibus exiſtimari poſsit, quod ex beneficio ſpeciali Dei habuerint particularem revelationem Chriſti; id de reliquis, vel de ſingulis, nullo prorsùs fundamento affirmari poteſt, quibus alias ſufficiebant revelationes, & promiſsiones quæ de ipſo erant in veteri teſtamento; non ignorantes etiam, quod ſacra ſua, & legalia, figuræ erant, & vmbræ futurorum bonorum, & propterea debuerunt legem ipſam meditari, ſenſumque ſpiritualem exquirere, ſcrutari; quo haud dubiè à Deo magis illuminarentur, & gratia ſua iuvarentur, nam facienti quod in ſe eſt, præſto ipſe adeſt, non denegans gratiam. Atque hoc modo Davidem ſe geſiſſe, & lege vſum fuiſſe, multis, & apertiſsimè docet ipſe, ac præſertim per totum Pſalmum 118. ad rem valde oportunum.

225 Iam verò cum tot legis

legis veteris figuræ, totque revelationes de Christo, communes fuerint illi genti, quemadmodum, & lex erat omnibus communis; nec dici poſſit, quod fuerint à Deo otioſè, & inutilitèr intentæ, cuncta namque ſumma ſapientia, & providentia ordinavit; ex indè videtur neceſſariò colligendum, quod cum voluerit, & intenderit homines per eam legem facere iuſtos, & bonos, quippè hæc eſt præcipua Legiſlatoris intentio, hic finis legis: ſic legem diſpoſuit, vt quamvis in ea, aut vi illius, non haberent media ſufficientia, quibus ad eum finem pervenirent, poſſent tamen per eam gratia Dei ſemper adiuti, ſibi præfata media quærere, & adquirere. At ſola divina gratia eſt huiuſmodi medium, ſoluſque Chriſtus Dominus eſt illius fons, & origo, qui & tunc per ſolum ſenſum ſpiritualem legis poterat apparere ſub velamine litteræ latens, & qui, eum cognoſcentes, & in ipſum credentes, nunquam relinquit ſua gratia, & auxilijs deſtitutos.

226 Hanc vnicam viam ſtruxit, ac direxit cunctis Iudæis per legem ſuam, & in ea ſupremus Legiſlator, quam velle, & tenere debuerunt, & potuerunt, vt multis demonſtratam ipſis, vnicam planè ad mandata omnia legis tametſi diverſa exequenda. In hanc viam deduci poſtulabat David: *Deduc me*, inquiens, *in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui*. Igitùr non tam recurrentes ad legem novam non dum editam, quamvis figuratam; ad novum fœdus non dum initum, tametſi prænunciatum; ſed accurrentes ad Chriſtum futurum, poterant omnes per gratiam ſuam fieri potentes totam legem ſervare. Et quia alij id fecere, iuſti, & obſervantes per gratiam Chriſti fuerunt. Quia ſecùs alij litteræ tantum adhæſerunt, & fiderunt, culpa ſua, non defectu Dei, aut legis, relicti ſunt impotentes. *Pſ. 118.*

227 Ita niſi plurimùm fallor conſtant benè quæ Theologi dicunt: & de re ob diverſitatem textuum, & ſententiarum difficili, ſatis iam ſunt dicta, in queis nihil aliud niſi doctrinam Patrum confirmantium propoſitiones noſtras tradidimus, quæ vt exiſtimo omnimodè quadrant cum his, quæ S. Thomas plenè, & profunda eruditione docet de lege veteri locis ad marginem adnotatis, à quibus allegandis malui ſuperſedere, quam vel aliqua omittere, vel integros articulos co- *1. 2. q. 98. per tot. & q. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 107. per tot.*

actus exſcribere. In omnibus enim illis inveniet qui volet, & cui noſtra diſquiſitio non diſplicеat, invicta ex Patribus, & à ratione, & congruentijs, argumenta aperte illam roborantia, ac ſimilitèr ſoluta, aut præoccupata, quæcumque poſſunt contra eam opponi.

228 Animadverto tamen, quod cui non placeat attribuere nobiſcum legi veteri, ea ex parte qua ſpiritualis, & figurativa eſt, vim adiuvandi homines ad ſui obſervantiam, per media ſæpiùs explicata, quamvis cenſeamus id a SS. PP. affirmari; non propterea cogitur aſſentire Queſnellio audenti pronuntiare abſolutè, quod per legem veterem relinquebantur homines in ſua impotencia. Sat enim eſt ad repellendam hanc de Deo optimo Legiſlatore calumniam, quod illi homines ſub ea lege, & ſtatu impotentes, fieri poſſent iuſti, & valentes divina gratia, & oportunis auxilijs per Chriſtum, quod vnanimi conſenſu Patres, & Theologi affirmant, & quo planè refutatæ manent abſonæ propoſitiones Queſnellij.

229 Verum quia hoc ſuppoſito, vltrà adhùc quærendum erat, qua via, aut modo, quavè providentia, homines illi poterant pervenire, vt plurimi pervenerunt, ad cognitionem, & fidem Chriſti, vt per eum iuſti, & potentes ſua gratia evaderent, placuit, ne Queſnellius, & ſocij illius ex hac iniecta dubitatione ſuas propoſitiones fulcire tentarent, noſtras dedita opera ſtabilire doctrina Apoſtoli enucleata, & SS. PP. munitas, atque ita directè Queſnellianis oppoſitas, vt neque vllus eis relinquatur aditus vndè ſuas inſtaurare poſſint.

230 Unus ſupereſt ſcrupulus, qui tametſi levis, poteſt nihilominùs timidum aliquem pungere. Nimirùm, quod hac noſtra explicatione videmur confundere, vel æquare legem veterem cum nova, tribuentes illi æqualem virtutem ad iuvandos homines, æqualeſque gratias per Chriſtum. Sed in primis nulla eſt hæc difficultas ex comparatione quæ fieri non poteſt inter extrema minimè diverſa. Non enim attribuimus eam virtutem, aut illas gratias, legi veteri, ſed novæ tunc nondùm promulgatæ, ſed ſolummodò promiſsę, & præfiguratæ: quemadmodùm non alium, niſi vnum, & ſolum Chriſtum in vtraque lege, ac ſemper, Authorem omnis gratiæ facimus; cum ea differentia, & maxima, quod in veteri lege ſub figuris velatus

in

in nova verò in ſua propria veniens, & iam revelatus eſt.

231 Quæ differentia præcipua eſt, & origo, compendiumque omnium aliarum excellentiarum legis novæ ſupra veterem, quam & fusè ſupra ex ſcriptura, & Patribus commendatam relinquimus, & oraculo Ieremiæ ſancitam. *N. 148. & ſeq.* Unde oportebat in lege vetere quærere Chriſtum per figuras, & vmbras, inquirere de illo, & ad eum cognoſcendum, & credendum erudiri à Prophetis; quæ media, vt apta parvulis, & imperfectis, difficilia alioqui erant, nam etiam poſtquàm ſua Myſteria nobis nota ſunt: *Difficile factu eſt*, inquit Nacianzenus, *Orat. 42.* *vt ſuam cuique vmbra, ac figura allegoriam excogitemus.*

232 In nova autem lege hæc omnia cum ipſo Chriſto Domino in carne noſtra apparente, & cuncta illuminante, nobis patentia ſunt; ab ipſoque edocti, iam non in tenebris ambulamus, non egemus pædagogo qui ad ſui cognitionem, & fidem nos ducat. Sapientiam, ſcientiam, & intellectum, Verbum ipſum æternum Patris nobis attulit, omnia ſecum ſimul nobis ipſe donavit. Denique, vt idem dominus inquit: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* *Io. 10. 10.* Copioſores, ſcilicet, gratias nobis afferens revelatus, quam Iudæis velatus: *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*, ait Apoſtolus. *2 adCor. 1. 5.* Cum autem adverbium illud *abundantius* ſit comparativum, exinde liquet, quod & ijs qui fuerunt ante adventum Chriſti ſub lege vetere, datæ etiam fuere per ipſum auxilia, & gratia ad bene vivendum, quamvis non ſic abundanter, vt nobis.

233 Nec tamen illa minor abundantia gratiarum cenſenda eſt ita minima, & inſufficiens, vt Iudæos in ſua relinqueret impotentia. Contrarium namque docet expreſse S. Auguſtinus ex ſententia Apoſtoli, cuius duplicem locum, duoſque ſimul textus veteris teſtamenti ab ipſo allegatos, tanquam ad id oportuniſſimos adducit, & exponit: quod ex hinc notatum volumus, vt Queſnellius, & cuncti Janſeniſtæ cognoſcant ſe longiſſimè ab Auguſtino diſtare, dum eam tantum gratiam ad bene operandum ſufficientem dicunt, quæ ita nimium abundet, aut potius exorbitet, vt faciat voluntatem ſuccumbere, & ſine vllo prorſus conſenſu ſuo,

con-

conſentire. Sed de hoc aliàs.

234 Ad rem modò noſtram ita S. Auguſtinus. *In ipſa Epiſtola ad Corinthios ..... dicit: Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſecundùm quod ſcriptum eſt, credidi propter quod locutus ſum. Ubi enim ſcriptum eſt? Utique in Pſalmis ad illa Dei eloquia pertinentibus quę credita ſunt Iudæis ..... Cur etiam in eadem Epiſtola de lege teſtimonium poſuit cum præmiſiſſet: vt veſtra abundantia ſit ad illorum inopiam, & illorum abundantia ſit in veſtram inopiam? Ut fiat æqualitas ſubiungens, & dicens, ſicut ſcriptum eſt: Qui multum, non abundavit, & qui modicum, non defuit illi.*

2. ad Cor.

Lib. 2. contr. Adverſ. leg. cap. 7

Pſ. 105. 10.

Exod. 16 18.

235 Eundem itaque ſpiritum fidei, eaſdemque gratias per Chriſtum Iudæi habebant paratas, ac habemus Chriſtiani, ſine vllo in hoc diſcrimine: totaque differentia in eo ſtabat, quod in lege vetere ſub litterâ abſcondebantur, & idcircò opus erat legem exquirere, & ſcrutari. In nova autem quia apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri erudiens nos doctrina, exemplo, ſignis, & portentis, ſimul theſauros ſuæ gratiæ nobis donandæ manifeſtavit, dato etiam viſibiliter Spiritu Sancto Authore donorum, & gratiarum: *Conteſtante Deo*, inquit Apoſtolus, *ſignis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus.* Quæ apertè denotant abundantiam gratiæ, & cunctas excogitabiles excellentias novi teſtamenti, novi fœderis, novæ legis, ſupra veterem, ex quibus totidem vtriuſque poſſumus deſignare differentias.

Ad Heb. 2. 4.

236 In eo itèm quod vtraque contineat, & fidem Chriſti, & gratiam per ipſum, nulla fit vtriuſque confuſio, quia adhùc in hoc ipſo ſat diſtinguuntur, ex eo quod illa in veteri teſtamento erant occulta, in novo ſunt aperta. *Dicendum*, inquit S. Thomas, *quod omnia quæ credenda traduntur in novo teſtamento explicitè, & apertè, traduntur credenda in veteri teſtamento, ſed implicitè, & ſub figura.* Quamobrèm ibi ab involucris detegenda erant, hìc ſine velo apparentia; ibi cum labore exquirenda, hìc cum delectatione inventa. Ita ſcilicet Iudæi ſub lege tanquam ſub pædagogo moleſtiſsimo, & minaciſsimo, vt ait S. Auguſtinus, debebant, ac poterant, quamvis laborioſè, & difficulter: *Quærere Salvatorem, à quo ſanata voluntas, poſſit*

1. 2. q. 107. art. 3. ad 2.

Epiſtol. 144 ad Anaſt.

poſsit quod infirma non poſſet, nempè legem perfectè implere.

237 Hunc laborem, difficultatemque ponderans S. Petrus, dixit, legem veterem fuiſſe onus adeo ingens, *quod nec nos, nec Patres noſtri portare potuimus*. Non enim hoc accipiendum eſt eo rigido ſenſu quo Anonymus pro ſuo Queſnellio illud vſurpat, vt perindè ſit, non potuimus, ac prorſus impotentes illos, & præcepta eis abſolutè impoſſibilia fuiſſe. Nam id talem dici nequaquam poteſt de illis illuſtribus viris ab Apoſtolo laudatis, quibus certò impoſsibilia non fuerunt præcepta quæ reipſa adimpleverunt, & quos præſertim voluit S. Petrus illis verbis deſignare, qui merito *Patres noſtri* ab eo ſunt appellati, quibus lex illa pondus erat non abſolute impoſsibile, ſed multipliciter oneroſum. *Ad Heb. 11.*

238 Fuit namque illis oneroſa lex, quia innumeris præceptis, & cærimonijs conſtans. Sed ideò maximè difficilis, quia plena figuris, vmbris, & involucris, quæ carnales alliciebant, tenebantur per tenebras quærere lucem: quæſierunt tamen, inveneruntque, & *teſtimonio fidei probati, convaluerunt de infirmitate, & fortes facti, operati ſunt iuſtitiam*, ſcilicet per gratiam Chriſti. Ita fuit Patribus illis lex inſupportabilis, id eſt, nimis difficilis. Fuit etiam eius obſervantia eis impoſsibilis viribus proprijs, non autem ſub potenti divinæ gratiæ auxilio; & conſequentèr numquam fuit impoſsibilis abſolutè, quia facientes quod ex parte ſua erat, parata habebant Dei auxilia, quibus, & quod ſupra ipſos erat, facere valerent, ita Deo dante illis idipſum quod iubebat: non autem alio modo, quo vult Anonymus, nempe, ſic opus dante, vt avara liberalitate donatam à ſe libertatem auferret. De quo a ibi.

239 Quod autèm nequaquam ſint accipienda prædicta verba S. Petri in eo ſenſu quo ſignificent omnimodam impoſsibilitatem adimplendi præcepta legis, poteſt demonſtrari quam plurimis alijs, & ſimilibus locutionibus Sacræ Paginæ, quæ ſi ita rigoroſè de eadem impoſsibilitate accipiantur, ſenſum præſeferunt minimè probandum; cuiuſmodi ſunt illa Apoſtoli: *Impoſsibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte .... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* *Ad Heb. 6. 4.* Quod ſi de impoſsibilitate ab-

abſoluta vſurpetur, Novatianis, & Luciferianis tantum arridere poteſt.

240 Sed manifeſtiùs adhuc id evincitur, & ſimul expoſitio noſtra confirmatur apertè verbis Chriſti Domini, qui adoleſcenti interroganti: *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Poſtquam illi mandata legis obſervanda propoſuit, & ipſe affirmaſſet ea à iuventute cuſtodiſſe; iterum Dominus addit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus .... Et veni ſequere me.* Quo audito adoleſcens abijt triſtis. Cumque Chriſtus Diſcipulis ſuis dixiſſet: *Quia dives difficile intrabit in Regnum Cælorum, & quod facilius eſt camelum per foramen acus tranſire,* hoc illi impoſſibile exiſtimantes, dixerunt: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Ad quos tandem Dominus: *Apud homines hoc impoſsibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.*

Matth. cap. 19. 17.

241 Ex toto iſtius eventus contextu manifeſtum fit, quod obſervantia legis, & ſuorum omnium præceptorum adimpletio, quę medium eſt ad ſalutem infallibile, ſolis viribus humanis eſt impoſsibilis: quia tamen Deo adiuvante cui nihil impoſsibile, poſsibilis redditur, non eſt cenſenda, aut dicenda abſolutè impoſsibilis, ſed ſolummodò difficilis, ut inquit S. Anſelmus: *Sæpiſsimè aſſerere ſolemus, impoſsibile nobis eſſe, quod ſine difficultate perficere non poſſumus.* Et cum adeò ardua ponderatur, nimirum exemplo Cameli facilius tranſeuntis per foramen acus, non licet ab exemplo rei quæ ferè impoſsibilis apparet, impotentiam illam omnimodam colligere, quam Diſcipuli admirantes, imo obſtupeſcentes, ex tam ponderata difficultate inferebant. *Hæc ſi dicant* (Quesnellius, & Anonymus) *ſcio quæ propter eos illa dicere: non attendunt primitus quemadmodum Dominus contra eorum dogma ſuam gratiam prædicaverit, non enim ait: Quod hominibus impoſsibile videtur, facilè eſt hominibus ſi voluerint: Sed quod hominibus inquit impoſsibile eſt, Deo facilè eſt; oſtendens quando iſta rectè fiunt, non fieri hominis potentia, ſed Dei gratia.* Hæc nos ad illos, & ex Auguſtino.

De conc. grat. & lib. arb.

Epiſt. ad Hil. q. 4.

242 Cui quam adverſa ſit propoſitio præſens, & ſequentes de eadem re, quamque apertè eiuſdem menti, & ſententiæ ſenſus illarum repugnet, ſat, & pluſquam ſatis hactenus demonſtravimus, vt

pro-

propterea, vel ob ſolum Auguſtinum vindicandum, quando non ipſa Dei, & ſuæ immaculatæ legis iura turpitèr temerata, id expoſcerent; æquiſsimo iudicio illæ à SS. D.N. Clemente XI. damnatæ ſunt, & à cunctis Catholicis execrari merentur. Qui autèm poſt iuſtiſsimas cenſuram, & damnationem, adhùc eas ſuſtinere audent, minimè conqueri poſſunt, ſi tanquam Lutheri, Calvini, atque etiam Manicheorum, quin, & Cerdonaniorum, & Marcionitarum, fautores habeantur: has enim peſtes iam olim lex vetus inimicas habuit, quarum livorem, modo heu! Janſeniſtis hiſce, & Queſnellianis propoſitionibus, viri, qui alioqui Chriſtianos, & maximè Religioſos ſe videri cupiunt, inſtaurare moliuntur.

243 Qua namque iſti indulgentia, qua comitate tractari debeant, videant ipſi apud S. Auguſtinum appellantem impium, blaſphemum, perverſum, pſeudo-chriſtianum, ſacrilego ore maledicentem, & alia huiuſmodi, quemdam adverſarium legis, & Fauſtum Manicheum contra legem ſimilitèr debachantem: apud quos ferè eaſdem, aut ſimillimas Queſnellianis propoſitiones, ab Auguſtino profligatas, & vt fas eſt acritèr reprehenſas, reperient quicumque, ſicut Anonymus, Queſnellium innocentiſsimum prædicant, qui, & inclementem in eum ſummum Religionis Iudicem, parentemque, alias clementiſsimum, cenſent, eo quod ſacro fulmine illas percuſſerit, & iterato anathemate inſectatus ſit refragantes, & adhùc verſutiùs inſanientes in legem ſanctam, & legislatorem ſanctiſsimum. At Optimo Clementi, zelo domus Dei, non alias ſubitò, ſed ſpectata prudentia, & poſt longam etiam annorum expectationem, concitato, benè, & glorioſum eſt, quod opprobria exprobrantium Deo, ac legi eius, cadant ſuper ipſum.

244 Contumacibus tamen iſtis quorum cervicoſum ex prava affectione ingenium neque oraculi fidei voces, neque SS. PP. clamores ab errore abducere valent, lubet tandèm opponere teſtimonium aliud: non quod mihi vllius ſit authoritatis, ſed quia hominis eſt illis haud dubie gratiſsimi, vt qui collitigator fuit olim in cauſa non omnino diſsimili, & cuius turpi exemplo fortaſsis ipſi Janſeniſtæ ſuam, aut obtinere, aut ſaltèm comperendinare cupiunt; cui propterea multum ipſos tribuere non dubito. In

eſt *Fr. Fulgentius Manfredus* Venetus, fideliſsimus comes, & contubernalis alterius Sycophantæ, ſcilicet *Fr. Pauli Veneti*, Apoſtolicarum cenſurarum ſimilitèr aſpernatoris.

245 Ille autem in quadam reſponſione, aut apologia quam auſus eſt ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & vniverſos Eccleſiaſticos dirigere, contra citationem, & monitionem ipſi factam per S.R.E. Cardinales Inquiſitores, horum litteras citatorias tanquam iniuſtas, & tyrannicas reprehendens, paulò poſt medium, inquit: *Contra verò facere, contravè rationem præcipere, non ſolum iniuſti, ſed & tyranni eſt. Deus enim omnipotens impoſsibilia non præcipit, ac in his quæ præcipit hominem ad ea quæ ſibi naturalitèr, ac civilitèr impoſsibilia ſunt, minimè impellit, aut arctat: præcepiſſeque eum aliquando talia aſſerere, aut aſſeveranter dicere, hæreſis eſt.*

246 Huius itaque, quamvis mali feriati capitis ſententia, ſe eſſe hæreticos ſciant, qui adeò aſſeveranter, vt Queſnellius dicunt, Deum impoſsibilia præcepiſſe Iudæis, atq; ad ea, ſua lege veteri eos arctaſſe, & defectu Dei, ac ſuæ legis invaliditate relictos fuiſſe ad illam ſervandam impotentes, quod prorsùs iniuſti, & tyranni officium eſt. Et qui iudicio Sedis Apoſtolicæ, cui tanquam Supremum Fidei Oraculum ius iſtud ex munere incumbit, ſtare nequeunt; huic vltrò ſe ſiſtant, vt ſibi gratiſsimo iudici, qui & vnius iuſtitiæ ſummam apud eos rationem habeat. Huic inquam aſſenſum præbeant, quem haud dubiè integerrimum, incorruptum, & ſolum veritatis cultorem, quia aliquando cenſuris Apoſtolicis fuit, vt ipſi, rebellis; æquiſsimum cenſorem fidem habebunt. Non iam Eccleſiæ Patribus credant, non itèm Concilijs pronuntiantibus, Deum nemini impoſsibilia iubere, neque vlli ſua gratia deeſſe qua eius mandata adimpleat, neque velle homines ſub quacumque lege fieri prævaricatores, & impios. Quin ſi lubet, quod æquè non licet, nec fidem iſti adhibeant Scripturæ Sanctæ in ipſo veteri teſtamento ita clamanti: *Ne dixeris per Deum abeſt: quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanavit: non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.* Eccleſ. 15.11. Hæc enim ſi prolata tantis oraculis credere renuunt, non iam vno, ſed pluribus titulis à ſuo etiam Commilitone de hæreſi planè dam-

damnentur. *Nam Præpoſitus illic agnoſcitur, & timetur, quem non ſententia divina conſtituit, ſed in quem factio perdita, & nocens caterva conſenſit.* *Cyprian. Epiſtol. ad Flor. Pup.*

VII. PROP. COND.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere in quo Deus illum reliquit eius propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò fœlicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Quel avantage pour l'homme dans une alliance où Dieu le laiſſe à ſa propre foibleſſe en lui impoſant ſa Loy? Mais quel bonheur d'entrer dans une alliance, où Dieu nous donne ce qu'il demande de nous! *Heb. 8. 5.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

SANCT. Auguſtinus. *Quod tamen ut fiat, adiuvat gratia, quæ niſi adiuverit, nihil Lex erit, niſi virtus peccati. Augetur enim concupiſcentia, & maiores vires accipit lege prohibente, niſi adiuvet ſpiritus gratia ..... Cum voluntas*, hominis, *convenitur, & ei dicitur*: Noli vinci à malo; *quid ei prodeſt, niſi gratia ſuccurrente fiat?* *De Grat. & lib. arb. cap. 4.*

Idem S. Doctor: *Littera prohibens peccatum, non iuſtificat hominem, ſed potius occidit, augendo concupiſcentiam, & iniquitatem, prævaricationem cumulando, niſi liberet gratia .... cum diffunditur charitas in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum.* *De Spir. & Litt. cap. 16.*

REFLEXIONES ANONYMI.

IN id S. Auguſtinus librum totum de Spiritu, & Littera impendit, ut probet quod lex, quam Apoſtolus appellat miniſterium mortis, & miniſterium damnationis, nihil aliud eſt, niſi ipſe Decalogus, non ad aliud deſerviens niſi ut homi-

nem reddat magis culpabilem, ſi deficit ſpiritus gratiæ, *ſi deſit novitas ſpiritus*, ob concupiſcentiam nondum ſanatam. Docetque & ipſe, hunc ſpiritum à ſolo novo fœdere donari. Erat igitur homo in fœdere veteri ſuæ concupiſcentiæ, & ſuæ fragilitati derelictus.

ANIMADVERSIONES.

1 MAgna profectò fœlicitas eſt ad novum fœdus admitti, atque adeò magna, vt non dubitet Eccleſia fœlicem appellare etiam culpam, quæ meruit habere Chriſtum ſua paſsione, Redemptorem, & novi fœderis conditorem. Undè tamen hanc fœlicitatem auguratur Queſnellius, non tantum infauſtam facit legem veterem, ſed & funeſtum intentat excidium liberi arbitrij in ijs qui ad novum fœdus admittuntur; immò, & monſtruoſum in vtraque lege illud comminiſcitur, nempè arbitrium nunquam liberum, vt quod ſub veteri fœdere fatali neceſsitate ad tranſgreſſionem, & peccata; ſub novo autem neceſsitate inevitabili, ad obſervantiam, & merita determinatur. Id quod tàm apertè Anonymus ſuis reflexionibus aſſeverat, vt nullam prorsùs dubitationem, etiam affectatò conceptam, de ſenſu Queſnellij, æque de vtroque fœdere abſurdo, ſat inſuper in hac ſua propoſitione manifeſto, nobis relinquat.

2 Quantum verò vtilitatis lex vetus ſuis ſubditis attulerit, abundè conſtat ex dictis ad præcedentem propoſitionem. Illa namque homines non ſolù de operandis inſtruebat, dirigebat, normaq; illis erat ad rectè vivendum inter ſe, & civilitèr, & apud Deum: ſed etiam ex ſua potiori parte figurativa, & ſpirituali, ac præcipuè à Deo intenta, parata eis habebat, oblata, & promiſſa valida auxilia gratiæ impertienda per Chriſtum, quibus à propria infirmitate roborati, totam poterant ſervare legem, omnia eius præcepta adimplere; vti plures eorum, quod alioqui de fide eſt, potuerunt, & ſervarunt; valuerunt, & implevere.

3 Neque fuit maxima iniuria, & blaſphemia in Deum dici poteſt, quod inutilis fuerit lex ab ipſo condita, inutile fœdus ab ipſo initum. Porrò Apoſtolus inquirens: *Quæ vtilitas circumciſionis?* Quæ *Ad Rom. 3. v. 1.* ſanè erat fœderis veteris principale ſtatutum, & Sacramentum.

tum, illicò reſpondet. *Multum per omnem modum. Primum, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Queſnellio itaque inquirenti: *Quæ vtilitas pro homine in veteri fœdere?* Apoſtolus reſpondet, omninò multa, & primò, quia in veteri fœdere credita ſunt hominibus eloquia Dei, id eſt, ſub littera legis, ſub mandatis externe datis, credita ſunt illis latentia myſteria, & Chriſtum,
N. 101. vt ad præced. propoſ. diximus.

4 Illa non opere externo, non manu, ſed corde attingenda à Iudæis erant, ſcrutanda, deſideranda, vt quidam illorum fecerunt, ideòque obſervantes, & corde circunciſi fuere. Quidam non fecerunt, potuerunt tamen vt alij, quia fœdus omnibus idem, & commune erat, ideòque hi ſua culpa, non defectu fœderis, carne tantum circunciſi, impotentes facti ſunt, quia fuere increduli. Aſt non ſimilitèr omnes, vndè Apoſtolus ſtatim addit: *Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum, fidem Dei evacuavit? Abſit. Eſt autem Deus verax, omnis homo mendax.*

5 Indè ergo vtiliſsima Iudæis circuncitio, vtiliſsimum fœdus vetus, quantum ſaltem ex parte Dei eſt, qui fœdere ſuo non reliquit hominem ſuæ infirmitati, vt impiè ait Queſnellius, alioqui ille foret in pacto inito, & promiſsis, ſuis infidelis: ſed Iudæi ipſi facti ſunt, ſuæ fidei deſertione, infirmi, & imbecilles: *ſi non credimus*, inquit etiam Apoſtolus, *ille fidelis permanet.* Iſti ergo Iudæi infideles, ſibi, & ſua culpa inutile fecerunt divinum fœdus cum ipſis initum, nolentes illius ſenſum ſpiritualem pervestigare, contenti exteriori litteræ ſono, ſapientiam ibi abſconditam, nempe Verbum Dei, non quærentes, nec credentes, ac proptèrea theſauros ſuarum gratiarum non inventos, reddiderunt ſibi inutiles, iuxta illud: *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Ad Tim. 2. 13. Eccleſ. 20. 32.

6 Tota hæc doctrina eſt expreſſa S. Auguſtini, cuius integrum tractatum adnotatum ad marginem, vellem legiſſent Queſnellius, & Ianſenitæ, quibus pauca, oportuna tamen iſta, ex illo damus. Cum enim contra Iudæos murmurantes quod Christus dixiſſet: *Ego ſum panis vivus, &c.* præmittat, quod *credere in Deum, hoc eſt manducare panem vivum:* & quod *Nemo implet legem, niſi adiuverit gratia, id eſt,* Tra. 26. in cap. 6. Ioan.

ideſt, panis de cœlo deſcendens: poſtea de Iudæis tranſgreſſoribus, & de obſervantibus; de infidelibus, & de fidelibus; hæc habet. *Patres veſtri inquit, manducaverunt in deſerto manna, & mortui ſunt. Quare manducaverunt, & mortui ſunt? Quia quod videbant, credebant; quod non videbant, non intelligebant.* Et infra: *Manducaverunt, & mortui ſunt: non quia malum erat manna, ſed quia male manducaverunt.* Hæc de Iudæis infidelibus qui ſibi fecerunt inutilem culpa ſua, & defectu fidei, & intelligentiæ myſteriorum, cibum vtiliſſimum.

7 Audi rurſus Janſeniſta quam ex eodem cibo vtilitatem ceperunt alij illo benè vtentes. *Manducavit manna, & Moyſes, manducavit manna, & Aaron; manducavit manna, & Phinees, manducaverunt ibi multi qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt. Quare? Quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt, ſpiritualitèr eſurierunt, ſpiritualiter guſtaverunt, vt ſpiritualiter ſatiarentur.* Non itaq; minores vtilitates quam placere Deo, & vitam animæ, attribuit illis vnum ex veteri fœdere Sacramentum, afferretque reliquis omnibus, ſi eo non carnaliter tantum, ſed vt alij ſpiritualiter vterentur, vt poterant, & debebant; ſi fracto cortice litteræ, ad nucleum latentem guſtandum accederent. Unum non pè manna, omnibuſque commune cibus, alijs fuit ad vitam ob gratiam Chriſti in quem ibi præfiguratum crediderunt, hoc enim eſt manducare ſpiritualiter: alijs fuit ad mortem ob culpam ſuam, quia cibo tantum ſenſibili, & viſibili addicti, non ibi quæſierunt, neque invenerunt Chriſtum, quem non dum viſibilem, ſed occultum quærere, & credere debebant: hoc enim fuit manducare carnaliter.

8 In quo non agnovit S. Auguſtinus vllam differentiam novi fœderis, à veteri; nec Sacramenta iſtius, à Sacramento alterius, qualem Queſnellius, & ſui defenſores ſomniant, dum antiquum inutile, novum autem fœliciſsimum dicunt, quia in veteri relinquuntur homines ad bene vivendum infirmi, invalidi; in novo autem ſunt nimia potentia præditi. Non ſic profectò Auguſtinus, qui cùm modò eoſdem aſſignet effectus mortis, & vitæ in manducantibus diſsimiliter Panem Euchariſticum, ac in manducantibus [illegible] inter manna, & paria quoad hoc Sa-

Sacramenta, quamvis in ſignis diverſa, fatetur, & ex Apoſtolo ſequentibus verbis docet.

9 *Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. Hunc panem ſignificavit manna, hunc panem ſignificavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt; in ſignis diverſa ſunt, ſed in re quæ ſignificatur paria ſunt. Apoſtolum audi. Nolo enim vos inquit ignorare fratres, quia Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt .... & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt .... & adiunxit: & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpiritali. Quomodo etiam eundem potum? Bibebant inquit de ſpiritali ſequente petra; petra autem erat Chriſtus. Inde panis, inde potus. Petra Chriſtus in ſigno, verus Chriſtus in verbo, & in carne.*

10 Itaque diverſitas tota ſtat in eo, quod Chriſtus in manna veteris fœderis erat dumtaxat in ſigno. In Pane Euchariſtico novi fœderis, eſt verus Chriſtus in verbo, & in carne. In iſto vere ſub ſpeciebus poſitus: in manna præfiguratus, & ſub illius vmbra cum ipſo etiam ſuo Pane Euchariſtico, & alijs myſterijs, ſignificatus. Diverſa propterea ſunt ſigna, ſed paria in re ſignificata, in gratia videlicet per Chriſtum donanda illi, qui non carnaliter, ſed ſpiritaliter, manna, & panem manducet, illi: *Qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente*, ait ibi Auguſtinus. Cuius verba, & diſcrimen iſtorum ſignorum, aut Sacramentorum aſsignata ab ipſo, obſervanda ſunt, etiam contra Calviniſtas qui negantes realem præſentiam Chriſti in Sacramento altaris, Panem Euchariſticum ex Iudaico manna ſubigunt, aut conficiunt.

11 Cum autem idem Chriſtus fuerit, quamvis adeò diverſimodè, nempe in manna veteris fœderis præfiguratus, qui modo verè, & reipsà eſt in Euchariſtia fœderis novi; non poteſt abſque impietate, dici, aut cenſeri inutile, fœdus illud quod eodem modo in reliquis ſuis Sacramentis, & ſignis, beneficentiſſimum gratiæ diſpenſatorem, mediatorem potentiſsimum, & omnimodæ vtilitatis fontem, & authorem continebat, latentem ſcilicet ſub illius figuris, & vmbris, veluti ſtantem poſt parietem, reſpicientem per feneſtras, proſpicientem per cancellos, nondum in-

inventum foris, vt videlicet deſiderantèr quæreretur, & ardenter expectaretur; atque *Cant. 2. 9. & 6. 1.* *indè panis, inde potus*, indè ſumma vtilitas his qui in veteri fœdere eum ſpiritalitèr intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt. Nam *bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, anima quærenti illum.* *Hier. Lam. 3. 25.*

12 Quamvis autem tot bona, tot vtilitates attulerit fœdus vetus ijs qui ſub littera illius quæſierunt Chriſtum, & in eum credentibus, & ſperantibus; non tamen negamus potiora, & vtiliora bona, abundantiores gratias attuliſſe nobis, quibus non iam velatus, ſed manifeſtus, ſed præſens in carne noſtra apparuit, cum quibus miſt fœdus, non ſub figuris latens, Evangelium non opertum, niſi in fidelibus qui culpa ſua pereunt, ſed in manifeſtatione veritatis patens: quare non egemus Pædagogo, eruditore, inquiſitione, vt hauriamus aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris. *Nobis*, inquit Tertullianus, *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Cum credimus, nihil deſideramus vltra credere. Hoc enim prius credimus, non eſſe quod vltra credere debeamus.* *Lib. de Præſc. cap. 8.*

13 Hæc ille adverſus hæreticos opponentes illud Chriſti, *Quærite, & invenietis*, *Mat. 7. 7.* quaſi propterea nos, a libro poſt adventum Chriſti quærere debeamus, vt credamus. Ad quod iterum ipſe. *Quando hanc vocem Dominus emiſit, recordemur. Puto in primitijs doctrinæ ſuæ, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Chriſtus eſſet ... Merito ergo tunc dictum eſt, Quærite, & invenietis, quando quærendus adhuc erat, qui a ſuis agnitus non erat, & hoc quantum ad Iudæos. Ad illos enim pertinet totus ſermo ſuggillationis iſtius, qui habebant vbi quærerent Chriſtum. Habent inquit Moyſen, & Heliam, ideſt legem, & Prophetas Chriſtum prædicantes; ſecundum quod, & alibi apertè: Scrutamini inquit ſcripturas, in quibus ſalutem ſperatis. Illæ enim de me loquuntur. Hæc erit quærite, & invenietis. Nam, & ſequentia in Iudæos competere manifeſtum eſt, pulſate, & aperietur vobis.*

14 Tam præclarum profectò teſtimonium, quod, & aliorum illuſtrium locorum Sacræ Paginæ promptuarium eſt, vt apertiſsime confirmat quæcumque ſuſe ſtatuimus contra præcedentem Queſnellianam propoſitionem, omninò etiam conformatur cum alijs

aliis præſertim ex S. Auguſtino, ibi adductis: atque manifeſtè evincit differentiã vtriuſque fœderis, magnamque excellentiam novæ legis ſupra veterem, in eo eſſe ſitam, quod Iudæi ſub veteri tenebantur per tenebras quærere Chriſtum, quem qui quæſierunt, invenerunt; nos autem ſub novo, inquiſitione non egemus, quia iam Chriſtus inter nos apparuit habitu inventus vt homo, & *Nos omnes*, ait Apoſtolus, *revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem tranſformamur à claritate, in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* 2. ad Cor. 3. 18.

15 Lux itaque iſta quæ ſub velamine remiſſe ſplendebat, cum poſteà patens, amotis vmbris, illuxit, nil mirum quod nobis afferat vividiores mentis illuſtrationes, flagrantia cordis incendia per eum qui ignem venit mittere in terram, ſcilicet abundantiores gratias, quarum ipſum theſaurum, & omnia cum eo ſimul nobis Deus donavit. *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis* Ibi. 4. 6.

16 Non ſic tamen vt effectus tantæ gratiæ fiant ab ipſo in nobis, ſine nobis, quod intendit Queſnellius, fœlicitatem novi fœderis, ponens in eo, quod Deus nobis donat quod petit à nobis, quod iubet nos facere. Donat vtique nobis ſuam gratiam, eamque abundantiſsimam, cuius proinde ſublimitas ſolius virtutis Dei eſt, & non ex nobis: ſed tamen opera bona, ſalutaria, ac meritoria, quæ per gratiam fiunt, noſtra ſunt, & ex nobis gratiæ cooperantibus ſunt. Hoc enim de ſemetipſo benè operante teſtatur idem ipſe qui dixit: *Non ego ſolus, ſed gratia Dei mecū.* Et qui ad alios ait: *Exhortamur nè in vacuū gratiam Dei recipiatis*; gratiam ſcilicet illam qua Deus vocat, allicit, trahit voluntatem quando, & quomodo oportet: *Ait enim, tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adiuvi te.* Ibi. 6. 1.

17 Neque hoc tantum in novo fœdere, quamvis copioſiùs in iſto; ſed etiam in vetere: quippè in iſto extant prædicta verba prius dicta Iſraëlitis, per ipſum omnium Redemptorem, per Prophetam prænunciatum, & ipſo veteri fœdere præfiguratum: *Hæc dicit Dominus Redemptor Iſraël .... Hæc dicit Do-*

Iſai. cap. 49. 7. 8. *minus: in tempore placito exaudivi te; & in die ſalutis auxiliatus ſum tui, & ſervavi te, & dedi te in fœdus populi.* Illis ergo ſub ſuo fœdere, quemadmodum, & nobis ſub noſtro, parata erant, donataque fuere per Chriſtum, auxilia, quibus, & præcepta divina adimplere, & ſalutem conſequi poterant, dummodò non litteræ dumtaxàt adhærentes, ad legis ſpiritum, ad ſenſum ſpiritualem mandatorum attenderent; quod ipſe Deus per eundem Prophetam videtur intendiſſe his verbis: Cap. 48. 17. *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus Sanctus Iſraël: Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas. Utinam attendiſſes mandata mea!*

18 Habes Quſnelli, habes quicumque ſis Janſeniſta, Deum docentem homini vtilia in veteri fœdere; Deum adiuvantem, & gubernantem ipſum, ſi ſua attendat mandata: & adhùc effutire audes, *Quæ vtilitas pro homine in veteri fœdere?* Ac ſi in illo, ſeu per illud, quia omnino invalidum, & ex omni ſua parte imbecillum, Deus haberet impeditam ſuam infinitam virtutem, & potentiam, ne homines ſub eo fœdere conſtitutos iuvare valeret. Iſai. 50. 2. *Numquid*, ait ipſe, *abbreviata, & parvula facta eſt manus mea, ut non poſſim redimere? Aut non eſt in me virtus ad liberandum?* Forsàn ne id præ pudore affirmabis, quamvis illud inverecunde dicas, vnde iſtud inevitabili blaſphemia, velis, nolis, concluditur.

19 Audet, nec modeſtiori ore, Anonymus imponere Auguſtino ſui Queſnellij erratum. At luce clarius eſt quam longè ab eo diſtet S. Doctoris ſententia ſincerè, & conformiter illuſtrata tot illis teſtimonijs quæ nuper contra primam de hac re propoſitionem expendimus, & quæ hic repetere conſilium non eſt. Quæ verò Anonymus allegat, veriſsima cum ſint, & ſanctiſſimam doctrinam complectentia, violentèr nimis, & extortè conducuntur in confirmationem erroris.

20 Quod enim ſine adiutorio gratiæ quo præcepta adimpleantur, nihil aliud ſit lex iniungens præcepta, niſi virtus peccati, dum per prohibitionem legis concupiſcentia augetur; quia, ſcilicet, nitimur in vetitum, vt crebrò docet S. Auguſtinus; hoc equidèm verum eſt ex culpa hominum, & triſti experientia notum. Sed an propterea exindè colligatur tanquam acceptum Auguſtino, quod lex ve-

vetus nihil aliud omnino erat niſi virtus peccati, quia nihil prorsùs aliud de ſe afferebat, aut faciebat, niſi vetare mala, & turpia, vt vires concupiſcentiæ augerentur? Hoc profectò, nec tortis funis ex illo trahi poteſt, nec ſine iniuria Dei dici, de lege ab ipſo conſtituta, neque abſque inſigni mendacio Auguſtino attribui valet.

21 In eo quippè libro, vndè primum teſtimonium deſumpſit Anonymus, pluries ea ſtatuit quæ tam immanì abſurdo penitùs adverſantur. Et præcipuè cum ante teſtimonium allegatum probaſſet ex Scriptura liberum arbitrium in voluntate indifferens ad bonum, & malum, habitum a Gentilibus ſine lege, & à Iudæis ſub lege, & propterea vtroſque peccantes iudicari, & puniri, Iudæos autem graviùs, de his hanc reddit rationem: *Quis audeat dicere Iudaos qui in lege peccant, non eſſe perituros cum in Chriſtum non crediderunt?... Sine fide enim Chriſti nemo liberari poteſt, ac per hoc ita iudicabuntur, vt pereant.* Et quod illi non poterant excuſari ignorantia, docet ſequentibus.

De Grat. & lib. arb. c. 3.

22 *Nec tamen ideò confugiendum eſt ad ignorantia tenebras, vt in eis quiſque requirat excuſationem. Aliud eſt enim neſciiſſe; aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippè in eo arguitur de quo dicitur: Noluit intelligere, vt benè ageret.* Qui verba iſta tantiſper conſideret, inveniet proculdubiò doctrinam omninò contrariã propoſitioni Queſnellij, & noſtris theſibus nuper ſtabilitis apertè faventem. Qui namque ita diſſertè affirmat, in lege illa graviter peccaſſe, qui noluerunt, ſcire, cognoſcereque, & credere in Chriſtum, nullam habentes excuſationem ex ignorantia, & conſequentèr neque ex impotentia, petitam; qui & idcircò non benè egerunt, non quia non potuerunt, ſed quia noluerunt intelligere, vt benè agerent: id inquam qui affirmat, noſtram de re iſta theſim ſuperiùs ſtabilitam manifeſtè confirmat, & adverſam proinde Queſnellianam propoſitionem apertè refutat.

23 Sanè non poteſt neque à mendacio, neque a contumelia in Auguſtinum excuſari Anonymus, dum S. Doctori imponit quod cenſuerit prorsùs inutilem legem veterem, quia dixit, ſine gratia adiuvante, legem eſſe virtutem peccati, ob incrementum concupiſcentiæ; & quod lex dicens: *Noli vinci à malo,*

lo, nihil prodeſt, niſi gratia ſuccurrente fiat; ac ſi iſta docens (quæ etiam de lege Evangelica vera ſunt) ſimul ſentiat, nullam in lege veteri dari gratiam, qua adiuvante præcepta illius impleri valerent: cum tamen contrarium ab ipſo in allegatis verbis diſſertè ſtatutum habeatur. Nec perſuadebit, & ſi ſuadebit, Anonymus, quod Auguſtinus voluerit in capite quarto retexere, quæ in tertio eiuſdem libri ex inſtituto firmaverat.

24 Nec meliori fide allegat alterum eiuſdem S. Patris teſtimonium, cuius idem omnino ſenſus, ac in præcedenti eſt. Ex eo tamen prætermiſit verba, pauca quidem, ſed cum ad rem ſint, neque alias faſtidioſum, aut longum reddant inſtrumentum, non videntur omninò candidè tranſmiſſa: quodque Tertullianus quondam Marcioni, hoc ipſum ſibi dictum putet Anonymus qui eis interpunctionibus ſępè vtitur. *Quantas autem foveas in iſta, vel maximè Epiſtola Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de noſtri inſtrumenti integritate patebit.*

Lib. 5. Adverſ. Marc. 13

25 Integrum itaque Auguſtini teſtimonium ita ſe habet. *Littera prohibens peccatum, non iuſtificat hominem, ſed potius occidit augendo concupiſcentiā, & iniquitatem, prævaricationem cumulando, niſi liberet gratia per legem fidei quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum diffunditur charitas in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum.* Ex his placuit Anonymo pauca iſta prætermittere: *Per legem fidei quæ eſt in Chriſto Ieſu*, vt nimirùm reliqua cum ſenſum facerent, quod nempè a lege veteri ſola mors, ſola iniquitas, & prævaricatio veniant, niſi liberet gratia. Quod quamvis verum ſit de lege ſumpta pro littera tantum, de qua ſola expreſsè Auguſtinus; veriſimum etiam eſt, quod ab illis funeſtis litteræ effectibus, poteſt liberare gratia per legem fidei iuxta ipſum, ideſt, per illam partem ſpiritualem, & figurativam eiuſdem legis qua homines ad fidem, & gratiam Chriſti ſub littera velati ducebantur

De Spir. & Litt. cap. 14.

26 Et quod iſte ſit genuinus S. Auguſtini ſenſus, ab eo, & intentus, & expreſſus, patet tum ex ſequentibus, quibus poſteà ibi ita concludit. *Apparet igitur litteræ vetuſtatem, ſi deſit novitas ſpiritus, reos facere potius cognitione peccati, quam liberare à peccato .... Non quia ipſa lex malum eſt, ſed quia mandatum bonum habet in lit-*

littera demonſtrante, non in adiuvante ſpiritu. Tum ex his quibus ſequens caput inchoat. *Hæc gratia in teſtamento vetere latitabat, quæ in Chriſti Evangelio revelata eſt.* Ac tandem alibi: *Littera legis neminem iuſtificat; ſed velamen poſitum eſt in lectione veteris teſtamenti, donec ad Chriſtum tranſeatur, & auferatur velamen, ideſt tranſeatur ad gratiam, vt intelligatur ab ipſo nobis eſſe iuſtificationem, qua faciamus quod iubet.*

Ibi. cap. 25.

Ibi. cap. 27.

27 Mitto plura, ſatis namque iſta ſupra tot ſuperiùs allata, ad demonſtrandum quam longe ab intento Queſnellij, & Anonymi, ſtet Auguſtinus. Illi, nulla facta diſtinctione litteræ, & ſpiritus, abſolutè pronunciant, legem veterem fuiſſe inutilem, imò exitialem, occidentem, mortificantem, non vivificantem; debilitantem, non adiuvantem; ad peccandum ſuadentem, allicientem hominem, non a peccato liberantem: Deum per illam iubere facienda, imò iubere factu impoſsibilia; non autem facere, aut vllo modo dare quæ fieri iubebat.

28 Auguſtinus ex oppoſito diſtinguens perſpicuè in lege ſpiritū, & litterā, ac ſemper in hac diſtinctione perſiſtens, ſuperiora quæ Queſnellius de lege dicit, litteræ tantum attribuit, non tamen vitio illius, ſed culpa hominum facta. Spiritui autem legis latenti ſub velamine litteræ, diverſos longè effectus aſsignat; ſcilicet quod adiuvat, vivificat, liberat, iuſtificat, facitque vt faciamus, ſed tamen liberè, quidquid littera iubet. Hæc eſt S. Auguſtini perpetua, & conſtans doctrina, à qua quantum decrret propoſitio, & ſententia Queſnellij, ab Anonymo, invito ſuffragio, ſuffulta, vel cœcus videat.

29 Et vel ipſe Anonymus, aut quicumque alius Janſeniſta, & Queſnellij ſectator, ſi aliquantulum indocilis eſſe deſinat, cognoſcet ſuam de lege vetere exiſtimationem iniquam eſſe, nec minùs ab extremo erroneam, quam fuerit Pelagianorum opinio, qui legem veterem, litteram dumtaxat exteriùs docentem, ſine gratia, ſine ſpiritu interius adiuvante, ſufficientem ad mandata obſervanda, ad non peccandum, ad benè operandum, prout oportet, dicebant. Moderni autem Novatores, vt quam longiſsimè ab eis diſtent, in extremum prorſùs contrarium impingunt: at hoc planè eſt à *quinque ſcopulis deſilire in fluctus*: ſeù potiùs, à quinque ſcopulis

Pe-

Pelagianis, in quinque ſcopulos Janſenianos.

30 Cum itaque Pelagiani litteram legis vivificantem propugnent: Queſnelliſtæ autem ex adverſo ſpiritui legis veluti mortificanti contradicant, nulla iniuria ad alios, & alios corripiendos, vtimur his Auguſtini verbis. *Et iſti indociles, contra legem Dei cæci, & contra vocem Dei ſurdi, occidentem litteram vivificare dicunt: Et* (illi) *vivificanti ſpiritui contra dicunt.* Equidem indociles, qui neq; cũ a ſupremo Eccleſiæ Navarcho clavum fidei tenente, cui deſuper data eſt infallibilis peritia vitandi vtrinque ſcopulos, Charybdes, Scillaſque, edoceri ſuſtinent.

VIII. PROP. COND.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Heb. 8. 10. *Nous n'appartenons à la nouvelle alliance, qu'autant que nous avons part à cette nouvelle grace, qui opere en nous ce que Dieu nous commande.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De nat. & Grat. cap. 17. SANCT. Auguſtinus. *Sub lege eſt enim qui timore ſupplicij quod lex minatur, non amore Iuſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati ..... In quantum quiſque ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege, quia in quantum condelectatur Legi Dei, non eſt ſub legis timore.*

REFLEXIONES ANONYMI.

ESSE ſub lege, ſanè eſt ſub veteri fœdere eſſe. Nemo enim ſpectat ad novum fœdus, niſi quatenùs liber eſt à ſervitute legis. S. Paulus expreſsè ait, quod ſi ſpiritu ducimur, non iam ſub lege ſumus. Undè conſequentèr nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus

mus illius ſpiritus, qui ſic nos ducit, operando ſcilicet in nobis, hoc ipſum quod nobis præcipit.

ANIMADVERSIONES.

1 DUm Queſnellius, & Anonymus, ſatagunt vtriuſque fœderis iura, & proprietates diſtinguere, callide illa confundant, viam ita parantes, ſeu recta ducentes ad gratiam fataliter neceſsitantem. Neque enim Apoſtolus, neque S. Auguſtinus, neque vllus ex SS. PP. vnquam docuit pertinere ad novum fœdus eos, in quibus Deus ſua gratia operatur id quod ab ipſis operandum præcipit. Longè à Paulo, & SS. PP. quin, & à quocumque viro Catholico ſenſus iſte Janſenianus, anteà Calvinianus. Utque nihil hic dicam de hoc modo operandi in nobis, ſine nobis liberè volentibus, & potentibus nolle; per gratiam reverà novam, imò Apoſtolo, & Patribus inviſam, de quo ſuo loco; ſat erit prædictam propoſitionem quo ad alia fallacem, ſimul, & falſam demonſtrare.

2 Obvius namque ſenſus illius, & per reflexionem Anonymi ſat explicatus, eſt, quod nos non alitèr, vel ob aliud, pertinemus ad novum fœdus, niſi quia à Deo accipimus novam quamdam gratiam quæ in nobis operatur, id quod Deus nobis præcepit operandum; vel vt exponit Anonymus: quia ducimur ſpiritu qui operatur in nobis idipſum quod iubet. Ex quo iudicent rogo legentes, vel mediocriter ſapientes, ſi neceſſario conſequantur iſta: Ergo non pertinemus ad novum fœdus, quia Deus illud inijt nobiſcum per filium ſuum in carne noſtra apparentem? Ergo non pertinemus ad novum fœdus, quia ipſe Deus ex nobis natus, pro nobis paſſus, crucifixus, mortuus, delevit quod adverſum nos erat chirographum decreti, affigens illud cruci?

3 Rursùs: ergo non pertinemus ad novum fœdus, quia Sanguine Chriſti redempti ſumus à maledicto legis, & fœderis veteris, factique liberi à ſervitute legalium, qua libertate Chriſtus nos liberavit? Ergo non pertinemus ad novum fœdus, quia caractere Chriſtiano ſignari, regenerati per Baptiſmum, & tot alijs Sacramentis locupletati, ac muniti, iam non dicit nos

nos ſervos, ſed amicos; & cum eſſemus filij iræ, filios amoris, filios pacis, filios Matris ſuæ, adhuc etiam contra ſe pugnantes, appellat. Ergo tandem non pertinemus ad novum fœdus, quia ex parvulis, facti perfecti, iam non egemus Pædagogo qui ad ipſum nos ducat, non opus eſt nobis eruditore, qui de ipſo loquatur. Ipſemet, ipſe ad nos venit docere nos. Ipſe, & miſsit Spiritum Sanctum, qui & eadem nos docuit ſuggeſſitque nobis omnia quæcumque & ille dixit.

4 Hæc proculdubiò, & alia eius generis ſunt, quæ Scriptura, quæ Sancti Patres paſsim, & vbique prædicant, tanquam inſignia, & perſpicua ſigna pertinentium ad novum fœdus Evāgelij. Unus tamen Queſnellius, & O quantus Doctor! Unuſque Anonymus, dignum patella operculum, harum notionum, vel immemores, vel contemptores, ſolam gratiam quæ nos prorsùs impellat ad exſequenda mandata, ſolum ſpiritum ſic nos ducentem, vt in nobis operetur quod iubet, volunt eſſe notam tritam, & probatam Paulo & Auguſtino teſſeram illorum qui pertinent ad novum fœdus, quamvis neuter illam cognoverit, vel deſignaverit.

5 Verum inquit Queſnellius: Paulus dicit teſtamentum, & fœdus novum ſic diſpoſitum, vt leges illius dentur in mentem, & ſcribantur in corde. Ita planè, ſed quid iſta ad propoſitionem Queſnellij? Nihil prorsùs ad carmen. Quod enim ſenſu recto colligitur eſt, nos ad illud fœdus nobiſcum initum pertinere, quia edocti ab ipſo Deo carne noſtra induto, non indigemus Pædagogio alterius. Id quod Paulus ſtatim docet ex prophetia Ieremiæ: *Et non docebit*, inquit, *vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum dicens, cognoſce Dominum, quoniam omnes ſcient me*: ac ſi per hæc quaſi digito demonſtraret pertinentes ad novum fœdus, & teſtamentum, quod Deus per incarnatum Filium ſuum nobiſcum ſancivit; & quidem cohærentèr ad differentiam vtriuſque fœderis per Ieremiam vaticinatam, & fusè a nobis ſupra ex Auguſtino hunc eundem textum exponente enucleatam. Cadit ergo cauſa ipſo ſuo deſiderato patrocinio Queſnellius.

Hier. 31.

n. 141.

6 Sed ſuccurrit Anonymus dicens: Paulus ait, *quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*: Ergo per hoc quis ad novum fœdus pertinet, quia

Ad Gal. 5. 18.

quia ſpiritu ducitur. Ita quidem, & hoc ipſum docet S. Auguſtinus loco ab Anonymo conducto; ſed extra oleas fertur Anonymus cenſens, quod qui ſpiritu ducuntur, propterea pertinent ad novum fœdus, quia fiunt participes gratiæ quæ in eis operatur id quod Deus præcipit. Abſonum prorſus gloſſema, & à re alienum, ac ſi idem foret duci ab ſpiritu, & à gratia perduci.

7 Non id Apoſtolus ſuis verbis ſignificat, non id Auguſtinus ſua expoſitione intendit. Paulus namque ibi admonet Galatas, ne redeant ad obſervantiam legalium, quia jam evacuata erant per Chriſtum: quod idem prorſus eſt, ac non jam legis littera, ſed ſpiritu ſolo debere duci ad credendum, quia *ubi venit fides, jam non ſumus ſub Pædagogo*: & habentes Chriſtum ducem, alio non egemus. Hoc ipſum S. Auguſtinus loco allegato, & alibi, ac ſemper docuit. *De lege præſumis*, inquit, *quia lex data eſt tibi lex, & datum eſt tibi præceptum. Bonum eſt tibi vt ſpiritus te vivificet, ne littera occidat, volo vt velis. Sed non ſufficit vt velis, adjuvandus vt plenè velis, & implens quod velis. Non vis videre quid valeat ſine ſpiritu adjuvante, littera jubens? .... Quia ubi gratia non erat, auxit prohibitio deſiderium .... Sed quid fecit gratia? Ubi abundavit peccatum, & ſuperabundavit & gratia. Venit Dominus, totum quod de Adam traxiſti, totum quod tuis pravis moribus addidiſti, totum dimiſit, totum delevit, orationem docuit, gratiam præmiſit, certamen indixit, laboranti ſubvenit, victorem coronavit.*

Ibi. 3. 25.

Serm. 1. de Verb. Apoſt.

8 Hæc quæ veniens Chriſtus nobis attulit abundantèr, faciunt nos pertinere ad novum fœdus ab ipſo diſpoſitum. Verùm hæc eadem per anticipatam ſolutionem ſuorum meritorum, contulit Deus quærentibus ipſum in lege veteri; qui non tantum litteræ fidentes, nec præſumentes de operibus duntaxàt externis per eam præſcriptis, ad ſenſum ſpiritualem aſſurgentes, & inde ad fidem Chriſti venturi pervenientes, adjuti ſunt potenti gratia ipſius, vt vellent, & plenè vellent legem adimplere: ſicque & illi ducebantur ſpiritu, lege ſcilicet ſpirituali, & cujus vivificans ſpiritus ipſe Chriſtus eſt, non lege carnali, & purè litterali quæ infirmata per carnem occidit, ſed lege ſcripta in eorum cordibus, & non tantum in tabulis lapideis. *Si ergo ſcribatur lex*

Serm. 6. de Verb. Apoſt.

De in corde tuo, non foris terreat, ſed intus mulceat: tunc lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, inquit idem S.D.

9 Qui igitur ex Iudæis hoc modo ſe geſſere, vt iuſti illi ab Apoſtolo laudati, pertinuerunt ſane ad fœdus novum, quamvis fuerint veteris teſtamenti Patres: quemadmodum, & qui ex Chriſtianis, opera tantum externa legis, & timore perversè ſervili faciunt, nempè ob metum ſupplicij ortum ex inordinato amore proprio; iſti non iam ad novum, ſed ad vetus fœdus iurè pertinere dicuntur, iuxta celebrem diſcretionem
N. 130. fol. 235. factam ab Auguſtino, & à nobis non ſemel laudatam, eorum qui ſunt ſub lege, eorum qui in lege, & eorum qui ſine lege. Nam ſicuti Iudæi poterant fieri ſpirituales per gratiam, & ideò non ſub lege, ſed in lege; ſimilitèr Chriſtiani fieri poſſunt culpa ſua carnales, & ideò non in lege, ſed ſub lege, iuxta illud: *Lex iuſto*
Ad Ti. 1. 9 De Spir. & Litt. cap. 10. *non eſt poſita, ſed iniuſto*, quod ad rem exponit Auguſtinus.

10 Non autem idcircò cenſendum eſt, quod fœdus vetus ex ſua inſtitutione, vel ex intentione conditoris, fecerit carnales, aut impediverit fieri ſpirituales, eos quibuſcum initum fuit. Procùl id à ſanctiſsima Dei intentione, & benigniſsima erga homines providentia, qua hoc fœdus cum illis diſpoſuit, eamque inſtituit legem, vt rectè vivere, & ſpiritualia deſiderare, & aſſequi poſſent, vt multis demonſtravimus ſupra vbi de materia, fine, & effectibus veteris legis. Quamobrèm proptereà dicuntur Num. 18. Fol. 201. pertinere ad fœdus vetus Chriſtiani carnales, quia imitantes Iudæos, qui ex maiori parte ſuperbi, duraque cervice, & incircunciſis cordibus, nimiùm de ſuis operibus externis præſumentes, & fidentes, cenſebant totam legis veteris obligationem, & virtutem, in ſola littera ſitam; ad quam proindè dicitur pertinere Chriſtianus, qui ſimili practico, & culpabili errore carnalitèr tantum vivit, quem S. Auguſtinus ſic hortatur: *Clama ad Deum tuum, adiuvet te, non remaneas ſub littera reus: de ſpiritu ſuo te adiuvet Deus, ne ſimilis ſit tibi ſuperbus Iudæus.* Serm. 1. de Verb. Apoſt.

11 Cum itaquè certiſsimum ſit, quod niſi Deus adiuvet quemlibet, ſivè Iudæum, ſivè Chriſtianum, impoſsibile eſt, quod ille ſua præcepta adimpleat, ſuamque legem obſervet; propterea æque certum eſt, quod quicumque ſive Iudæus, ſive

Chriſ-

Chriſtianus, divinæ gratiæ adiutorio fretus, rectè vivit, & Dei mandata exequitur, non remanet ſub littera reus; non eſt ſub veteri fœdere, ſed ad novum pertinet. Aſt quod Iudæi omnes, iniuſti etiam, potuerint per gratiam Dei adiuvari ad legem implendam, & quod infallibilitèr iuvarentur, ſi legitimè vſi fuiſſent, vt poterant, ea lege, ſcilicet, ſi vterentur illa tanquam Pædagogo, quo ad ſenſum ſpiritualem, ad Chriſtum & eius gratiam ducerentur; adeò claré docet Auguſtinus, vt nulla tergiverſatione poſsit aliter explicari. *An, & iniuſtus*, inquit, *vt iuſtificetur, ideſt, vt iuſtus fiat, legitimè lege vti debet, qua tanquam Pædagogo perducatur ad gratiam, per quam ſolam quod lex iubet poſsit implere.*

De Spir. & Lit. cap. 10.

12 Quis iam non videat ſequi exinde, quod Iudæi obſervantes, quia divina gratia adiuti, ad novum fœdus pertinebant? Quod reliqui omnes potuere ſimilitèr ad illud expectare, ſi per ipſos non ſteterit? Qua ergo fronte, qua ſinceritate, pronuntiat Queſnellius, nos, Chriſtianos ſcilicet, non ob aliud pertinere ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus novæ gratiæ operantis in nobis quod Deus iubet? Equidem eiuſdem gratiæ per Chriſtum cuius nos participes ſumus, participes fuerunt Iudæi iuſti, participes ſimilitèr eſſe potuerunt Iudæi iniuſti, ſi ſua lege legitimè, vt alij, vterentur. Erit nè ea gratia propterea nova, quia nobis ſemper ad agendum donata, Iudæis ſemper fuerit negata? Utrumque abſurdum.

13 Ex ſenſu tamen Queſnellij, ex ſententia etiam Anonymi, vtrumque inevitabilitèr ſequitur, aut potiùs apertè aſſeritur. Nam non aliud ſuadere tentant, non aliud ſtatuunt, niſi quod divina lex cunctis ſuis præceptis docebat tantum, inſtruebat de agendis, atque ita extrinſecus dumtaxàt iuvabat; non intrinſecus, nulla namque interior gratia ſuccurrebat qua interior impotentia voluntatis ad præcepta implenda tolleretur. At id quam falſum ſit, conſtat tùm ex laudatis teſtimonijs Patrum contrarium apertè docentium: cùm ab exemplo eorum qui ex Iudæis iuſti, & obedientes divinis mandatis fuere, qui ſanè non ſolo adiutorio extrinſeco legis, non ſola inſtructione per illam, ſed vlteriùs internè à Deo adiuti, & ſua gratia roborati, eius præcepta adimplevere.

14 Sic profectò Salomon,

mon, vt nihil de alijs dicam, adimplevit præceptum ædificandi templum Domino: neque illud fuit exequutus, Deo dumtaxat iubente, ſed inſuper adiuvante, non ſola inſtructione, ſed auxilio divino fretus. Ita quod Davidi Parenti propter effuſum ſanguinem fuit prohibitum, pacificus Salomon adimplevit. *Salomon quoque filius eius idipſum quod ipſe facere optaverat, iubente, & auxiliante Deo, perficit*, inquit S. Felix Papa IV. [Epiſt. 1. In dict. 5. de conſec. cap. 2.] Deo nimirum, & iubente, & auxiliante: vt obmuteſcat Queſnellius audiens, quod cum Deus aliquid faciendum iubebat, ijs etiam qui ad vetus fœdus pertinebant, ſimul eos auxilijs ſuis iuvabat, vt facerent, & vt opus perficerent.

15 Hoc eodem modo, & non alio, ſe gerit Deus nobiſcum, & in fœdere novo. Iubet quod facere debemus, & adiuvat vt faciamus. Suis præceptis nos inſtruit, doctrina dirigit: ſed ſimul ſua gratia ſuccurrit, vt quod ſola extrinſeca directione agere non poſſumus, potenti auxilio interioris gratiæ ſuæ roborati, exequi valeamus. Quamvis autem eodem vbique modo ſe gerat, eſt nihilominùs differentia in vtroque fœdere, & maxima, & perſpicua, quia in vetere quærenda erat vmbras inter, & figuras, gratia illa per Chriſtum ibi latentem: in novo verò inventa eſt, etiam à non quærentibus, & vberrima cum Chriſto, qui jam manifeſtus apparuit; iuxta diſcrimen ſuperius dictum de vtroque fœdere per prophetiam Jeremiæ expreſſum, & ibi ex S. Auguſtino explicatum, quod & alibi ad rem etiam attingit: [N. 150. fol. 241.] *Ut noveris*, inquit, *ipſam eſſe diſtantiam evidentiſſimam veteris, & novi teſtamenti.* [Serm. 6. de Verb. Apoſt.]

16 Non qualem Queſnellius ſomniat, non quam Anonymus audet tribuere S. Auguſtino, vt nimirùm eò pertineamus ad novum fœdus, quia tanta ſumus gratia adiuti, quæ in nobis operatur, quod Deus iubet: ac ſi non nobis, ſed gratiæ illud operandum iuberet. Talis profectò Gratia, negata Iudæis, liberè illos agentes; donata nobis, fataliter operantes faceret. Illi ea carentes, ſartam tectam ſuam libertatem haberent. Nos ea pollentes, amiſſam protſus noſtri arbitrij poteſtatem pateremur. Gratia hæc numquam cooperans, ſed ſemper ſola operans, gratia eſſe non poteſt, aut Paulo dicenti: *Non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum*: [De Grat. & lib. arb. cap. 17.] aut Auguſtino aienti,

Ut

Ut ergo velimus, ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur. De quo opportuniùs alibi. Interea id inſinuaſſe ſufficiat, vt vel ex hoc etiam præſens Queſnelliana propoſitio cenſeri debeat damnatione, & execratione digna, quia contra vtrumque Doctorem gratiæ prolata.

LXV. PROP. COND.

Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis, mortui ſunt abſque eo quod vllum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Moyſes, & les Prophetes, les Pretres, & les Docteurs de la Loi, ſont morts, ſans donner d' Enfans à Dieu, n' ayant fait que des Eſclaues par la crainte.

REFLEXIONES ANONYMI.

IEſus-Chriſtus filios Deo dedit (loquitur P. Queſnellius) *quia ipſe attulit ſpiritum adoptionis filiorum, qui eſt amor Dei.* Undè videndum quod ille opponit miniſterium Moyſis, miniſterio Ieſu-Chriſti, quod & ipſa Scriptura facit, dicens: *Lex per Moyſen data eſt; Gratia, & veritas per Ieſum-Chriſtum facta eſt.* *Marc. 16. 19.*

Neque etiam P. Queſnel negat, quod aliqui fuerint Juſti, & Filij Dei, tempore Moyſis, ac Legis: ſed quod ille negat, eſt, quod Moyſes, Prophetæ, & Doctores Legis fuerint, qui hoſce Juſtos fecerunt, ac Deo dederunt. Damnare hanc ſuam propoſitionem, eſt damnare S. Paulum dicentem, quod ſi lex poſſet vivificare, quod perindè eſt, ac dicere: ſi Juſtos facere poſſet; Jeſuſ-Chriſtus in vanum mortuus eſſet.

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De pecc. orig. cap. 24.

SANCT. Auguſtinus. *Unus eſt enim Deus, & unus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Undè S. Doct. concludit. Nullam perſonam, neque ante legem, neque tempore legis ſalvam fuiſſe, niſi ob mediationem Ieſu-Chriſti. *Lex data per Moyſen,* addit vltra S. iſte Pater, *non potuit à quoquam regnum mortis auferre.*

Ibi. cap. 5

ANIMADVERSIONES.

Lib. 10. contr. Fauſt. cap. 2.

1 E*Adem ſæpè vana repetere, iſtum non pudet: ſed eadem ſæpè, quamvis vera, reſpondere me piget. Quiſquis itaque etiam adverſus iſta reſponſionem quærit, quæ ſuperiùs à nobis dicta ſunt legat.* Hæc Auguſtinus de Fauſto Manicheo, & legis veteris Oſſere; hæc & nos de Queſnellio, & Anonymo eiuſdem legis detractoribus. Nam ſicut ille non nova quędam argumenta contra legem Moyſis, ſed iam oppoſita, & ab Auguſtino diluta, verbis alijs renovata, repoſuit; ſic & iſti, nè & in hoc ab illo diſſentiant, eadem, & ſemper rancida inculcant, nec quid novum in hac propoſitione eſt, quod in aliarum ſenſu non contineatur, & quod à nobis confutantibus illas, reprobatum non ſit.

2 Hæc autem quæ tam neceſſaria aliarum ſequela eſt, reliquarum abſurditatem patentiſsimè in ſe demonſtrat, vt propterea perverſum dogma iniquè confirmetur per id, quo manifeſtè redditur execrandum. Quid namque deteſtabiliùs, quam id vndè concluditur tantum abſurdum, ac nefas dictu, quale eſt, quod Moyſes, Prophetæ, & legis Doctores, Deo ſolummodò dederint vilißima mancipia, per legem aliàs ab ipſo Deo inſtitutam, quam Moyſes tantum promulgavit, quam Prophetę, & legis Doctores dumtaxàt, tametſi divino afflatu, commendarunt, & illuſtrarunt: & quorum ingens hæc propoſitio iniuria cum ſit, ingentior propterea Dei legiſlatoris blaſphemia eſt, niſi erroneum prorsùs axioma illud cenſeamus, *propter quod unum-*

unumquodque tale, & illud magis. Si namque Moyſes vecors, ac maleficus, quia legem promulgavit mancipia tantum facientem: qualem quæſo effinget Queſnellius Deum, eam legem condientem, inſtituentem, quæ homines ſibi alioqui charos, ſuis ſanctionibus abiectos ſervos, mediaſtinoſque efficit?

3 Id profectò, vt omnino præfatæ propoſitioni conſentaneum, ſufficiebat ad eam deteſtandam. Sed præterea illa manifeſtè diſpellitur doctrina S. Auguſtini, cui planè contradicit. Tantum abeſt vt S. Doctori ſententia adeò diſſona attribui poſsit, etiam à petulante Anonymo: quod antequam teſtimonijs illius evincam, non abs re erit recolere diſſerta illa verba Tertuliani ſuperiùs allegata, & quibus ad rem exponit illa alia Chriſti Domini quæ extant apud Lucam: *Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos.* Num. 13. fol. 180. Cap. 16. 29.

4 Itaque diviti damnato, & roganti vt Abraham mitteret Lazarum in domum patris ſui ad quinque fratres admonendos, ne vt ipſe in tartarum venirent; reſponſum eſt, illos habere Moyſem, & Prophetas quos audiant: vt quid autem rogo? An vt fierent mancipia, & tartaro digna capita? Ita procuidubiò, ſi credimus Queſnellio, & Anonymo aſſerentibus, Moyſen, & Prophetas nullum filium, mancipia tantum dediſſe Deo. Et ad hoc beningniſsimus Dominus loquens ſub perſona Abrahæ, Moyſen, & Prophetas audiendos vellet, præciperet, hortaretur? Apage. Ipſe namque horrendam iſtam de ſe retundit blaſphemiam, nimirum, dicens ſe per ſuos Miniſtros, non ſervos, ſed filios, Iudæos gignere: *Filius meus Primogenitus Iſraël. Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Filios enutrivi, & exaltavi.* Et mille eius generis, quæ evincunt intendiſſe per legem ſuam, per Moyſen, per Prophetas, filios ſibi facere, non mancipia. Exod. 4. 22. Pſal. 81. 6. Iſai. 1. 2.

5 Hoc Tertulianus loco dudùm inſinuato, hoc SS. PP. exponentes allegatum textum, hoc Auguſtinus perſpicuè docet, inquiens: *Quod Abraham dicit, ſi volunt credere habent Moyſen, & Prophetas, non iſtos Evangelio præpoſuit, ſed quia Evangelium, ſicut dicit Apoſtolus, teſtimonium habet à lege, & Prophetis, illis credendo poſſe eos ad Evangelium pervenire.* An hoc eſt per Moyſen, per Prophetas fieri mancipia? haudquaquàm: niſi Queſnellius Lib. 2. quæſt. Evang. cap. 38.

lius dicat, Ioannem nos decipere, niſi Anonymus velit erraſſe Auguſtinum paulò poſt ita loquentem: *Undè enim nunc Filij Dei ſumus, niſi quia poteſtatem dedit nobis filios Dei fieri credentibus in nomine eius?*

6 Si ergo voluiſſent Iudæi credere quæ per legem Moyſis præfigurabantur, quæ per Prophetas prænunciabantur, & maxime Chriſtum, tot figuris adumbratum, tot promiſſionibus futurum, quemadmodum ſic poterant anticipato ad Evangelium pervenire, poterant ſimiliter filios Dei fieri, vti fuere plures, & alii indubie quos fide præſtantes, & probatos laudat Apoſtolus. Non quod per legem ipſam, aut Prophetas, tanquam per cauſam principalem, aut per formam adoptionis, vel vt dicitur in Scholis, *formaliter* filij facti ſint, quod Anonymus ad frivolam excuſationem Queſnellij valere contendit: ſed per gratiam à Deo collatam, per Chriſtum adeptam, & ab eis quæſitam concluſam in lege; de qua aliàs, & de Chriſto eius Authore, cum per Moyſen, per Prophetas, per Sanctos legis Doctores ſufficientèr inſtruerentur, propterea hi fuere inſtrumenta, Miniſtrivè, vt ad eam; & ad fidem Chriſti perducti, acciperent à Deo *poteſtatem filios Dei fieri.*

Ad Hb. 11.

Ioann. 1. 12.

7 Hac igitur ratione apud S. Auguſtinum decantata, & crebrò repetita vt ex ſuperioribus conſtat, quemadmodùm lex non fuit ab inſtitutione, & intentione Dei lata, vt vilia faceret mancipia; ſed quinimò, vt populus tantoperè ſibi dilectus totus filiorum eſſet; ſimiliter nec Miniſtri à Deo electi ad legem promulgandam, commendandam, & explicandam, dici poſſunt, niſi cum ſumma Dei, & ipſorum iniuria, quod fuerint tantum mancipiorum genitores. Illi namque divina illuſtratione præventi, & Numine aſpirante, ad concluſam in lege fidem, ad Chriſtum, ad eius Myſteria ibi latentia, ad gratiam adoptionis ſubditos legis attrahere, & adducere ſtudebant, vt non adhærentes tantum, & fidentes litteræ legis ob timorem pravè ſervilem, qui ſola mancipia facit; ad ſenſum ſpiritualem tranſirent, ad Chriſtum cognoſcendum, credendum, & ad exorandam, ſperandam, accipiendamque per ipſum gratiam pervenirent. Profectò ſi Queſnellius audet Pædagogium iſtud, & legis, & Miniſtrorum eius, mancipationis officium æſtimare, audeat, &

ſta-

ſtatum ipſum liberrimum filiorum Dei, miſerrimam appellare ſervitutem.

8 Plurimi ex Iudæis, fateor, ſceleſti ſervi fuere, non tamen omnes. Illique degeneres, atque etiam exleges, non a Moyſe, non à Prophetis, ſed à ſemetipſis facti ſunt mancipia, & pravæ ſervitutis ex perverſo amore proprio improbum ſpiritum hauſerunt. Ijs nulla lex, quia littera ſola, vnica, & tota lex illis erat; quam neque vnquam, obſervabant, quia eius dumtaxàt opera externa, nec libenti, ſed reluctante animo adimplebant. Alij autē, quamvis ſervi, & timidi, non tamen mancipia, quia honeſta ſervitute, & timore non inordinato, ſed in Deum referibili (de quo fusè ſupra, & adhuc infra) ſervi, & timidi erant: hi inquam poterant ad filiationem tranſire, ad quod per legem, & Prophetas, extrinſecè, & inſtrumentalitèr iuvabantur; ſed potentiſsimè, & intrinſecè per fidem, & gratiam Chriſti: per quem lege præfiguratum, & à Moyſe, & Prophetis annuntiatum, ſpiritum adoptionis accepere qui iuſti, & obſervantes fuerunt, & ſimilitèr alij accipere valuerunt.

9 Hæc eſt expreſsiſsima S. Auguſtini ſententia, & doctrina, cuius aliud teſtimonium, tametſi alibi allegatum, hic inculcandum eſt, quia opportuniſsimum. Poſtquàm enim accuratè diſtinguit eos qui perversè timendo credunt, ab alijs credentibus fide ab Apoſtolo commendata, vt exinde diſcretionem filiorum, & ſervorum colligat cohærentèr verbis illis: *Non enim acccepiſtis ſpiritum ſervitutis, &c.* hæc habet. *Hinc ergo tranſeant qui ſub lege ſunt, vt ex ſervis, filij fiant: nec ſic tamen, vt ſervi eſſe deſiſtant, ſed vt tanquam filij Domino, & Patri, liberalitèr ſerviant, quia & hoc acceperunt; dedit enim poteſtatem ille vnicus filios Dei fieri credentibus in nomine eius.*

Ad Rom 8.
De Spir. & Litt. cap. 32.

10 Rogo enixè Lectorem vt iſta paulisper, & candidè perpendat, quia nec Queſnellij propoſitio poteſt paucioribus verbis apertius confutari, neque manifeſtius retundi audacia Anonymi allegantis in eius ſuffragium Auguſtinum. Hic namque loquitur S. Doctor cum iſtis *qui ſub lege ſunt.* Cum ijs nempè qui erant in veteri fœdere, per Moyſen, per Prophetas inſtructi: quos & hortatur vt tranſeant ab occidente littera legis, ad ſpiritum vivificantem, a timore quo ex comminatione litteræ con-

cutiuntur, ad fidem quam commendat Paulus, & qua Iuſtus vivit, ad fidem ſcilicet Chriſti, per legem adumbrati, & per Prophetas annuntiati, vt credentes in ipſum, ex ſervis, ſervitute aliàs non perverſa, filij fiant, accipientes ſpiritum adoptionis ab eo qui pervenientibus ad ſe per prædicta media, dedit poteſtatem filios Dei fieri.

11 Ex doctrina admodùm perſpicua, ac vera, vt vbique conformi Sacrę Scripturæ, evidentiſsimè conſtat quod non omnes qui erant ſub lege, mancipia fuere: quod Moyſes, & Prophetæ non nullos fecere ex ſubditis legis filios: quod reliqui omnes potuerunt ſimiliter filij eſſe, ſi bene vſi fuiſſent, & legis Pædagogio, & illorum inſtructione: quod deniquè impudentiſsimo mendacio Queſnullius firmat propoſitionem in qua aliàs cum aperta legis iniuria, cum blaſphemia in Legiſlatorem, & contumelia in eius Miniſtros, aſſeverat omnes iſtos mortuos fuiſſe abſque eo, quod vllum, vllum Deo filium dederint, quia ſuo miniſterio, ſua inſtructione, ſuis oraculis, non effecere niſi mancipia per timorem. Infelix porrò Moyſes, miſer David, infortunatique Prophetæ omnes, doctrina adeò infecundi, vt Queſnellio placet, qui filijs omninò orbati, canos ſuos ſine natis cum mærore ad inferos deduxere!

12 Nec modeſtior Anonymus mendacio, mendacium nititur protegere, imponens tanti erroris contumelioſum Auguſtino ſuffragium, quia dixit, neminem ante legem, neque tempore legis, ſalvum fuiſſe, niſi per mediatorem Chriſtum: & quod lex per Moyſen data non potuit à quoquam regnum mortis auferre. His duabus inconcuſſis veritatibus, abutitur Anonymus ad confirmandam falſiſsimam, & abſurdam propoſitionem. Paucis tamen, & tota eius machinatio diſiecta, & veritates prædictæ in ſuo germano ſenſu, qui palàm Catholicus eſt, firmiſsimæ apparebunt.

13 Etenim ab Apoſtolo edocti, fatemur vltrò, quod Deus ante legem: *Ex fide Chriſti iuſtificat gentes: Et gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt.* Ita ergo ante legem qui ſalvi facti fuere, per vnicum mediatorem Chriſtum in quem, vel explicitè, vel ſaltem implicitè crediderunt, ſalvi facti ſunt. Tempore item legis per fidem ſolummodò Chriſti, eoque Mediatore,

Ad Gal. 3. 8.
Ad Rom. 9. 30.

tore, iuſti, & ſalvi fuere qui in ipſum credidere, *teſtimonio fidei probati.* Scimus etiam, & fatemur, quod plurimi qui erant ſub lege, perierunt. *Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderant enim in lapidem offenſionis.* Non quod lex ipſa, aut Moyſes, illos ad Regnum mortis perducerent, cum potius ille ad integram legis obſervantiam, qua viverent hortaretur: *Moyſes enim ſcripſit quoniam iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo vivet in ea.* Sed quia culpa ſua infideles fuere, nolentes credere in Chriſtum, à Moyſe, & Prophetis prænunciatum, à quibus ſermones de illo per legem præfigurato, & de iuſtitia per ipſum in eadem lege concluſa, tanquam eius ſpiritus vivificans, audiebant. *Sed non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fidei, ex ijs quæ audierunt.*

Ad Heb. 11. 39. *Ad Rom. 9. 32.* *Ad Rom. 10. 5.* *Ad Heb. 4. 2.*

14 En perſpicuam ex Apoſtolo doctrinam continentem legitimum illarum veritatum ſenſum, & ſimul contrariam propoſitionem Queſnellij diſcindentem. Quam doctrinam nos alijs, & alijs Scripturæ Sacræ, & SS. Patrum teſtimonijs, contra ſingulas Queſnellianas de hac re propoſitiones hactenùs, & quidem fusè explicavimus. Utque obvio illorum ſenſu ſimpliciter aperto, non extruſo, non extorto, ſana iſta doctrina vbique conſtans apparet, vtque etiam falſas, & prorsùs erroneas, quia eiſdem palàm adverſas, theſes Queſnellij demonſtrat, ſimiliter diſturbat penitus futilem, & malitiosè adornatam ab Anonymo, & à quocumque alio earundem defenſionem. Hanc eandem doctrinam ſemper, & conſtantiſsimè amplectitur Auguſtinus, qui neque vnquam à ſenſu illius, vel latum vnguem diſcedens, in his præſertim quæ crebrò de vtroque fœdere diſcutiendis, & exponendis aſſumit, ſolius ferè Pauli, cui perpetuò adhæret, ſententijs, quin & verbis vtitur; quod multis à me per totam hanc diſſertationem adductis, poterit Lector obſervare. In eo tamen, vel invito, vnus Anonymus patrocinium invenit ſuo Queſnellio.

15 Videndum autem quibus Auguſtini verbis id conatur ſuadere. Quia, inquit, S. Doctor ait, vnum eſſe mediatorem omnium, homo Chriſtus Jeſus: vndè ſequitur, neminem, vel ante legem, vel ſub lege, ſalvari, niſi mediatione ipſius. Et quia etiam ait, legem datam per Moyſen non potuiſſe ab vllo

hominum Regnum mortis auferre. Pauca quidem, ſana tamen, & vera ſunt verba iſta: ſuccus autem quem depromit Anonymus venenatus eſt: nam ex eis colligere tentat, quod S. Auguſtinus cenſuerit Moyſen, & Prophetas, nullum omninò filium Deo per legem dediſſe, ſed omnes effeciſſe mancipia, exhæredes, & Regno mortis addictos.

16 Quo autem conſilio hìc omiſerit Anonymus verbà omnia, ſeu integrum teſtimonium Auguſtini, non temerè conjiciet qui ea legat non truncata, quæque ſtatim exſcribam, vt non amplius in Anonymo ſinceritatem toties deſideratá quæramus. Oportuit autem verba S. Doctoris tacere, vt ſenſum ab eo alienum, & prorsùs abſonum, nobis propinaret. Nihil enim aliud in allegatis ab illo locis habet, ediſſerit, docet, niſi quod ſemper Apoſtolus, quodque nos hucuſquè ex vtroque, & ex alijs Patribus affatim ſtabilitum relinquimus. Pro quo ſatis ſuperque erit Auguſtinum à ſe loquentem audire.

17 Priori namque loco ab Anonymo allegato, hæc habet. *Unus eſt enim Deus, & vnus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Quoniam non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, ſub quo oporteat nos ſalvos fieri .... Itaque ſine iſta fide, hoc eſt ſine fide vnius mediatoris Dei, & hominum, hominis Chriſti Ieſu.... Nec antiquos iuſtos vt iuſti eſſent à peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia iuſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat, ſive in eis iuſtis quos Sancta Scriptura commemorat, ſive in eis iuſtis quos quidem illa non commemorat, ſed tamen fuiſſe credendi ſunt, vel ante diluvium, vel indè vſque ad datam legem, vel ipſius legis tempore, non ſolum in filijs Iſraël, ſicut fuerunt Prophetæ, ſed etiam extra eundem populum, ſicut fuit Iob, & ipſorum enim corda eadem mundabantur mediatoris fide.*

De pecc. orig. cap. 14.

18 Utque evincat hanc fidem fuiſſe medium, quia aliud non ſupererat, omnibus neceſſarium, ſubiungit. *Quamvis ergo mors regnaverit ab Adam, vſque ad Moyſen, quia non eam potuit vincere, nec lex data per Moyſen, non enim data eſt quæ poſſet vivificare, ſed quæ mortuos quibus vivificandis eſſet gratia neceſſaria, non ſolum peccati propagatione, & damnatione proſtratos, verum etiam ipſius legis addita prævaricatione*

convictos, deberet oſtendere, non ut periret quiſquis hoc in Dei miſericordia etiam tunc intelligeret, ſed ut per Regnum mortis ad ſupplicium deſtinatus, etiam ſibi ipſi per prævaricationem legis manifeſtatus, Dei quæreret adiutorium, ut ubi abundavit peccatum, ſuperabundaret gratia quæ ſola liberat à corpore mortis huius.

19 Plaudat ſibi fortaſſis Anonymus, quod in his invenit, legem datam per Moyſen non poſſe vivificare, ſeu non poſſe vincere mortem ex peccato contractam, & quod illa ſupra peccati labem, addit prævaricationis noxam. Verùm dum ſtatim audit de qua lege, vel de qua legis acceptione iſta dicantur, trutinet interea, quod etiam dicit S. Auguſtinus, non periturum ſub ea lege qui ex miſericordia Dei ærumnas illius intelligeret; quia nempè poterat Dei adiutorium quærere quo liberaretur à Regno mortis. Ex quo deprehendet Iudæum ſtantem ſub lege, poſſe ac debere intelligere aliquid aliud vltra quod lex extrinſecùs iubebat, & ſonabat: poſſeque ſimilitèr quærere Dei adiutorium, quo, & non niſi per Chriſtum mediatorem, liberaretur à morte.

20 Iam verò audiat de qua lege, aut in quo ſenſu de illa dicat præfata S. Auguſtinus. Finito namque eo capite, quod immediatè ſequitur & vndè etiam Anonymus ſuo Queſnellio defenſionem molitur, ita inchoat. *Quamvis ergo nec lex per Moyſen data potuerit à quoquam homine Regnum mortis auferre, erant tamen, & legis tempore homines Dei, non ſub lege terrente, convincente, puniente; ſed ſub gratia delectante, ſanante, liberante.* Lex itaque impotens auferre à quoquam Regnum mortis, invalida ad vivificandum, addenſque prævaricationem, convincens, terrens, & puniens, eſt conſtantèr, & ſemper Auguſtino, lex ex parte litteræ tantum, cui dumtaxàt adhærebant, & cui vnicè, & eius operibus confidebant, qui ex Iudæis fuere infideles. *Ibid. cap. 25.*

21 Fideles autem, & qui homines Dei erant, non ſub ea littera ſola, quaſi quieſcentes, & malè confiſi ſteterunt; ſed ad altiorem, & ſaluberrimum ſenſum ſpiritualem legis aſſurgentes, ad fidem Chriſti ibi occulti, præfigurati, prænunciati, tranſeuntes, facti per ipſum ſunt divina gratia iuſti, filijque, & homines Dei. De quibus, poſt multa ad id ab Auguſtino ex veteri ipſo teſtamento allata, addit: *Eodem ſpiritu fuei ab*

illis

illis hæc futura videbantur, quæ à nobis facta creduntur. Neque enim qui nobis iſta fideli dilectione prophetare potuerunt, eorum ipſi participes non fuerunt .... Illi per gratiam Domini Ieſu-Chriſti ſalvi facti ſunt, non per legem Moyſes, per quã non ſanatio, ſed cognitio eſt facta peccati.

22 Inſtat autem pertinax adhuc ſuis reflexionibus Anonymus, & ex ſuo, ac pro ſuo Queſnellio hæc blacterat: Chriſtus ad nos veniens, ſpiritum adoptionis filiorum nobis attulit, donavit: Ergo Moyſes ſpiritum ſervitutis, & mortis tantum ſua lege Iudæis communicavit; nam ita opponitur miniſterium Moyſis, miniſterio Chriſti, quod, ait, & ſcriptura facit, cum dicit: *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum-Chriſtum facta eſt.* Verùm apage horrendam planè ex inepta oppoſitione comparationem, ac verbis ipſis ſcripturæ adverſam: ac ſi ſolus Miniſter gratiæ foret Chriſtus, & non Author, per quem ipſa facta eſt, vt ſolus Miniſter legis fuit Moyſes, per quem lex, gravida gratiæ per Chriſtũ, ſolummodo data eſt.

23 Utque Anonymus, quantumlibet ex inveterata præoccupatione cœcus, videat nullam eſſe in eo quod ipſe, & Queſnellius intendunt oppoſitionem, niſi velit Chriſtum velatum, opponi Chriſto revelato; gratiam illius ſub lege occultam, pugnare cum gratia eiuſdem poſtea manifeſtata; audiat rurſus Auguſtinum hæc elegantiſsima verba ſupradictis ſubiungentem. *Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata per legẽ, & Prophetas. Si ergo nunc manifeſtata eſt, etiam tunc erat, ſed occulta ... Et tunc ergo iſta gratia unius mediatoris Dei, & hominum, hominis Chriſti Ieſu, erat in populo Dei, ſed tanquam in vellere pluvia, quam non debitam, ſed voluntariam ſegregavit Deus hæreditati ſuæ: inerat latens, nunc autem velut ſiccato illo vellere, hoc eſt Iudaico populo reprobato, in omnibus gentibus tanquam in area cernitur patens.* Vbi ſup.

24 Si hæc ſatis non ſunt vt Anonymus diſcat Auguſtinum ſuo Queſnellio apertiſsimè refragari in eo etiam loco vnde ipſius patrocinium nititur comparare; ſciat oportet, quod rurſùs, & ibidem capite ſequenti contra Pelagium, qui in cauſa iſta verus, & germanus Queſnellij patronus eſt, hæc quæ & ſibi, & illi dicta reputet, habet. *Hæc diſputantes à gratia Mediatoris iuſtos excludere conantur antiquos,* Ibi. cap. 26.

quos, tanquam Dei, & illorum hominum non fuerit mediator homo Chriſtus Ieſus, quia non dum ex vtero Virginis carne ſuſcepta, homo non dum fuit, quando illi iuſti fuerunt. Quam benè illa Queſnelliſtis congruant, ſola lectione præſentis, & ſuperiorum de eadem re propoſitionum, ſola perceptione ſenſus quem verba illa tum naturaliſsime præſeferunt, ſola inquam terminorum apprehenſione; iudicare poterit, qui vel etiam in vtramque cauſæ partem æquè paratus, vtraque conferre velit.

25 Iam ſi nefas foret ſentire, aut cenſere, quod inique S. Auguſtinus reprobaverit in Pelagio abſurda illa: quale, rogo, facinus erit indebitam blacterare cenſuram, iniuſtam proclamare ſententiam, qua ſuprema in terris, ac viva legis, & fidei regula, Sanctiſsimus Dominus N. Clemens XI. damnat in Queſnellio has eaſdem abſurditates, quas Auguſtinus iure merito improbat in Pelagio? Profectò flagitioſiſsimum, & quod non niſi a perduellibus hominibus perpetrari valet, qui & ſcelus adhùc ſcelere cumulantes, audent Auguſtinum ipſum ſuos, quos averſatur, errores approbantem, quin & docentem, compellare. Poterant equidem eadem inſania aſſerere Clementem ipſum eoſdem quos iuſto anathemate perculit, commendare. Neque enim vel minimum à ſenſu Auguſtini diſcrepat ab illo lata ſententia.

26 Sed neque à doctrina Pauli toties inculcata. Nec rurſus a dogmate Petri, cuius etiam in hoc dignus ille ſucceſſor eſt. Quid enim aliud in præſenti, & reliquis de hac re propoſitionibus, Clemens damnat, niſi quod manifeſtè contradicit Principi Apoſtolorum laudanti, & extollenti miniſterium Moyſis, & *1. Petr. 1. 10.* aliorum Prophetarum, quia in veteri lege exquiſierunt, & ſcrutati ſunt de ſalute, de gratia per Chriſtum: quæ & credentes in ipſum, non quidem mancipia, ſed filios Dei per eius paſſionem, & merita, facit? Sic namque illi non ſibimetipſis, ſed alijs, Numine adſpirante, & ſpiritu ipſo Chriſti ſignificante, *N. 179. fol. 151.* miniſtrabant. Satque ſit textum, & ſi oportuniſsimum ita ſummatim innuere, quem ſupra, vbi videri poteſt, retulimus, & explicavimus.

27 Ergo Queſnellio pervicacitèr obſiſtenti, audentique contra Petrum efficere Moyſen, & Prophetas miniſterio ſuo effeciſſe tantum mancipia, ſucceſſor ipſe Pe-

tri manus dabit? Tacebit? Suſtinebit? Aut ſi potius pro ſui muneris inſtantia, ac debito, pro defenſione ſanæ doctrinæ, & fidei, ſibi credita, manus eius arripuerit iudicium, quod ſui officij eſt; ſi acuerit vt fulgur gladium Petri, quod item ſuum eſt, erit ne propterea iniurijs laceſſendus, & tanquam Judex malè affectus, vltorque iniquus, infenſus, factioſus, erit interpellandus, & ad imaginarium, & nullibi erectum, nec ſupra ipſum vnquam erigendum Tribunal, vocandus? Nefas. Sed tamen ita inſolenter criſtas erigere Queſnelliſtis iubet adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum eius, qui quamvis inania meditati, hac via dirumpere moliuntur, dum ſolvi renuunt, vincula quibus & Petrus, & Clemens, quæcumque in terris ligant, ſunt & in cœlo ligata, quo repræſentantes atrox ſpectaculum, fœdum, deteſtabile in ſupremam Pontificiam poteſtatem, meritas pœnas ſin minùs evadant, Eccleſiæ pacem adimant, atque omnia ſus deque evertentes, quia flectere nequeunt ſupera, acheronte a movent.

28 Gratias tamen Deo, qui adverſus ſic rebellantes, talem petræ ſupra quam eius Eccleſia ædificata eſt, firmitatem, animi tantam conſtantiam, & fortitudinem dedit, adverſus quam portæ inferi prævalere non poſſunt. Utque eiuſdem ſanctiſsimi Clementis verbis vtar: *Agamus gratias Patri miſericordiarum, & Deo totius conſolationis, qui etiam diebus noſtris primevæ fidei inſtaurat exempla, donatque nobis vt coram intueri poſſimus fortem, ac conſtantem vera fidei Defenſorem.* Qui & vt Petrus *ipſe, terrena ſpernens, cœleſtia reſpiciens, nulla caducæ fœlicitatis cupidine illectus, nulla cuiuſvis diſcriminis formidine territus, ſublimi illa confeſsione, quam nec caro, nec ſanguis ei revelavit, ſed divinus Pater qui in cœlis eſt, Apoſtolico cordi inſpiravit, diverſa opinantibus alijs,* quæ credenda, quia vera ſunt docuit; quæ fugienda, quia erronea, & hæretica, damnavit. *Homil. in Feſt. SS. Petr. & Pauli. An. 1717.*

29 Denique, Queſnellium ipſum, ſuoſque aſſeclas quos merito increpamus, oraculo Principis Sacerdotum refragantes; hortamur etiam; ne legem veterem adeò inertem, ne ſuum Conditorem ita improvidum effingant, qui omnino vacuam gratiæ per Chriſtum inſtituerit legem. Quamvis enim nec dici queat, totam quo-

tam

tam & vberrimam gratiam Chriſtus nobis attulit, intra legis menſuram contineri, nefas etiam eſt aſſerere nullam prorsùs inter legis vmbras fuiſſe concluſam.

30 Et namque in vtroque ingens errandi periculum, vel ſi nimium menſuram legis producas, extollas; vel ſi nimium coarctes, & minuas: menſura eſt menſuræ adhibenda, non cuiuſcumque arbitrio, ſed quæ Scripturæ, & Patribus ſit conformis: & ad Eccleſiam, & Sacerdotum Principem conferenda, cuius eſt illam definire. Quod & nos de ea quam hactenùs tradidimus, libentiſsimè facimus. *Nemo ergo fidem ſub lege conſtituat*, aiebat S. Ambroſius, *Lex enim intra menſuram eſt, vltra menſuram gratia. Lex obumbrat, Gratia clarificat. Et ideo nemo fidem ſuam intra menſuram legis includat, ſed ad Eccleſiam conferat, in qua ſeptiformis ſpiritus relucet gratia, quam Princeps ille Sacerdotum fulgore ſupernæ diuinitatis illuminat, ne eam legis vmbra reſtinguat.* *Libr. 7. Comm. in Luc. cap. 11.*

§. V.

DE AMORE DEI.

XLIV. PROPOS. COND.

Non ſunt niſi duo amores, vndè volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.

PROPOSITION. DU. P. QUESNEL.

Ioann. 5. 9. *Il n' à que deux amours d' où naiſſent toutes nos volontez, & toutes nos actions, l' amour de Dieu, qui fait tout pour Dieu, & que Dieu recompenſe, l' amour de nouſmemes, & du monde, qui ne raportè pus à Dieu ce qui lui doit etre raporte, & qui par cette raiſon meme devoient mauvais.*

IUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Serm. 11.

SANCT. Leo, *Duo namque amores ſunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diverſæ qualitatibus, ſicut dividuntur authoribus. Rationabilis enim animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia .... cum Deus nobis dicit:* Diliges Dominum Deum

tuum.

tiuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, *in nullo nos vult ab amoris ſui vinculis relaxari.*

S. Gregorius. *Eſſe quidem ſine delectatione anima nunquam poteſt, nam aut infimis delectatur, aut ſummis, & quanto altiori ſtudio exercetur ad ſumma, tanto maiori faſtidio torpeſcit ad infima: quantoque acriore cura inardeſcit ad infima, tanto tepore damnabili frigeſcit à ſummis.*

Moral. lib. 18. cap. 9.

REFLEXIONES ANONYMI.

Conformitas ſententiarum iſtorum duorum Sanctiſſimorum Pontificum Leonis, & Gregorij, cum verbis P. Queſnellij, eſt adeò exacta, vt nullum appareat medium, quo alia, ſine alijs ſimul, probari valeat, aut reprobari.

ANIMADVERSIONES.

1 Hanc Queſnellij propoſitionem, & ſequentes ſub eodem titulo, digniſſimas eſſe vtroque carbone extincto, & accenſo, quo olim ſimiles Baianæ lituratæ fuere, demonſtrant planè quæ dudùm diximus explodentes alias eiuſdem furfuris Timori Dei, & attritioni Sacramentali adverſas. Titulus ipſe: *De Timore, & Amore*, ibi ab Anonymo præfixus id evincit. Ita namque exiſtimavit vtrumque fœderari, quod cenſuerit, nec ſe, nec Queſnellium potuiſſe reprobare timorem, niſi ſimul amorem, à quo ortum ducit, execrarentur. Quamvis autem nos ad maiorem rei claritatem, quam Novatores lucifugi ſemper horrent, ſtatuerimus tunc ſolummodò de timore, & attritione agere, acturos hic ex inſtituto *de Amore*, ſub hoc ſpeciali titulo, nihilominùs eadem connexione coacti, ibi ea tradidimus, quæ ſufficientiſſima eſſe poterant ad has æquè erroneas theſes revincendas, & illarum æquiſſimam condemnationem vindicandam.

2 Quia tamen eo pervenit Anonymi procacitas, vt non pudeat aſſerere, quod hæc propoſitio Queſnellij nequit damnari, niſi ſimul damnentur ſententiæ quas allegat SS. Pontificum Leonis, & Gregorij; oportet impudicam hanc maledicentiam, quæ illis turpe opprobium, & ſucceſſori Clementi XI. ingens convicium intentat, perſtringere,

 gere,

gere, & penitus retundere. Quod non aliter melius fiet, quam ſi patentèr demonſtremus præiactam propoſitionem numquam gratam, ſed adverſam omnino fuiſſe laudatis SS. PP. alijſque, & maximè Auguſtino, quorum ſanum ſenſum Queſnellius dolosè confundit, & Anonymus malitioſè detorquet.

3 Id poſtea, & propalàm evincam teſtimonijs ex eorumdem propoſito, & ſententia petitis. Antea autem Lectorem rogo, vt reviſat ſuperiùs dicta, *§. de Timore*, locis maximè ad marginem obſervatis, vbi & præſentem propoſitionem enucleatam inveniet, in ſuum Authorem regeſtam, ſententijs Patrum exploſam, & præſertim aurea doctrina S. Thomæ de duplici amore, vno inhoneſto, quia poſitivè inordinato, & idcircò deordinante quoſcumque alios actus vel cauſat, vel imperat; alio honeſto, quia referibili, quamvis actu, & tantum negativè non relato, in Deum, proptereaque non depravante actiones illas, quæ ab eodem ſeu ortæ, ſeu imperatæ, vt ſunt ſimilitèr in Deum ordinabiles, ſupponi neceſſario debent bonæ, & honeſtæ moralitèr.

Num. 61 & ſeq. Num. 94 & 95. Num. 19 & ſeq.

4 Quamvis, inquam, abundè ibi habeat Lector vndè præſentis, & reliquarum de hac re propoſitionum abſurdiſsimum ſenſum detegere, & convellere queat, & ſimul vndè dijudicare plenè valeat de ſententijs SS. Pontificum ab Anonymo vafrè excerptis, & hic allegatis; vt tamen pleniùs adhuc de ijs cenſere poſſit, novis adhùc teſtimonijs conſentanea explicatione elucidatis, confirmabimus, & nuper ſtabilita, & conſequenter ſtabilienda: eiſque ſimul præveniam quæ adverſus ſequentis tituli propoſitiones dicenda erunt: eiuſdem quippe farinæ ſunt, ſivè in eamdem incidunt ſalebram; quam ſic alijs proterere eſt animus, vt ab omni confuſione, & repetitione quoad fieri poſſit, abſtineam.

5 Ut igitur propoſitio præſens duos tantum deſignat amores, è quibus reliquæ omnes humanæ vitæ actiones originem ducant, nihil falſum continet, ſi ex vltimis finibus amores diſtinguat, & actiones enumeret. Duo namque tantum ſunt fines generatim loquendo, quos homo vltimatè intendere poteſt, quemadmodùm duo tantum ſunt bona, ſcilicet, incommutabile, & commutabile, quæ homo vltimò amare valet. Undè, & duo tantum poſſunt eſſe amores, ijs duobus bonis comparatis.

Sicut

ſicut duæ tantum poſſunt eſſe intentiones agentis propter vnum, vel propter alterum finem vltimum. In hoc inquam, propoſitio Queſnellij, non diſſona eſt: nimiùm tamen ipſe aberrat, dum ex principio adeo generali, conſequentias particulares, & planè abſonas colligit, quas in reliquis propoſitionibus, & in alijs ſequentis tituli, ſtudioſè determinat.

6 Etenim, etſi non ſint niſi duo prædicti amores, ſi ad vltimum finem comparentur: alius nimirum in bonum incommutabile, & verum finem vltimum tendens, quẽ amans intendat, & ad quem convertatur, alius autem in bonum commutabile, & finem duntaxàt apparentem reſpiciens, quem amans anhelet, & ad quem aſpiret; indeque quotquot actiones ex priori naſcuntur, & eiuſdem ſubeunt conditionem, ſint vndequaque bonæ, vt propter vltimum finem elicitæ; & ex adverſo, quotquot volitiones, & actiones ex alio amore emanantes, eiuſque indolem imitantes, ſint prorsùs perverſæ, vt ab vltimo fine poſitivè diſcedentes, & aberrantes.

7 Quamvis, inquam, id verum, Philoſophiſque, & Theologis exploratum ſit, ac per ſe notum cunctis, qui niſi cæci, aut ſtupidi habeantur, nequeunt non invenire, & probare in priore amore, & ſuis actibus, omnimodam amantis, & agentis converſionem ad Deum, intimamque affectivam coniunctionem cum ipſo, debitam ſubordinationem ad illum, & conſequenter ordinatiſsimam ſuorum actuum tendentiam: vti ex oppoſito, in poſtremo amore, & ſuis actibus, reperient omnes improbandas, omnimodam averſionem amantis, & agentis à Deo, intentatam ſeparationem, & diſtantiam ab ipſo, rebellem defectionem ab eo, & conſequentèr perverſam, & deordinatiſsimam ſuarum actionum viam; quæ ſunt diverſæ illæ, & oppoſitæ qualitates, tantopere ab Anonymo ex S. Leone, ſub eo nomine ponderatæ: quas abs dubiò vna ſola converſio ad vltimum finem, & vna ſola averſio ab illo in amore humano, benè, aut malè locato, eminere faciunt.

8 Quod ita generatim acceptum, adeo notum eſt, vt S. Thomas agens, tam de vltimo fine hominis, quam de actibus humanis, non diſcutiendum, ſed ſupponendum cenſuit. *1. 2. q. 1. & q. 7. & ſeq.* Verum ſub hac vniverſalitate vſurpatum, vt fit in præfata Queſnellij propoſitione, non appoſita vlla explis

plicatione, & diſcretione aliàs debita, vt nullam prorſus adhibent Queſnellius, & Anonymus; non rectam facere poteſt, ſed falſam, & iniquam, regulam pro ſingularibus actionibus: & idcircò ad ſenſus plane abſurdos, deteſtabiles, damnatos, Novatores iſti deſervire faciunt doctrinam alioqui veram, vt ſub illius ſpecie, & prætextu, ignorantes incautos decipiant, & deglutire faciant tot errores, quot in ſequentibus propoſitionibus continentur, & quos veluti inevitabilitèr ex præfata vera doctrina generali deductos, ſuper hoc ab ipſis tamquam inconcuſſo principio fundatos, ſtabiliunt, ſcilicet: omnis volitio, omnis actio hominis, ab amore ſui procedens, mala propterea, & peccatum eſt.

1. 2. q. 74. ar. 14. 9 Profectò, non hanc illi hauſerunt ex S. Thoma doctrinam, qui quamvis approbet generalem illam diviſionem duplicis amoris qui ex oppoſita tendentia in finem vltimum contrariantur, cum tamen diſquirendum aſſumit, *vtrum amor ſui ſit principium omnis peccati?* Ita ex S. Auguſtino quæſtionem definit, vt mirum ſit ſi de eius etiam patrocinio Janſeniſtæ non gloriantur, quippe ait: *Cōtra eſt quod Auguſtinus dicit 14. de Civitate Dei, quod amor ſui vſque ad contemptum Dei, facit Civitatem Babylonis: ſed per quodlibet peccatum pertinet homo ad Civitatem Babylonis. Ergo amor ſui eſt cauſa omnis peccati.*

10 Ne tamen illi glorientur, ſeu potiùs vt inanis omnino appareat gloriatio ſua, aliorumque qui in ſuffragium Queſnellij allegant locum iſtum S. Auguſtini à Divo Thoma laudatum, quod Ioannes Opſtraet, & Author Hexaplorum fidentiſsimè faciunt; perpendant quæſo, attendant, quod neque S. Auguſtinus, neque S. Thomas dicunt, Amorem ſui tantum, ſic ita abſolutè, & ſine vlla reſtrictione vſurpatum, facere Civitatem Babylonis, & eſſe omnis peccati cauſam. Longè id, quod ſolius Queſnellij, & Sociorum erratum eſt, à tantis Doctoribus, qui ſtudiosè, & conſultò aſſerunt, quod *Amor ſui vſque ad contemptum Dei*, facit Civitatem Babylonis. Atque ita vterque ſenſus diſtat, vt iſte verus, & Orthodoxus ſit, ille autem falſiſsimus, & depravatus, quod iam contra Opſtraet loco iſto Auguſtini abutentem, notavimus, primam *de Timore* Queſnellianam propoſitionem refutantes. *Num. 95.*

11 Qua proinde ſyncera fide

fide agant Novatores iſti, quo candido animo mores hominum corrigere velint, & documentis SS. Patrum dirigere, obſervabit Lector videns hic circuncilla illa ex Auguſtino verba, quibus amorem quo quiſque ſe diligit nequaquam reprehendit, aut damnat, niſi cum pertingit *uſque ad contemptum Dei*; quod eſt idem omninò, ac eſſe amorem perverſum, deordinatiſſimum, quia ſibi præſcribit tanquam vltimum finem, bona creata, apparentia, caduca, & quæ minimè vera bona ſunt, ea præferens bono ſummo, incommutabili, & conſequentèr Deum poſtponit creaturæ. Amor quippè ille qui tam inſana averſione ab incommutabili bono, & tam turpi converſione ad bonum commutabile pervertit fines humanarum actionum, eſt principium omnis peccati, ſivè quod idem eſt, omnis actio, aut volitio ab illo orta, vt eius contagione polluta, eadem irrectitudine depravata, peccatum eſt.

12 Hæc eſt ratio qua S. Thomas præiactam reſolutionem difficultatis ſibi propoſitæ firmat, inquiens: *Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, propria, & per ſe cauſa peccati accipienda eſt ex parte converſionis ad commutabile bonum, ex qua quidem parte omnis actus peccati procedit ex aliquo inordinato appetitu alicuius temporalis boni. Quod autem aliquis appetat inordinatè aliquod temporale bonum, procedit ex hoc quod inordinatè amat ſe ipſum, hoc enim eſt amare aliquem, velle ei bonum. Undè manifeſtum eſt, quod inordinatus amor ſui eſt cauſa omnis peccati.*

Ibid. in corp.

13 Quamvis iſta planè demonſtrent errorem Queſnelli à S. Thoma deteſtatum: ne vllum defenſoribus illius effugium reſtet quamlibet frigidum, audiant iterum S. Thomam qui primo argumento conanti colligere amorem proprium non eſſe cauſam peccati, quia ille eſt bonus, naturalis, & debitus, ita occurrit. *Ad primum ergo dicendum, quod amor ſui ordinatus, eſt debitus, & naturalis, ita ſcilicet, quod velit ſibi bonum quod congruit: ſed amor ſui inordinatus qui perducit ad contemptum Dei, ponitur eſſe cauſa peccati ſecundum Auguſtinum.* Ibi. ad 1.

14 Ut itaque non omnis amor quo nos diligimus, eſt inordinatus, non item omnis amor proprius eſt averſio ab vltimo fine, à bono incommutabili, & converſio ad bonum commutabile tanquam ad finem vltimum; nam hoc perinde

dè eſt, ac fieri inordinatum, & malum. Undè manifeſtum fit, quod ſola illa converſio ad nos, & ad bona mundana, quæ in ijs vltimo ſiſtit, ſeu quæ ponit in eis vltimum finem, eſt conſequenter averſio à Deo fine vltimo. Illa autem converſio ad nos, & mundi bona, quæ non amat iſta vt finem vltimum, non eſt vllo modo averſio à Deo, ſed non converſio purè negativa actualis ad ipſum. Quare, & conſequenter, non eſt privativè inordinata, ſed duntaxàt negativè non ordinata, ſeu non relata actu in Deum. Et ſimilitèr quotquot alij actus, ſeu volitiones, naſcuntur, vel imperantur ab hoc amore proprio, & converſione, ſi aliàs moderati ſint, & circa obiectum honeſtum, nullam ex eo capiunt deordinationem poſitivam à ſua origine hauriunt, neque exindè vlla perverſitate, vel malitia depravantur.

15 Hæc non minùs vera quàm communis doctrina gratiſſima ſemper S. Thomæ, ſæpenumerò ab ipſo ſtatuitur, & illuſtratur: ſatque erit locum illius ad primam *de Timore* propoſitionem à nobis adductum, & ſatis explicatum, adire, vt ſimul exploratum maneat, quod quæ ibi diximus, & quæ hic aſſerimus, vt ſunt eiuſdem prorsùs ſerminis, eodem ſuffragio ſuo omnino commendantur; quo proindè meritò etiam manifeſtè adverſa præſens Queſnellij propoſitio iure habenda ſit.

Num. 10. & ſeq.

16 At S. Auguſtino eo manifeſtius opponitur, quo S. Doctor apertius adhuc præiactam doctrinam non ſemel, nec perfunctoriè ſupponit, docens, dilectionem qua quilibet etiam impius, Paganus, Iudæus, ſeu Hæreticus, diligit coniugem, filios, propinquos, extraneos, licitam eſſe, & propterea quamvis non ſit in Deum ordinata, non eſt inordinata, non eſt averſio ab ipſo, non eſt mala, tametſi à proprio amore, vt aliæ volitiones, orta. *Nam non ſolum*, inquit, *ita licita eſt vt concedatur, ſed ita licita eſt, vt ſi defuerit reprehendatur.* Et advertendum, quod ibi diſtinguit dilectionem, ſeu charitatem, primò generatim in divinam, & humanam: & illicò ait, iſtam eſſe, vel licitam, vel illicitam: quo planè non tantum duos amores deſignat, niſi ſub partitione nimis vniverſali, vel quatenùs amor humanus licitus poteſt ad vnum ex alijs duobus reduci, ſecundum quod eſt capax, vel rectæ, vel perverſæ ordinationis.

Ser. 52. de Temp.

17 Rursùs alibi S. Auguſti-

guſtinus, ut explicet quot gradus inveniantur in amore humano, monens ſemel, ac iterum, ſe loqui de amore licito, inquiens: *Malos amores deteſtantur omnes leges humanæ, & leges divinæ. Remove ergo iſtos illicitos, quæramus licitos.* Hom. 31. Hos gradatim deſcribit dicens, eſſe amorem coniugis, amorem filiorum, amorem propinquorum, amorem extraneorum, amorem amicorum; ſupra quos, quia & ſi honeſtos, & licitos, tamen carnales, & communes pecoribus dicit, alium amorem hominis proprium, & ideò alijs ſuperiorem definit, dicens. *Eſt & alia ſuperior amicitia non conſuetudinis, ſed rationis, qua diligimus hominem, propter fidem, & mutuam benevolentiam in iſta vita mortali.*

18 Hactenùs ab ipſo amores liciti, & honeſti: & quidem non ex charitate divina, non ex relatione, ſeu ordinatione in Deum vltimum finem. Nam ſtatim ſupremum gradum amoris, ſeu amorem reliquis enumeratis excellentiorem aſsignat, dicens: *Ad ſuperiùs quidquid iam invenerimus divinum eſt. Incipiat homo amare Deum, & non amabit in homine niſi Deum.* Igitur prædicti amores (qui ſane ex amore proprio ortum habent; vt etiam non obſcurè innuit ibidem Auguſtinus) honeſti ſunt, liciti ſunt, abſque actuali relatione in Deum, à quo propterea non avertunt poſitivè hominem, vt ad quem poteſt tanquam ad vltimum finem ſe, & alia referre, quando nimirùm incipiens amare Deum, *non amabit in homine, niſi Deum.*

19 Eadem ferè habet in Lib. *de Doctrina Chriſtiana* docens, quo ordine, & menſura debeat homo cuncta diligere, ne ſcilicet, per exceſſum, aut per defectum, ſuos amores faciat inordinatos; quod vt omnino ſupponendum ad iſtius, & ſequentium propoſitionum materiam, debet ex nunc prænotatum haberi. Lib. 1. cap. 26. *Ipſe eſt autem* inquit, *qui inordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non eſt diligendum; aut non diligat, quod eſt diligendum; aut amplius diligat, quod minùs eſt diligendum, aut æquè diligat, quod vel minùs, vel amplius diligendum eſt, aut minùs, vel amplius, quod æquè diligendum eſt.* Qui itaque ijs ſervatis cenſet dilectionem ſui, & aliorum, de quibus ibi, ordinatam eſſe, cenſet profectò eandem non eſſe pravam, & inordinatam ex ſola non relatione in Deum.

20 Hæc, & alia ſatis le[illegible] allegand[illegible] D[illegible]

Hic [illegible]

evincere poterant numquam ſenſiſſe, quod opera virtutum moralium elicita ab impijs, vel etiam à Paganis, & infidelibus, ſunt protinus mala, & peccata; & quod non poſſunt alitèr eſſe bona, niſi ſint relata in Deum finem vltimum per charitatem: quod nihilominus Viri alioqui graves autumant, & quod magis eſt Cardinalis Noriſius ita illud propugnat, vt non tam ſatagat de attributa ſuo Auguſtino ea ſententia ipſum vindicare, quam vt illi gratam, probatamque, ſuis teſtimonijs, & argumentis demonſtret.

In Vind. cap. 3. § 4.

21 Quod tamen videtur aliàs aliquantò timidè ab Erudito Cardinali tentatum, quatenùs nimirùm explicationes aliorum qui benigniùs volunt intelligi Auguſtinum, ipſe neque apertè reijcit, neque omnino amplectitur. Ex ijs autem maximè quæ S. D. habet diſputans contra Julianum, & Pelagianos, defendentes in Paganis veras virtutes, & actus illarum ſolis viribus liberi arbitrij, ſine vlla Dei gratia elicitos, nititur laudatus Noriſius ſuadere quod eam ſententiam contra illos libentèr, & ex animo Auguſtinus ſuſtinuerit. Optarem tamen vt ſapientiſsimus A. vidiſſet, vel ſaltem non diſſimulaſſet à ſe viſa, ſed verò prætermiſſa, loca ex S. Doctore ſupra notata, & alia poſtmodum alleganda, quæ ſaltem cogerent ipſum, vel de eius mente dubitare, vel vt ingenium ſuum in conciliandis Auguſtini de re illa ſententijs ſedulus exerceret.

22 Verum quia penetralia eiuſdem armamentarij, è quo Doctus Cardinalis ſua depromit argumenta, iudicium aliud quam quod ipſe concipit de ſententia S. Auguſtini, aliaque longè diverſa arma etiam ex alijs locis reconditis eiuſdem, pro genuino ſenſu illius nobis ſuppeditant; ea non perfunctoriè, ſed accuratè introſpicere, & dedita opera explicare aggredimur, ne Queſnellius, aut eius defenſores, tanto ſuffragio, & Cardinali S.R.E. probato, ſe obtegere queant. Et primò ſupponendum eſt, totum negotium, & conatum Auguſtini eo loci fuiſſe debellare præcipuum illud Pelagij dogma, quod videlicet, ſine vlla gratia per Chriſtum, ſed ſolis viribus naturæ, optimè fieri poterant, fiebantque, opera virtutum ad ſalutem conducentia. Ad cuius erroris defenſionem Julianus ſequentia quæ Auguſtinus ex ipſo allegat, afferebat.

23 *Exempla nobis oppoſitis impiorum*, quos dicitis alie-

alienos à fide abundare virtutibus, in quibus ſine adiutorio gratiæ, ſolum eſt naturæ bonum, licet ſuperſtitionibus mancipatum, qui ſolis libertatis ingenitæ viribus, & miſericordes crebrò, & *modeſti, & caſti inveniuntur, & ſobrij.* Item poſtea ex eodem Juliano. *Ne tibi videar calumniari, ipſa tua verba iam ponam. Cunctarum, inquis, origo virtutum in rationabili animo ſita eſt, & affectus omnes per quos, aut fructuosè, aut ſterilitèr boni ſumus, in ſubiecto ſunt mentis noſtræ, Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudo. Horum igitur affectuum vis cum inſit omnibus naturalitèr, inquis, non tamen ad unum finem in omnibus properat, ſed pro iudicio voluntatis, cuius nutui ſerviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia dirigantur. Quod cum ſit, non in eo quod ſunt, non in eo quod agunt, ſed in eo ſolo variant, quod merentur.*

24 In quo errore his verbis ſui Authoris expreſſo, quod maximè, & ſtatim conſiderandum ſe offert, eſt meritum quod Pelagiani aſſeverabant eſſe in illis actibus virtutum naturalium, ex ſola intentione, & voluntate operantium, qui ut libere poterant, dirigere ſua opera ad finem æternum, vel ad temporalem, per hoc ſolummodò varios aut diverſos virtutum actus faciebant; nimirùm, qui pro ſuæ voluntatis nutu ad æterna dirigebantur, merebantur æterna præmia: qui autem ordinabantur ad temporalia, non erant æternæ ſalutis, ſed alicuius, quodcumque illud fuerit, præmij temporalis merita. Unde manifeſtum eſt Julianum intendiſſe, quod homo etiam peccator, etiam infidelis, & quomodolibet impiùs, potens erat ex ſuo libero arbitrio, ſolis naturæ viribus, elicere tales actus illarum virtutum quas congenitas habet, qui ſint vera merita vitæ æternæ, ſeu quibus non ſterilitèr, ſed fructuosè operetur.

25 Hunc errorem debellaturus S. Auguſtinus, ijs tribus contra illum argumentis innititur. Primum, quod in homine impio nullæ ſunt aut poſſunt eſſe veræ virtutes: veræ inquam, nam ſic conſtantèr, ſemperque eas veras exiſtere negat. Secundum, quod non ex voluntate, & arbitrio hominis, ſed ex dono, & gratia Dei, illæ habent, & quod veræ virtutes ſint, & quod earum actibus recte, & fidelitèr qui eos elicit vivat. Tertium, quod earum virtutum actus non relati in Deum finem ulti-

timum, ſed in commodum, aut gloriam operantis, hoc ipſo quia ad præpoſterum finem ordinati, nequaquam boni, aut virtuoſi, ſed pravi, & peccata ſunt. Hæc eſt ſumma totius diſputationis à S. Auguſtino contra Julianum inſtitutæ.

26 In qua ſivè tria iſta capita ſimul accipiantur, ſivè ſeorſim, nullum fundamentum, vel leviſsimum præbent, vt cenſeatur genuinam fuiſſe Auguſtini ſententiam, quod opera infidelium, & peccatorum ſunt peccata: & quod in eis virtutes naturales, non fuerint virtutes, ſed vitia. Verùm quod vnicè, & palam ſe ſemiſe evincunt eſt, eas non eſſe dignas quod veræ virtutes dicantur, ſeu habeantur, dum non ſunt gratia, & charitate formatæ, vel dum informes habentur: & quod homo eget ad earum opera auxilio divino, ſcilicet, ad actus quibus vere, & fideliter vivit, qui propterea ſunt Dei dona; ac denique quod ex perverſa ordinatione, vbi hæc adeſt, actus evadunt vitioſi. Hæc namque ſunt quæ ex toto contextu colliguntur, vt manifeſtum fiet, ſi verba Auguſtini, & ſenſum obviam ſiggillatim diſcutiamus, perpendentes iridem quæ laudatus Cardinalis tentat ex illis colligere.

27 Quod itaque in homine infideli, aut peccatore, non ſint virtutes veræ, hac dignæ appellatione qua ſemper vtitur Auguſtinus, patet ex eo ſenſu quem intendit, & explicat, cum eas veras virtutes dicit: nimirùm, quæ in vltimum finem verum, ſeu incommutabile bonum, quo meliùs aliud non eſt, tendunt, & ordinantur; has enim ſolas perpetua ſententia veras virtutes æſtimat Auguſtinus. *Neque enim eſt vera virtus*, inquit, *niſi quæ ad eum finem tendit, vbi eſt bonum hominis quo meliùs non eſt.* Et alibi: *Ita virtutes ipſæ quibus prudentèr, fortitèr, temperantèr iuſtèque vivitur, omnes ad eandem referantur fidem. Non enim aliter, poterunt veræ eſſe virtutes.*

Lib. .. de Civitat. cap. 19. Lib. 13. de Trin. cap. 20.

28 Eodem prorsùs ſenſu intelligendus eſt cum adverſus Julianum agit: neque enim alter melior ſuæ mentis Interpres eſſe poteſt. Id quod apertiſsimè confirmat dicens: *Si ergo ad conſequendam veram Beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Chriſto eſt vera, promittit, nihil proſunt homini, virtutes, nullo modo veræ poſſunt eſſe virtutes.* Item: *Cum enim agitur aliquid prudentèr, fortitèr, temperantèr, & iuſtè, omnibus*

Vbi ſup. cont. Iul.

quæ-

quibuſcumque virtutibus agitur, quas ſecundum tuam (Julian.) *definitionem, veræ virtutes ſunt, ſed ad cognoſcendum utrùm veræ ſint, hoc tantummodò intuetur quod agitur, nec cauſa quærenda eſt cur agatur.*

29 Reprehendit namque Julianum, qui reſpiciens tantummodò actus virtutum, non verò fines illarum, eas virtutes non qualeſcumque, ſed veras dicebat; Immeritò autem, ex ſententia Auguſtini, qui ſolas veras exiſtimat, & hoc nomine dignas, quarum actus tendunt ad conſequendam veram Beatitudinem fide per Chriſtum promiſſam, & cognoſcendam, & in quo tantum propria veræ virtutis notio ſita eſt apud ipſum iterùm aientem ad Julianum. Ibid. *Noveris itaque non officijs, ſed finibus, à vitijs diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt. Finis verò propter quod faciendum eſt.* Et rursùs. *Non erat, inquam, in eis vera Iuſtitia, quia non actibus, ſed finibus penſantur officia.* In quo ſenſu tantum, etiam S. Thomas virtutes ait eſſe veras. 1. 2. q. 65. art. 2

30 Erat igitur, fuitque ſemper conſtans doctrina Auguſtini, quod nec ſunt, neque eſſe poſſunt in aliquo veræ virtutes quarum actus non tendunt in bonum incommutabile, in Deum ultimum verum finem, in Beatitudinem æternam: quod cum à ſola charitate præſtetur, cujus officium eſt amare Deum ſuper omnia, finemque ultimum cunctorum volibilium, & agendorum in ipſum conſtituere, & omnia ad eum referre, exinde colligit Auguſtinus, & contra Julianum concludit, quod niſi prædictæ virtutes fuerint formatæ per charitatem, & earum actus ordinati per amorem Dei; neque illæ dici poſſunt virtutes veræ, neque actus illarum ſunt ex dono Dei, ſeu per gratiam ipſius. *Amor,* Ibidem inquit, *fruendi quibuſcumque creaturis, ſine amore Creatoris, non eſt à Deo. Amor autem Dei quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo Patre per Jeſum Chriſtum cum Spiritu Sancto. Per hunc amorem Creatoris, benè quiſque utitur etiam creaturis.*

31 Amor autem quem dicit non eſſe à Deo, ſeu per gratiam Chriſti, eſt amor fruendi creaturis, ſeu de quo prius dixerat. *Qui eſt amor mundi, quo quiſque amicus eſt hujus mundi.* Quibus patenter ſignificat ſe loqui de amore perverſo poſitivè inordinato, non reatu privativè in Deum, ſed in commodum proprium,

prium, tanquam in ultimum finem, & propterea Deo adverſo. *Amor enim iſtius mundi,* ait alibi, *parit inimicitiam Dei, unde ſcriptum eſt. Qui vult amicus eſſe huius ſæculi, inimicus Dei conſtituetur.* Non ergo damnat omnem amorem creaturarum.

Ser. 248. de Temp.

32 Sed neque etiam proprium, à quo alij naſcuntur. De quo ſat ſit audire ipſum, appellantem iuſtiſsimam legem amicitiæ, quæ iubet diligere amicum, quantum quiſque ſe amat. *Iuſtam enim legem amicitiæ iuſtiſſimam eſſe arbitror, qua præſcribitur ut ſicut non minus, ita nec plus quiſquam amicum, quam ſe ipſum diligat.* Approbat proinde amorem, & ſui, & amici, qui legem de utroque iuſtiſſimam cenſet. Clarius autem idem ibidem diſſerens particulatim de amore proprio, & aliarum terrenarum rerum, nequaquam illos tanquam pravos reprobat, quos aliunde moderatos ſupponit, non ultimò, & indebite in finem creatum ordinatos, quamvis nondum in ultimum finem debitum relatos, vel propter iſtam elicitos, quorum idcircò obiecta quaſi non amata reputat. *Siquidem*, inquit, *quod non propter ſe amatur, non amatur. Ego autem ſolam propter ſe amo ſapientiam, cætera verò, vel adeſſe mihi volo, vel deeſſe timeo propter ipſam, vitam, quietem, amicos.*

Solil. lib. 1. cap. 3.

Cap. 9. 10. 11.

Cap. 15.

33 Innumera propè ſunt loca in quibus S. Auguſtinus tam longè abeſt ut reprehendat amorem naturalem proprium, & amores alios, ſeu aliarum rerum temporalium, quin potius illos omnes dummodò moderati ſint, & legitimum ordinem ſervantes, commendat, & laudat. Solummodoque vituperio, & execratione dignos arbitratur amores, quibus amans, vel ſe, vel terrena quæque, tanquam ultimum finem diligit, vel qui immodici, & exorbitantes ſunt, vel qui in obiecta turpia, & prohibita tendunt: quæ ſunt capita, ex fine, ex obiecto, ex modo, perverſitatis amorum, & reliquorum actuum humanorum. De quibus plura ex inſtituto, ac diſſerta, & hactenùs adductis conſentanea doctrina habet Auguſtinus, exponens illud: *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* Mat. 16.

34 Quæ, quia opportuniſſima, & rem totam penitùs explicatam continent contra præfatam propoſitioné Queſnelij, aliquantò moroſiùs explananda ſunt. Ita namque loquitur: *Sunt ergo qui perverſè animam ſuam amant, & hoc vult Dei ſermo corrigere, non ut oderint animam ſuam, ſed* Hom. 37.

ſed vt rectè diligant. Malè enim diligendo perdunt eam, & ſi quiddam magnum quaſi præpoſterum contrarium. Sed ita tamen fit, vt ſi diligas eam perversè, perdas illam. Hic eſt amor proprius apud Auguſtinum perverſus, qui quia in Deum referri non poteſt, vtpotè noxiùs, & iam pravè ordinatus in contrarium, & præpoſterum finem, eijciendus ab animo eſt, vt amor vtilis haberi poſsit: Nam, *Amor amore impeditur: amor noxius recedat, & amor vtilis ſuccedat.*

35 Hunc autem amorem vtilem ſtatim exponit dicens, eſſe amorem qui gradatim creſcit. *Habet enim,* ait, *initia ſua, habet augmenta ſua, habet perfectionem ſuam.* Initium ab ipſo amante, & de ſe ipſo eſt. *Amores omnes, & dilectiones, priùs ſunt in hominibus de ſe, & ſic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum, priùs te diligis, & ſic aurum .... Ergo dilectio vnicuique à ſe incipit, & non poteſt niſi à ſe incipere, & nemo monetur vt ſe diligat.* Quidquid autem aliud ex ſui amore quiſque amat, inquit: *Aut hoc eſt quod tu, aut inferius te eſt, aut ſuperiùs te eſt.*

36 Quod verò inferiùs fuerit, non propterea non amandum dicit, ſed ita moderatè amandum, vt non omninò ibi cor adhæreat tanquam vltimo fini. *Si inferiùs te eſt quod amas, ad conſolandum ama, ad tractandum ama, ad vtendum ama, non ad illigandum: v. g. aurum amas, noli te illigare auro, quantò melior es quam aurum.... Amor ergo iſte contemnendus eſt.* Quam longiſsimè diſtet Auguſtinus à Queſnellio, quamque planiſsimè huic germanæ S. D. veriſsimæque doctrinæ, adverſetur illius propoſitio, fiet manifeſtum cuicumque vtramque tantum legenti, & invicem comparanti.

37 Queſnellius namque pleno ore affirmat omnem amorem rei terrenæ ortum ex amore quo quis ſe diligit, fieri malum, quia non refert ad Deum quod ad Deum referendum eſt, quem propterea reprehendendum, contemnendum putat. Verum ex oppoſito S. Auguſtinus, amorem rerum quæ ſunt infra ipſum amantem, amorem videlicet auri, dummodò non illiget auro cor amantis, non ſolum non damnat, non reprehendit, ſed quamvis à proprio amore naſcentem, laudat, commendatque, cum ſcilicet aurum ad peculiares, & honeſtos vſus, non tanquam finem vltimum, amatur; cuius alias perverſus, & hærens amor

amor ſolummodò contemnendus eſt. *Ad vſum*, ſubiungit, *aſſumenda ſunt iſta, non eis tenendo amoris, quaſi glutino hærendum eſt.*

38 Ab hoc amore proprio, & rerum infimarum, vnde incipit amans, aſſurgere debet ad amanda ſibi paria, aut æqualia, nempe proximum parentes, filios, conſanguineos, amicos, inimicos, reſpectu quorum habet ſua ille amor augmenta. *Aſſurge*, inquit, *ab iſto amore quo amas inferiora quam tu es: incipe amare paria, id eſt, quod tu es.* Tandem, vt cuncti præfati amores vltimam perfectionem, & gradum excellentiſsimo dilectionis ſortiantur, ex quo verè amores ſint, & ex vera charitate procedentes, debent haberi ob Deum ſummè, & ſupra quæcumque alia dilectum, & in ipſum, toto corde amatum, referendi ſunt. *Quomodo autem* (verba ſunt Auguſtini) *totum amorem, & eum [illegible] habere poſſimus, ſicut Dominus dixit nobis in Evangelio evidenter oſtenditur, ſic enim ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum ſicut teipſum. Primum ergo diliges Deum, deinde teipſum, poſtea diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

39 In hac itaque accuratiſsima deſcriptione amoris, dum incipit, dum augetur, dum perficitur, cum & admodum diſertam doctrinam tradit S. Auguſtinus, qua primò confutatur apertè præſens propoſitio Queſnellij. Amor namque quo quiſque ſe ipſum diligit, & ex quo ſibi vel æqualia obiecta, vel etiam inferiora amat, dummodò id moderatè faciat, non ſe illigando ijs rebus, id eſt, non eis vltimatè adhærendo; bonus eſt, honeſtus eſt, quamuis tunc nec ſe, neque ea quæ diligit referat in Deum. Non dum enim eſt amor perfectus, ſeu vera charitate formatus, ſed eſt dumtaxat in ſtatu, vel initij, vel augmenti: poteſtque in Deum vltimum finem toto corde dilectum ordinari, quo erit in ſtatu, & vltimo gradu perfectionis.

40 Manifeſtè itaque impugnat Auguſtinum Queſnellius, & quicumque iſtius ſectator, Sanctiſsimi Patris doctrinæ deſertor eſt, aſſerens: *Amorem omnem quo nos ipſos diligimus, propter hoc fieri malum, quia non refert ad Deum, quod ad ipſum referendum eſt.* Similiter, & qui ob id etiam damnare audeat cum eodem Queſnellio, omnes, & qualeſcumque volitiones, & actiones noſtras ex prædicto amo-

amore naſcentes, quas S. Auguſtinus, ſi illæ moderatæ ſint, non dubitat commendare.

41 Secundò, nec minus evidentèr, ex tam præclaro teſtimonio habetur, quod quamvis Auguſtinus putet non eſſe, aut nõ dici poſſe, *verum* charitatem, ſeu *verum* amorem, qui eſt amor proprius, vel aliarum rerum, ſi non ſit ordinatus in Deum finem vltimum, & propter ipſum elicitus; non propterea cenſet, prædictum amorem eſſe noxium, aut pravum, dummodò per illum amans non adhæreat tanquam vltimo fini rebus creatis, & terrenis quas diligit. Quin potiùs ſi res iſtas amet parcè, & eis vtatur temperantia ab Auguſtino adhibita, amor iſte eſt innoxius, & honeſtus, vt qui non perversè ordinatus in commodum proprium, & finem præpoſterum, eſt adhùc ordinabilis in Deum, & perfectibilis per veram charitatem.

42 Ex quo fit conſequentèr perſpicuum, quod neque S. Auguſtinus potuit vnquam cenſere, aut exiſtimare, quod virtutes impiorum, aut infidelium, ſint vitia, earumve actus peccaminoſi, defectu purè negativo relationis in Deum; quamvis ob hunc defectum iudicaverit eas non eſſe dignas *veræ* virtutis appellatione. Immeritò namque Cardinalis Noriſius attribuit S. Doctori eiuſmodi aſſertum, & temerè alij, audaciùſque, affirmant eum in prædicta ſententia exceſſiſſe abreptum æſtu diſputationis contra Pelagianos. Neutrum enim verum eſt, quod nullatenùs cum adducta ex eodem doctrina conformari poteſt.

43 Etenim omnes præfati amores, & actus, ex prævio etiam amore proprio naſcentes, & a virtutibus moralibus immediatè procedentes, in nullo agente humano ſunt neceſſariò perversè ordinati, nec conſequentèr ſunt incapaces vt ordinentur in Deum, & vt hac relatione perficiantur: in quo ſtatu iuxta Auguſtinum neque virtutes ſunt vitia, neq; actus ſunt pravi, alioqui impoſſibile foret, quod in Deum referrentur, & quod prædicta relatione vltimò perficerentur. Undè idem S. D. ait: *Si* Ubi ſup.
vis veræ charitatis ordinem cuſtodire, ſic iuſtitiam, dilige miſericordiam, fuge luxuriam, incipe ſecundum præceptum Domini non ſolum amicos, ſed etiam inimicos diligere. Et hæc cum fideliter cuſtodire toto corde contenderis, iſtis virtutibus, ut quibuſdam gradibus, poteris aſcendere ut merearis Deum toto animo, & tota

tota virtute diligere. Et cum ad iſtam fœlicem perfectionem veneris, omnes concupiſcentias iſtius mundi tanquam ſtercora computabis, & cum Propheta poteris dicere: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.

44 Igitur antequàm homo adhæreat Deo vt vltimo fini, antequàm ad eam perfectionem charitatis veniat, qua diligat ipſum ex toto corde, & anima ſua, hortatur, monet S. Auguſtinus, vt eas virtutes exerceat, quibus quaſi gradibus ad Deum amandum aſcendat: quo evidentèr oſtendit, virtutes prædictas nondùm tunc relatas in Deum vltimum finem, non propterea eſſe vitia, actuſque earundem naſcentes tunc, non quidem ab amore Dei nondum concepto, ſed tantum ab amore proprio, non propterea eſſe peccata; ſed quamvis tam illæ virtutes, quam earum actus, non ſint tunc, & actu in Deum relatæ, virtutes tamen ſunt, actuſque earum ſunt honeſti, vt per charitatem perfectibiles, vt ad Deum per amorem ipſius ordinabiles. Non ergo fuit vnquam S. Auguſtini ſententia, quod virtutes adquiſitæ, & earum actus, ſervantes alioqui rectum ordinem, & moderationem, circa obiectum honeſtum, depravantur ex ſolo defectu purè negativo relationis in Deum vltimum finem.

45 Neque etiam veriùs adſcribit Auguſtino laudatus Cardinalis, quod cenſuerit actus virtutum moralium in Paganis, & impijs, ſemper eſſe pravos; virtuteſque prædictas eſſe vitia, quia ſemper perversè ordinantur in finem præpoſterum, eo quod S. Doctor agens contra Julianum dicit, opera infidelium quamvis ex obiecto videantur honeſta, re ipſa prava eſſe, quia facta ob hominum laudem, & vanam gloriam, propriamvè complacentiam, tanquam ob vltimum finem, atque ita depravantur ſemper ex perverſo amore proprio à quo naſcuntur. *Undè ſit conſequens*, inquit Auguſtinus, *vt mens bona magis ſibi placeat, magiſque ſe ipſa delectet, quam quælibet alia creatura. Quam vero periculosè, imò perniciosè ſibi placeat, cum per hoc tumeſcit typho, & morbo inflationis extollitur, &c.*

46 Hoc quod aliàs eſt vnicum argumentum, & vnica ratio cui Emin. Noriſius innititur ad tribuendam Auguſtino ſententiam illam, planè dilutum erit, ſi demonſtremus nunquam S. Doctorem exiſtimaſſe, vel docuiſſe, quod actus prædicti ſemper, & veluti

luti neceſſariò, deturpantur ex adjecta circumſtantia pravi finis memorati, vel vt Cardinalis ait, quod *irreparabilis eſt caſus ab actu virtutis in philautiam*; proptereaque ſemper vitioſus ſit. Longè iſtud ab Auguſtini mente, qui neque ad id ſignificandum profert verba quæ Noriſius allegat.

47 Et primò cum in teſtimonio à me antea expenſo tam accuratè, & data opera doceat, amores illos, actuſque præcedentes amorem Dei, & ordinationem charitatis, honeſtos eſſe ex obiecto, & tendentia moderata in ipſum, eſſeque perfectibiles per charitatem: & quod virtutibus, quarum proprij actus ſunt, quaſi quibuſdam gradibus aſcenditur ad perfectionem charitatis; manifeſtiſsimum eſt, quod hæc aſſerens nequaquam cenſebat turpes, aut vitioſos irreparabiliter, ex pravo fine vanæ gloriæ, & inflationis, actus ad quos hortatur, & quos in Deum referibiles, & per charitatem perficiendos fatetur.

48 Secundò, eadem evidentia liquet, quod inter hoc quod eſt virtutes Paganorum eſſe vitia, actuſque illarum eſſe pravos, ex adhibito fine vltimo perverſo; & hoc quod eſt virtutes eaſdem eſſe veras, earumque actus eſſe ſimpliciter perfectos ex adhibita relatione per charitatem in Deum: erat Auguſtino medium, nempè, erat alius earumdem virtutum, & actuum ſtatus, non tantum ſpeculativus, ſed practicus; in quo, ſcilicet, virtutes recte tendentes in obiectum proprium, nec poſitivè ordinatæ in finẽ præpoſterum, nulla privatione finis debiti deformantur, aut impediuntur ne in Deum finem vltimum per charitatem referantur.

49 Et quamvis Auguſtini fuerit ea ſententia quod opera infidelium ex obiecto bona, crebriùs, ſæpènumero, & in pleriſque reddebantur vitiata ex nimio ſui amore inhiante laudem, gloriam, & honorem, tanquam vltimum finem, quales fuiſſe actiones Catonis, & Cæſaris, quos Saluſtius virtutibus excellentes laudat; non propterea S. Doctor cenſet, omnes illos ſemper, & in cunctis ſuis actibus, ſimilitèr deliquiſſe: nam etiam ibidem ait, alios licet paucos, non hanc vitioſam viam, ſeu tendentiam in finem indebitum, ſed aliam virtuoſam, & à Catone laudatam, arripuiſſe. *Paucorum igitur virtus ad gloriam, honorem, imperium, vera via, id eſt virtute ipſa nitentiũ, etiam à Catone laudata eſt.* *Lib. de Civit. cap. 12.*

50 Unde & conſtat, infideles ipſos agnoviſſe rectum modum illum ſe gerendi circa finem, à Catone laudatum: & quod cognoverint laudis, & vanæ gloriæ amorem vitioſum eſſe, & actiones fœdare, obſervat idem Auguſtinus de Poeta Horatio ſic illum reprehendente. *Laudis amore tumes, ſunt certa piacula .... Latius regnes avidum domando ſpiritũ, quàm ſi Lybiam remotis Gadibus iungas.* Non itaque erat ipſis, multoque minùs Auguſtino, tam irreparabilis caſus in vitium illud, quem & poetæ ipſi cavendum canebant.

Ibi. cap. 13.

51 Et quidem non apud Romanos tantum, de quibus ibi Auguſtinus, ſed & apud antiquiores Græcos tempore quo floruerunt, negari non poteſt, quod aliqui extiterint viri virtuoſi, & quibus non tam amor ſui, quàm boni communis, & Reipublicæ, fuit impulſus, aut motivũ, ad eas honeſtas actiones eliciendas, quibus urbes ſuas ſpectabiles fecere, materiamq; præbuere illuſtrandis Oratoribus, magniſque Philoſophis, vt ad incitamentum aliorum, exemplo prædeceſſorum, vitia reprehenderent, ac virtutes propter ſe tantum dilectas commendarent. De quo infinita propemodum ſpecimina apud priſcos, & apud antiquiſſimum Iſocratem in ſuis orationibus inveniuntur.

In Nicocl. in Panath. & al.

52 Verum quidèm eſt, quod in pleriſque præfatæ actiones, atque etiam in ipſis Oratoribus, & Philoſophis tam ipſa ſalubria documenta, ex philautia, vana gloria, ſeu alio pravo fine, interdùm, aut ſæpè fœdabantur. Tantum enim in his maximè actionibus complacentia propria periculoſa eſt. Non tamen in omnibus, & ſemper, caſus hic funeſtus, irreparabilis, ac veluti neceſſarius oſtendendus eſt, quod nec S. Auguſtinus unquam affirmat, nec voluit illum eſſe fatalem conſequentiam ex præſtantia rationis humanæ illatam, vt laudatus Cardinalis colligere tentat ex verbis quæ allegat.

53 Non enim illis S. D. intendit, quod impij, & infideles quoties opera virtutum eliciunt, ſemper, & irreparabilitèr ex nimia ſui complacentia peccent. Cum enim Julianus dixiſſet, quod ſi plura peccata alijs peccatis vitantur, poterunt multo faciliùs virtutibus vinci: vnde inferre volenti poſſe hominem eſſe ſine vlla mala cupiditate ex adverſante concupiſcentia; reſpondet S. Auguſtinus, id Deo volente, & adiuvante, revera poſsibile eſſe, non tamen ita fieri,

ſieri. Cur autem non fiat, quod *nec iuſti Dei eſt iniquitas, neque omnipotentis infirmitas? Quis*, inquit, *cognovit ſenſum Domini?*

54 Cum itaque iſtius rei cauſam ſe neſcire ſic ingenuè fateatur, aliquam nimirum humano diſcurſu, ac etiam veluti humano experimento ſubodoratam, ſatagens aſsignare, ſubiungit. *Sed ut tibi ſic loquar tanquam homini homo, & talis homo cuius terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, nihil eſt in creaturis quod attinet ad inſtitutarum divinitùs merita naturarum, rationali mente præſtantius. Undè ſit conſequens ut mens bona magis ſibi placeat, magiſque ſe ipſa delectet quam quælibet alia creatura. Quam verò periculoſè, undè perniciosè ſibi placeat cum per hoc tumeſcit typho, & morbo inflationis extollitur.* Hæc Auguſtinus, quæ & ex verborum ſenſu, & propoſito oblato, nequaquam ſignificant homines ſemper ex ſua complacentia, tanquam ex ultimo fine, operari, neque id poterat ab illo, vel à quovis cordato, dici conſequens inevitabile præſtantiæ rationis humanæ.

55 Non tamen id intendit, ſed clarè, & interrogando reſpondens docet, omnes ſubiacere periculo labendi ex nimia complacentia in ſuis etiam virtutum actionibus, ex ipſa nimirum rationalis ſuper alias naturas excellentia: qui caſus ſi ſuccedat, perniciosus eſt, ut qui faciat hominem morbo inflationis tumeſcere. Non itaque docet caſum illum ſemper, & inſeparabilitèr, ac in cunctis evenire. Nec propterea rectè id ex præfato textu illi attribuit Cardinali Noriſius, aſſerens S. Auguſtinum per ea verba infregiſſe ſententiam aientium, poſſe hominem elicere actus virtutum ob ſolam operis honeſtatem, nullam inde inanem gloriam, vel laudem ab aliis aucupando.

56 Deindè quod ita plures operari potuerint, neque dici queat, quod nunquam ſic operati fuerint, evincitur ex hypotheſi, aut eventu, quem nobis objicit Noriſius, neque, ut opinor, ſatis expendit. Fieri namque poteſt, potuitque, ut quis infidelis, aut impius, honeſte operetur, v.g. det eleemoſynam pauperi, & ſtatim eiuſdem mens alio avocetur. In hoc caſu, neque apud ſemetipſum de bono opere per actum reflexum gloriatur. Ita, & totidem verbis Noriſius, qui cum negare non valeat eventum adeò poſsibilem, qui & propterea interdum, ſeu aliquando, & à nonnul-

nullis poſitus in actu ſit, argumento ex indè conflato, ita occurrit.

57 *Cenſeo tamen hæc opera bona non fuiſſe facta ab infidelibus, ſuis ipſorum viribus derelictis, ſed præmunitis ſpecialibus divinæ gratiæ auxilijs, quibus fortè aliquando factum eſt, vt rectè operantes, novo propoſito obiecto, de bono opere minimè gloriarentur.* Hæc Cardinalis verba ſi attentius perpendantur, non tam propoſiti argumenti ſolutionem, quam cauſæ noſtræ confirmationem continent. Primò enim apertè fatetur, infideles aliquando *rectè operantes*, dum ſcilicet actu eliciunt opus ob ſolam honeſtatem virtutis, non idcirco ordinatam in finem præpoſterum.

58 Deinde fatetur, hanc pravam ordinationem non ita connexam eſſe cum infidelitate, aut perverſitate operantis, quod non poſsit ab opere ſeparari, interveniente nimirùm alia vel honeſta, vel ſaltem indifferente cogitatione, aut negotio, quæ quidem facillimè, & naturaliſsimè, ac momento, vel ſubitò occurrere poſſe, nemo inficiabitur, attenta inconſtantia, ſeu levitate rationis, occupatione vitæ, & viciſsitudine rerum. Non itaque erit tam irreparabilis caſus ab actu virtutis in philautiam, vanam gloriam, ſeu alium finem præpoſterum, quod non valeat ſaltem aliquandò, nec ſane difficulter, impediri; & quo impedito, actio manebit recta vt conformis rationi, bonaque conſequentèr, & honeſta ex obiecto ſuo, & fine proximo.

59 Si tamen laudatus Cardinalis vult, vt videtur innuere, occurrentiam alterius cogitationis, aut negotij, qua mens infidelis tunc rectè operantis, alio avocetur, eſſe quoddam Dei auxilium proponentis ipſi novum obiectum, quo impediatur ne incidat in philautiam, vbi irreparabiliter ruiturus erat ſuis viribus derelictus: id quod confirmare tentat ex S. Auguſtino attribuente divinæ gratiæ ſubitam lenitatē Regis Aſſueri, continentiamque Polemonis, & contra Julianum dicente: *Ex quo colligitur ipſa bona opera quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius qui benè vtitur malis. Ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona male faciunt, quia ea non fideli, ſed infideli, hoc eſt, ſtulta, & noxia faciunt voluntate.*

60 Hęc inquam minimè conducunt ad rationem propoſiti eventus quia Noriſium vrgemus. Et primo exempla, & verba ex Auguſtino petita ad

rem

rem non faciunt. Non enim ex bono, aut mite, ſed ex ſuperbo corde Regis Aſſueri, Deus hunc repente fecit, & hæc mutatio dexteræ excelſi, quia cor Regis in manu Domini. Non item ſolam permanentiam Polemonis in continentia, judicat Auguſtinus Deo attribuendam, ſed etiã ipſum primum opus continentiæ, ſeù quando ipſum primò factum eſt. Ac demum, per allegata contra Julianum verba, quod intendit colligere eſt, opera bona infidelium cum ab ipſis fiunt, non ipſorum, ſed Dei eſſe, qui bene vtitur malis: malis, ſcilicet, ſubiectis, non operibus; nam iſta iam appellaverat bona.

61 In eventu autem propoſito ſupponimus, & ſupponit ipſe Norſius, quod infidelis operatur recte ex obiecto bono, & fine honeſto virtutis, tantumque ipſe deſiderat Dei auxilium, ne poſteà, aut ſtatim infidelis adhibeat operi pravam ordinationem in finem præpoſterum. Ad quod confirmandum, nec exempla, nec verba allata ex Auguſtino vllo modo deſerviunt, vt ex ipſis conſtat. Rursùs. Qui ad opus bonum ab infideli eliciendum nullum divinum auxilium deſiderat, neſcio cur tantoperè auxilium exoptet, ne opus iam elicitum perverſa relatione deformetur; ac ſi maioris negotij ſit non adhibere operi pravam circumſtantiam deordinationis in finem, quam illud primò honeſtate præditum, & recta tendentia ex continuitate ad rationem, elicere.

62 Dato autem, aut potiùs permiſſo, quod eiuſmodi auxilium ſit neceſſarium, & ad referendas infidelis, aut peccatoris, actiones virtutum; & etiam ad illas primò ponendas, ſic nimirùm, vt illæ nequaquam, ſeu ex nullo capite, valeant procedere bonæ, & honeſtæ, niſi operans desuper adiuvetur; ac permiſſo etiam quod hæc fuerit conſtans ſententia S. Auguſtini, non debuit Doctus Cardinalis ita abſolute pronuntiare quod vt opera infidelium ſint bona, debent illi præmuniri ſpecialibus divinæ gratiæ auxilijs; quippe hæc ita absolute prolata, vt non determinet de qua gratia loquatur, præbent certe anſam, ſeu occaſionem Calviniſtis, Baianis, Janſenianis, & Queſnellianis, vt, qua ſolent audacia, à ſe ſtare Auguſtinum, & Interpretem Cardinalem, arbitrentur, & clament.

63 Cumque aliàs dignum eſſet tanto Theologo explicare quam gratiam exiſtimat neceſſariam, ſeu quæ auxilia

xilia requirat, vt ea infidelis opera bona ſint, & benè fiant, & ob quam rationem, aut motivum, ea exigat; tum ad vitandas tot iteratas, & æquiſsimas damnationes abſurdarum theſium prædictorum Novatorum; cùm ne & iſti de ſuo etiam ſimulato ſuffragio gloriarentur, oporteret, vt palam, ac nitidè aſſereret, ſe, illis ſpecialibus gratiæ auxilijs, non deſiderare, aut gratiam iuſtificantem, aut charitatem, vel imperantem actus, vel dominantem voluntati; aut gratiam fidei quæ per charitatem, non ſolum inchoatam, ſed perfectam operatur; aut auxilia non tantummodò ſufficientia, ſed adeò efficacia, & potentiſsima, quibus voluntas omninò ſuccumbat.

64 Cuncta enim iſta, ac ſingula, comprehenduntur ſub ſpecialibus illis divinæ gratiæ auxilijs, quibus præmunitos infideles ad benè operandum deſiderat Norisius; eadem que à Novatoribus in ſuis propoſitionibus, meritò proindè damnatis, neceſſaria ad idem exiguntur. Quapropter exiſtimo, nolle Norisium huiuſmodi auxilia ab illis requiſita, ſuis verbis deſignare; multoque minus intendere ea ab Auguſtino fuiſſe deſiderata; voluiſſeque tantummodò, vel concurſum generalem Dei; vel, quod non nullis Theologis placet, aliquod aliud auxilium indebitum ordinis naturæ, putà cogitationem congruam tunc oblatam, vel immiſſam, & in eis circumſtantijs opportunam, vt infidelis, vel honeſtum ex obiecto opus eliciat, vel ne illud ex prava ordinatione deturpet.

65 Quod namque Auguſtinus voluerit infidelem adiuvari à Deo huiuſmodi auxilijs ad rectè operandum circa obiecta virtutum moralium, nullo ipſius dedecore poterat à laudato Cardinali defendi, præſertim ſi alioqui non ob impotentiam phyſicam ex peccato originali, ſed ob purè moralem; vel potius ratione ſolius indifferentiæ liberi arbitrij ad bonum, & malum, & ob promtitatem ad vanam gloriam, eiuſmodi adiutoria naturalia deſiderata à Sanctiſſimo Doctore, propugnaret. Nam ita illum quam longiſsimè diſtantem à ſenſu damnato hæteredoxorum oſtenderet, ac ſimul difficilia loca eiuſdem, in queis paſsim aſſerit, ſi quæ bona opera effecerunt Pagani, vel faciunt impij, non ipſorum, ſed Dei eſſe, ſufficienter conciliaret.

66 Verum quoniam hac via minimè conſtare poterat, quod opera infidelium viribus

tan-

tantum naturalibus elicita, & non ordinata, aut relata ad bonum incommutabile, & finem charitatis, ſint bona: quippè Noriſius contendit, ea, quantumvis tendant ad obiectum honeſtum virtutis, fuiſſe ſemper Auguſtino vitioſa, & peccata, defectu nimirum prædictæ relationis, quam alias nequaquam poteſt tribuere operi, auxilium, ſeu adiutorium purè naturale, vel ordinis naturæ: ex hinc vehementer ſuſpicor, numquam futuram gratam laudato Cardinali hanc expoſitionem de ſenſu, & mente Auguſtini.

67 Idque maximè patet, quia cum ſibi opponat, quod alia ordinatio per charitatem, & ex auxilio ſupernaturali, deſiderata, vt opera infidelium ſint bona, vel ne ſint peccata, ſapit illam Baij propoſitionem damnatam, *Omnia opera infidelium ſunt peccata*: Reſpondet, quod hac cenſura non percelletur ſententia Auguſtini, tum quia concedit in infidelibus aliqua opera bona ſaltèm in prima ſui productione, ex gratia tamen donata; tum quia ex ſententia Auguſtini, etiam homo ſine gratia amat appetitu innato ſummum bonum, nam nemo eſt qui non velit eſſe beatus.

68 Hæc autem, vt indicant requiſitum ab Auguſtino auxilium ſupernaturale, ſunt alias inſuficientia ad vindicandam à cenſura contra Baium ſententiam à Cardinali illi adſcriptam: quoniam ex quo vel et aliqua ſolummodò infidelium opera, quia ex gratia donata, eſſe bona; non evincitur nolle, aut diſentire ab eo, quod omnia opera infidelium non ex gratia donata, ſed viribus proprijs elicita, ſint peccata; quæ fuit ipſa Baij, & proſcripta ſententia. Rursùs: neque in tuto ponit Auguſtinum, illa de appetitu innato hominis aſſertio; tum quia talis bonitas concupita, non eſt moralis, ſed purè phyſica, vt propria appetitus prorsùs naturalis, & communis etiam irrationalibus: tùm & maximè, quia numquam, nuſquamque dixit Auguſtinus, illum appetitum eſſe amorem ſummi boni, ſed boni in communi, ſeu beatitudinis vniverſaliter ſumptæ: quem actum neque eſſe, nec poſſe eſſe peccatum, quondàm, ac multis etiam ex ipſo Auguſtino probavimus, agentes de primo Angelorum actu. *Tom. de Ang diſp. 8. dub. 2.*

69 Niſi ergo cenſeat Noriſius S. Auguſtinum deſideraſſe vt opera infidelium ſint bona moralitèr, aut nè ſint peccata, quod ab illis fiant medio auxilio ordinis naturæ immiſſo à Deo in his circunſ-

tantijs in quibus ſuo adiutorio infideles freti, poſſent vitare caſum in vanam gloriam, quem Cardinalis irreparabilem arbitratur, neſcio, qua ratione, aut ingenio, poſsit ſententiam Auguſtini, vt ab ipſo explicatam, à ſententia Baij ſecernere.

70 Hac namque via, quam aliqui & nobiles Theologi impunè ſequuntur, poteſt illa optimè, & ab ea, & ab aliorum cenſuris immunis defendi, quoniam perſpicuum eſt, quod quamvis medio auxilio purè naturali, non valeat opus elici ordinatum, nec poſsit antea elicitum referri in finem charitatis; poteſt tamen quam optimè per illud impediri, nè opus ordinetur in finem pravum, ſeu in vanam gloriam; vt liquet ex eventu propoſito, in quo operans benè circa obiectum virtutis moralis, ad alia ſubitò, & congruentèr divertatur.

71 Cum autèm tantam velit eſſe Noriſius in natura hominis lapſi, ex ponderata ab Auguſtino ſui complacentia, & delectatione, facilitatem, & pronitatem ad ruendum in philautiam, quod exiſtimet caſum eſſe irreparabilem, propterea cenſeri poteſt, quod S. Auguſtinus iudicaverit neceſſarium ad quodlibet opus bonum infidelis prædictum auxilium ordinis naturæ, nè referat ea opera ad ſui inanem gloriam: quo item poſſunt illa, & debent dici, non ſua, ſed Dei opera, nimirùm, ita ſemper congruo auxilio naturali ſubvenientis, ne in finem præpoſterum referantur.

72 Et ratio ex alio, & communiori Theologorum placito deſumpta, eſt, quia tanta illa pronitas ad ruendum in vanam gloriam, ſemper quod infidelis opera ut ex obiecto honeſto virtutis, poneret abs dubiò illum in tali ſtatu, quod quoties vellet operari ex obiecto honeſto, vrgeretur graviſsima tentatione cadendi in philautiam: cum autem ad victoriam prædictæ tentationis exigatur naturale auxilium etiam ab his Theologis qui illud nequaquam deſiderant ad quodcumque opus bonum morale ab infideli eliciendum, neque etiam ad victoriam tentationis levis: propter hanc inquam rationem, exiſtimari poteſt, quod Auguſtinus, cui communitèr Theologi in his præſertim de Gratia dogmatis adhærere cupiunt, cenſuerit opera omnia infidelium circa obiecta virtutum moralium, eſſe peccata, ex adhibito pravo fine, niſi Dei auxilio naturali præmuniantur ad id vitandum.

Quam-

73 Quamvis hæc via poſſit forsàm alicui arridere ad exponendam mentem Auguſtini, & concilianda plurima de re iſta teſtimonia illius quæ videntur contraria; quoniam ita conſtat quo ſenſu adverſus Julianum, & alibi, reprehendat opera infidelium veluti peccata, & eorum virtutes appellet vitia: quas tamen, earumque actiones è contra alibi, non reprehendendas, ſed laudandas, & quia bonas, remunerandas cenſet; ſiquidèm prædicta via componitur, quod voluerit ea opera fieri mala ex pravo fine neceſſariò moralitèr adhibendo, ſine divino auxilio: & quod intenderit eſſe bona ex ſuo obiecto, pravo fine remoto per Dei auxilium ordinis naturæ. Undè nullum Baius, Janſenius, aut Queſnellius pro ſuis damnatis theſibus ſuffragium deſumere poſſunt. Nam iſti contendunt opera infidelium eſſe peccata, quia facta, vel ſine gratia ſanctificante, vel ſine fide operante per charitatem, vel ſine charitate prædominante, vel, vno verbo, quia non ſunt poſitivè ſupernaturalitèr relata in finem charitatis.

74 Nihilominùs, quia exiſtìmo non poſſe teſtimonia omnia S. Auguſtini de re iſta præfatam expoſitionem ſuſtinere, quia dilertè, crebrò, & maximè contra Julianum, ait, opera infidelium eſſe peccata defectu ordinationis in finem charitatis, neque id propterea tantum quia illa ſint poſitivè ordinata in finem præpoſterum; ſed quia non propter Deum, ſive non recto fine facta ſunt: nam inquit: *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, & ſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Quæ verba (& alia ſimilia quæ ſæpè habet) vt videntur coegiſſe Noriſium ad eam ſententiam Auguſtino attribuendam, videntur planè favere Baianis, & Queſnellianis propoſitionibus damnatis. *Lib. 4. cont. Jul. cap. 3.*

75 Qua proptèr alia via ſcrutanda, exponenda, & defendenda eſt mens S. Auguſtini, atque ita vt ſententijs proprijs eiuſdem inhærendo, nulla relinquatur de eius patrocinio Queſnellilis confidentia, ac ſimul iſtorum errores appareant iure merito damnati. Et primò cenſemus probabiliſsimam quidem eſſe, & compendiariam viam exponendi Auguſtinum; ſi dicatur, quod quoties affirmat opera infidelium eſſe peccata, loquitur de operibus ab eis elicitis, ſecundum quod ſunt

infideles, & peccatores, ita nimirum, vt agant quatenùs infideles, ſeu, vt dici ſolet in Schola, *formalitèr*, aut *reduplicatiue*. Ita namque operantes, neceſſum eſt quod circunſtantia infidelitatis, intentione cuius tunc operantur, vitiet, & deturpet illorum actus.

76 In quo ſenſu videtur loqui S. Auguſtinus prætertim contra Julianum: nam ibi explicans in fine, & breviter colligens quæ antea dixerat, ait ad ipſum. *Aut ergo intellige quod ait Dominus, ſi oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit .... & hunc oculum agnoſces intentionem qua facit quiſque quod facit, & per hoc diſce, eum qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, eius quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus quod illis, velut membris, operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum.* Ex quo exemplo ex verbis Chriſti deſumpto, & quo etiam Queſnelitæ abutuntur, perſpicuum videtur, quod Interpres Auguſtinus cenſuerit, ea opera infid lis elicita intentione ſuæ tenebroſæ infidelitatis, ſeu quatenùs agens infidelis eſt, peccata eſſe, non futura talia, ſi aliàs infidelitas non ita formalitèr, & ex intentione, & fine operantis, ſed dumtaxat materialitèr, ad opus ſe haberet.

Matth. 6. 23.

77 Hunc Auguſtini ſenſum confirmat S. Thomas dicens: *Quando peccator facit aliquod bonum, ſecundum quod eſt peccator, & infidelis, totum eſt peccatum ex radice.* Itèm exemplum ex oculo nequam, eumdem ſenſum confirmat: quoniam vt oculus lucerna corporis eſt, ſimilitèr fides mentis eſt lucerna lucens in caliginoſo loco. Ut igitur qui ducitur oculo tenebroſo qua tali, ad alia opera corporis, & reliquorum membrorum facienda, neceſſè eſt vt actiones ſuæ perturbatæ, & inordinatæ evadant; non futuræ eiuſmodi, ſi ex ſolo influxu alterius membri, cæcitate materialitèr ſe habente, operaretur; ita qui operatur formalitèr ex infidelitate, malas actiones facit, quæ alias, & ab eodem bonæ forent ex ſuo obiecto, ſi ex ipſa infidelitate neque intenderentur, neque orirentur.

Sup. Paul. ad Tit. 1. lect. 4.

78 Quamvis exiſtimem hanc expoſitionem probabilem, ea tamen non vtar, quia Novatores contendunt S. Auguſtinum ſenſiſſe, non illa tantum infidelium opera eſſe peccata, quæ ex ſua infidelitate formalitèr efficiunt, ſed & quæcumque alia, imo, & omnia

nia quæ præcisè non ſint in finem charitatis ordinata. Cum autem indubitatum ſit, quod quamvis plurima illorum opera procedant ex influxu ſuæ infidelitatis, & indè vitientur; plura adhuc alia, vel eliciunt, vel ſaltem elicere poſſunt, non hac turpitudine, & tenebroſitate deformata, ſed ex honeſto virtutis fine, quæ ſolummodò careant ordinatione in finem charitatis: de quibus propterea eſt tota ratio dubitandi, totuſque Queſnelliſtarum error. Ut igitur illa etiam opera comprehendamus, alia & conformiori, ni fallor, menti Auguſtini explicatione, placet ſenſum illius exponere.

79 Et primò ſupponendum eſt, quod non ſemper S. Doctor appellat opera infidelium peccata, ſed quandoque illa peccata, quandoque autem opera non bona dicit. Similiterque virtutes illorum, interdum vitia, interdum etiam non veras virtutes appellat. Et quamvis omne opus quod peccatum eſt, ſit non bonum; omniſque virtus vitioſa, ſit non vera virtus. non tamen è contra, omne opus non bonum, peccatum eſt; neque omnis virtus non vera, vitium eſt: ſed hæc diſtinguenda ſunt iuxta ſenſum Auguſtini, qui præ oculis habendus eſt, de quo ſupra. *Num. 27.*

80 Etenim ſedulo animadvertendum, quod quoties S. Auguſtinus ait, vel contendit, opera infidelium, ſeu impiorum non eſſe bona, non negat operibus eorum omnem bonitatem abſolutè, ſed ſolam bonitatem quæ eſt perfectio ſimpliciter, ſive quæ habetur ex charitate ordinante opera in Deum ſummum, & vltimum finem. Similiter, cum ait non eſſe in infidelibus, & peccatoribus veras virtutes, non negat in eis abſolutè virtutes, ſed ſolummodò, quod non habent illas per charitatem formatas, & in finem iſtius relatas; eo quod, vt ſupra vidimus, Auguſtino nulla eſt virtus vera, ſeu hac appellatione digna, niſi quæ propter Deum operatur: ideò videlicet, ſi ex ipſo primordiali quærimus rationem, quia *Lib. 2. de lib. arb. cap. 15.* ſæpiſſimè ait, Deum ſolum *Serm. 55. de Verb. Dom.* eſſe verum, ſeu qui eſt ipſa veritas fixa, ſtabilis, incommutabilis: & cum verum definit *Soliloq. lib. 2. c. 5.* dicens, *eſſe id quod eſt*, hoc potiſſimum eſt ipſe Deus, qui de ſe inquit: *Ego ſum qui ſum.* Undè, & contra Julianum ſenſum hunc ſuum expreſsit dicens: *Ideò veras virtutes habemus, quia verum eſt propter quod facimus.* Quod item eſt expreſſum S. *1. 2. q. 65. art. 2.* Thomæ.

81 Rurſus, quoties ait ope-

opera infidelium eſſe peccata, & virtutes eorum eſſe vitia, loquitur planè de operibus poſitive deordinatis, ſive quæ non tantum carent relatione in Deum per charitatem, ſed vltra addunt pravam ordinationem ex perverſo amore proprio in finem præpoſterum, quæ ſic inficit actiones, vt quamtumvis iſtæ ſe gerant circa obiectum honeſtum, ex ea tamen prava circumſtantia, redduntur peccaminoſæ. Similiterque, vbi S. Auguſtinus aſſerit, virtutes Paganorum, aut impiorum eſſe vitia, loquitur de illis quarum actibus prædictum perverſum finem vltimum operans præſcribit.

82 Ex hac diverſa appellatione qua aliquando opera infidelium non bona, aliquando peccata; & quia interdùm virtutes eorumdem, non veras, & interdum eas vitia dicit, ſententia illius de re iſta, proprijs ſuis verbis colligenda eſt, quæ ſanè non eſt quam illi attribuit Cardinalis Noriſius, nec quam Baiani, & Queſnelliſtæ ſuis erroribus faventem putant. Tam enim ille, quam illi, iudicant Auguſtinum hoc tenere, quod opera omnia infidelium ſunt peccata, & virtutes illorum ſunt vitia, ex eo quod ſæpe affirmat opera illorum non eſſe bona, nec virtutes eſſe veras, defectu ordinationis in finem charitatis, ſeu quia non ſunt opera virtutum propter Deum facta: & ex eo etiam, quia ſæpè aſſerit, opera infidelium mala eſſe, ſeu peccata; & virtutes eorum eſſe vitia, ob pravam ordinationem vltimatam in finem perverſum, puta in vanam gloriam.

83 Hanc exiſtimant conceptam ab eo ſententiam fuiſſe, vt quamvis actiones virtutum acquiſitarum videantur in infidelibus bona officia ex obiecto, eas tamen Auguſtinus vitiatas reputaverit, vel ex pravo fine vltimo adhibito, vel ex non appoſito vltimo recto fine. Et hæc quæ eſt tota ratio, & ſumma diſcurſus Cardinalis de Noris, eſt etiam, ſi ingenue loquendum eſt, ſumma errorum Queſnellij in præſenti, & ſequentibus ſub hoc titulo propoſitionibus, vt propterea vix, aut ne vix quidem valeat à ſenſu theſium Baij, & Queſnellij, ſenſus Auguſtini diſtingui.

84 At procul ab illo, & eo procul quo propius ſive omninò inſinuans a communi, vera, & orthodoxa ſententia eſt. Immerito quidem confunduntur quæ Auguſtinus accuratiſſimis verbis diverſa eſſe vult. Si namque intendiſſet ope-

opera omnia infidelium eſſe peccata, quia plurima non ſunt bona, virtuteſque eſſe vitia, quia non ſunt virtutes veræ: atque etiam & conſequentèr omnes illorum actiones, ſimilitèrque virtutes, eſſe poſitivè, aut privativè inordinatas, quia plura ſunt, tantum negativè, non ordinatæ in Deum: vt quid quæſo tam ſtudioſis verbis, & ſententijs diceret interdum, opera infidelium non eſſe bona, virtutes non eſſe veras, quia non referuntur in finem charitatis: interdùm autem, opera infidelium eſſe peccata, virtutes eſſe vitia, quia ad præpoſterum finem ab operante ordinantur?

85 Non ita veluti inconſultò, aut oſcitantèr loquentem indico Auguſtinum, quod verbis ipſius tam demonſtro: Et primò, ex hoc ipſo loco contra Julianum vnde potiſsimum Noriſius ſuam de mente illius exiſtimationem concipit, &
Reſol. 10 contr. eund. Erbian. lib. 3 inſt. cap. 14.
vnde maxime Baius, & Queſnellius eius aucupantur ſuffragium, vt & quondam etiam Lutherus, & Calvinus. Initio enim vt redarguat Julianum negantem virtutes eſſe dona Dei, & contendentem quod ex ſententia eiuſdem Auguſtini, has virtutes habent infideles, & impij, vt pudicitiam coniugalem, quæ in impijs eſſe poteſt, volens exinde contra Auguſtinum inferre, quod poſſunt infideles, & impij rectè vivere ex vi ſuæ naturæ, & non ex fide per Chriſtum, S. Doctor ita reſpondet: *Ego dixi pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum veram fidem coniugii ſervat uxori.* Perpende illa, *veracitèr, & veram fidem.* *Lib. 4 cap. 3.*

86 Atque mox hanc ſui aſſerti rationem reddit. *Undè autem id oſtenderem, paulòpoſt adhibui, quod mihi viſum eſt grande documentum. Cum enim virtus ſit, inquam, pudicitia, cui vitium contrarium eſt impudicitia, omneſque virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent; quomodo vera ratione pudicum corpus aſſeritur, quando à vero Deo ipſe animus fornicatur?* In his plane non ait pudicitiam infidelis eſſe vitium, imò hoc nomine appellat impudicitiam illi contrariam: ſolummodòque inquit, eam non eſſe veram virtutem, nempè per ordinem ad Deum qui eſſentialiter verus, & veritas eſt. Nec dici poteſt, quod non intenderit, aut voluerit vtrumque accuratiſsimè diſtinguere, qui prædictis verbis ſe tradere grande documentum fatetur.

87 Conſequentèr ad ſenſum illum, cum laudet, ex

Xx

Epiſtol. 150. Xenocrate referente, Polemonis infidelis continentiam, qui *à dominatu luxuriæ liberatus,* & ebrioſus cum eſſet, *ad mores alios repente converſus eſt:* quæ ſane S. Auguſtinus non laudaret, ſi mala opera, & peccata eſſe putaret; hæc ſtatim addit: *Polemo ergo ſi ex luxurioſo continens factus, ita ſciret cuius eſſet hoc donum, & eum abiectis ſuperſtitionibus gentium piè coleret, non ſolum continens, ſed etiam veracitèr ſapiens, & ſalubritèr religioſus exiſteret, quod ei non tantum ad præſentis vitæ honeſtatem, verum & ad futuram immortalitatem valeret.* Erat itaque Auguſtino Polemonis continentia, non vitium, ſed virtus, quamvis non vera, quia non in Deum verum, Authoremque, & finem vltimum relata, neque ad ſalutem conducens; quapropter non erat ille veraciter, & ſalubritèr continens: ſed quæ cum nec eſſet, neque ab Auguſtino dicatur vitium, tamen ad eius præſentis vitæ honeſtatem in eo genere valebat.

88 Aliud, & luculentiſsimum eiuſdem teſtimonium adducam, quia in eo videtur varia opera infidelium, ſcilicet, quæ non bona ſimpliciter, & quæ poſitivè mala ſunt, ex diverſis vtrorumque motivis diſtincta deſignare. Loquens namque de quibuſdam Gentilibus, ait: *Excepto veri Dei cultu, in quo erraverunt colentes omnia quæ publicè colenda fuerant inſtituta, & creaturæ potiùs, quàm Creatori ſervientes; in cæteris moribus parſimoniæ, continentiæ, caſtitatis, ſobrietatis, mortis pro patriæ ſalute contemptu, ſervatæque fidei, non ſolum civibus, verum & hoſtibus, imitandi meritò proponuntur.* Ibid.

89 Habes itaque hic ab Auguſtino laudata infidelium opera, abs dubio non niſi bona, non niſi honeſta, vt quæ meritò proponuntur imitanda. Neque proinde cenſet ipſe, aut cenſenda ſunt ſimpliciter bona, cum non ſint relata in finem charitatis. Neque item exiſtimandum eſt, quod omnia, aut ſingula, quæ terminis adeo generalibus comprehendit, fuere honeſta, id eſt non vitiata ex pravo fine laudis humanæ, aut vanæ gloriæ; quippe id eſt impoſsibile moraliter in tot ſingularibus actionibus, atque in tot hominibus adeò ad philautiam pronis, vt aliàs ponderat S. Auguſtinus. Videtur itaque neceſſariò dicendum, quod putaverit ex tota illa collectione operum Paganorum, aliqua, tamen pauciora, fuiſſe moraliter bona ex obiecto, & fine proximo, & quia non relata

in

in finem perverſum: reliqua autem fuiſſe mala, quia quamvis circa obiectum honeſtum ſe gererent, ex adhibito poſitive pravo fine reddebantur vitioſa.

90 Idque vlterius manifeſtum fit ex his quæ ſtatim S. Auguſtinus ſubiungit. *Quæ quidem omnia, quoniam non referuntur ad finem rectæ, veræque pietatis, ſed ad factum inane humanæ laudis, & gloriæ, etiam ipſa inaneſcunt quodammodo, ſteriliaque redduntur.* Quamvis iis verbis doceat S. Auguſtinus opera infidelium, de quibus agit, ne quidquam conducere ad ſalutem prout oportet, proptereàque dicat, illa *inaneſcere*, & *ſterilia reddi*: etiam hoc ipſo innuit non exiſtimare, quod omnia illa fuerint peccata, quia videlicet ait, *inaneſcunt quodammodo*: non enim apud Auguſtinum preſſe, & formalitèr loquentem, opus peccaminoſum quodammodo tantum inaneſcit, ſed ſententia ipſius peccatum omninò nihil, ſeu pura privatio eſt, vt cunctis Theologis eſt notum.

91 Deindè, perpendenda ſunt verba illa: *Quoniam non referuntur ad finem rectæ, veræque pietatis, ſed ad factum inane humanæ laudis, & gloriæ.* Quæ aut ſupervacaneam, & redundantem repetitionem continent, aut duo prorsùs diverſa ſignificant, nempè, & non referri ad finem charitatis, & referri ad finem pravum, vt proinde cenſendum ſit hanc fuiſſe S. Auguſtini mentem, & ſententiam, quod in infidelibus opera virtutum pure non relata in finem charitatis, non idcircò peccata eſſe, ſed opera bona, quamvis non ſimplicitèr talia, ſed quæ quodammodò inaneſcunt, ſeu ſterilia ſunt ad ſalutem. Opera autem eorumdem poſitivè ordinata ad laudem propriam, & inanem gloriam, ex hac perverſitate finis vitiata, peccata ſunt.

92 His apertiſſimè quadrant quæ ſequuntur contra Julianum, qui cum contenderet opera hominum ex virtutibus inſitis viribus proprijs elicita, fieri arbitrio ipſorum, vel fructuoſa, vel ſterilia: fructuoſa quidem, cum ad æterna præmia dirigantur; ſecùs autem, ſterilia. Contra Auguſtinus multis probat prædicta opera ex propria natura facta, & ſine divina gratia, à qua vnicè habere poſſunt quod tendant ad finem vltimum, & ad præmia æterna, hoc ipſo ſterilia eſſe, nempe illius fructus quem Pelagianus viribus naturæ aſſequibilem volebat. Ex cuius poſitione, ait Au-

guſtinus neceſſario ſequitur, quod virtutes ſimulatæ quibus avarus v. g. operatur ex fine pravo ſuæ avaritiæ, veræ, & germanæ virtutes ſint, non vitia. *Ergo*, inquit, *virtutes iſta tali fine turpes, atque deformes, & ideo nullo modo germanæ, veræque virtutes, tibi tamen ita veræ videntur, & pulchræ, ut nec nominis ſui poſſint, nec generis ſuſtinere aſpectum, ſed ſolius quod appetiverunt præmij exilitate fruſtrentur.*

93 Duo hic ex Juliani poſitione, & refutatione Auguſtini notanda veniunt. Primùm, quod Pelagianus volebat opera naturalia infidelium, ex ſola intentione operantis, & directione illius ad præmium æternum, eſſe fructuoſa, & illius præmij meritoria. Secundum autem, quod virtutes quæ prædictorum operum principia erant, immutatæ omnino, ſeu nullatenùs deturpatæ, imò veræ, ac germanæ virtutes manebant, etiam ſi operans pravum per illas finem intenderet; & hoc eſt quod Auguſtinus prædictis verbis refutat tanquam abſurdum, quia neque illæ quæ videntur virtutes, tales ſunt, ſed eo fine deformes, potius ſunt vitia: neque ea opera quę videntur bona talia ſunt, ſed eo fine turpia, potius ſunt peccata. Undè poſteà addit: *Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.*

94 Ubi verba illa: *Si non propter hoc facit*, accipienda ſunt privative, nimirum, *ſi propter perverſum finem faciat*: quo ſcilicet facit privativè *non propter quod facere debet*; alitèr enim non cohærerent prioribus, nec ſequentibus quæ ſubiungit, & in queis hunc ſenſum manifeſtè explicat, dicens. *Quæ tu non attendens, fines ab officijs ſeparaſti, & virtutes veras officia ſine finibus appellandas eſſe dixiſti. Ex quo te tanta abſurditas ſequitur, ut veram cogaris appellari iuſtitiam, etiam cuius dominam repereris avaritiam.*

95 Pergit ulteriùs S. Auguſtinus demonſtrans Juliano, virtutes ſteriles, & opera ſterilia, ea eſſe, quibus operans tam mala voluntate, id eſt intentione agit, ut poſitivè amet vanam laudem, & gloriam, non apud Deum, ſed apud homines. *Bonum eſt enim*, inquit, *ut ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti. Sed ille qui hoc facit, ſi amando gloriam humanam, magis quam Dei facit, non bene bonum facit, quia*

non

non bonus facit, quod non bona voluntate facit. Abſit enim ut ſit, vel dicatur voluntas bona, quæ in alijs, vel in ſe ipſa, non in Domino gloriatur. In quibus verbis ſedulò conſiderandum ſe offert, quod non ideò malum appellat opus, quia præciſe non ad Deum, & eius gloriam ordinatur, ſcilicet, purè negativè; ſed omninò privativè, quia videlicet, poſitivè ad ſui gloriam, non ad gloriam Dei refertur: atque ſimilitèr non agit opus peccaminoſum, qui illud facit præciſe non amando Deum, & gloriam ipſius, id eſt purè negativè; ſed qui illud agit amando ſe ipſum, & gloriam propriam, magis quam Deum, & gloriam Dei; quo modo privativè, & perversè operatur.

96 Quod maximè obſervandum eſt, quia ex iniqua confuſione non relationis in Deum operis alias honeſti; & poſitivæ relationis contra Deum eiuſdem operis, oboritur error Baij, & Queſnellij, non ſtatuentium inter utrumque opus differentiam maximam bonitatis, & malitiæ, quam ex principijs notis moralitatis ſtatuere debuerunt: quamque S. Auguſtinus ſtudiose obſervat, dum ad deſignandum amorem proprium ex fine perverſum, opuſque ex fine pravum, minimè contentus eſt attribuere unius perverſitatem, & alterius pravitatem, nudę carentiæ ordinationis in Deum, ſed poſitivæ ordinationi in finem præpoſterum ex intentione operantis, unde reſultat inordinatio privativa in Deum turpiter deformans amorem, & opus. Quo apparet quam immeritò Noriſius alium Auguſtino ſenſum Baianis, & Queſnellianis theſibus faventem adſcribat.

97 Quod attinet autem ad ſterilitatem prædictorum operum, eadem ac debita diſtinctione loquitur S. Auguſtinus. Cum namquè ait, ea eſſe omninò ſterilia, quo negat eis omnem fœcunditatem tam mercedis æternæ, quam temporaneæ, manifeſte loquitur de operibus nullatenùs bonis, ſed ex perverſa poſitiva ordinatione pravis. Quarè paulòpoſt prædicta verba, & ad eorumdem ſenſum ſubiungit: *Fieri autem non poteſt ut ſterilitèr boni ſimus, ſed bonum non ſumus quidquid ſterilitèr ſumus.*

98 Quia namque Julianus affirmabat opera omnia ex obiecto virtuoſa, eſſe de ſe fœcunda præmij, aut æterni, aut temporalis, ſecundum

quod ad vnum, vel alterum, dirigebantur ab operante, atque penes hoc tantum virtutes, & opera diſtingui, quod, nimirum, vel ſunt fructuoſa, vel ſterilia vnius, aut alterius mercedis; in ſe tamen nec nomine, nec re differre, ſive fœcunda, ſive ſterilia ſint. *Pro iudicio voluntatis, cuius nutui ſerviunt* (aiebat de virtutibus Julianus) *aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur: quod cum ſit, non in eo quod ſunt, non in eo quod agunt, ſed in eo ſolum variant, quod merentur.* Unde concludebat: omnes virtutes animis hominum naturalitèr inſitas, facere illos, etiam infideles, bonos, vel fructuose, vel ſterilitèr, ſecundum quod per illas, vt volunt, operantur.

99 Hanc ex pluribus capitibus abſurdam poſitionem refellit Auguſtinus, primò, & præcipuè, quia independentèr à divina gratia per Chriſtum, & contra iura iſtius, facit eas virtutes, earumque actiones meritorias vitæ æternæ, & ex arbitrio voluntatis, ex ſolo nutu operantis, proindeque ſolis viribus naturæ fructuoſas mercedis tantæ. Secundò, demonſtrat ſequi aliud ex ea poſitione abſurdum, nempè quod homines etiam quando operantur ex perverſo ſuæ poſitivè intento circa obiectum exterius honeſtum, velut cum avarus abſtinet à luxuria, aut à furto, ne pecunia ſumptibus, ſeu litibus pereat; reipſa, & nomine boni, & virtuoſi ſunt, tametſi ſteriliter, quia virtutes eorum, *nec nominis ſui poſſunt, nec generis ſuſtinere diſpendium, ſed ſolius quod appetiverant præmij aut amplitudine dilatantur, aut exilitate fruſtrantur.*

100 Inſuper contendit S. Auguſtinus colligi ex eadem Juliani poſitione, quod in infidelibus, & impijs adhuc ita perverſè operantibus, ſunt reipſa, manentque virtutes, non vtcumque tales, ſed omninò veræ, ſive hac appellatione, & nomine dignæ: ſiquidèm iuxta Julianum, quomodolibet operans eis arbitrio ſuo vtatur, illæ nec nominis ſui, nec generis poſſunt ſuſtinere diſpendium. Quod ingens abſurdum Auguſtino eſt, quoniam vt ex ipſo iam conſtat, nulla virtus vera eſt, aut vera eſſe poteſt, niſi qua quis agit propter Deum, qui ſolus veritas eſt. Et hæc eſt ſumma totius diſputationis Auguſtini cum Juliano, ad cuius abſurda refutanda, totus illius ſenſus, totus conatus collineat.

101 Non itaque aſſerit S. Auguſtinus, quod virtutes, &

actio-

actiones infidelium purè non relatæ in Deum, ſed neque perversè ordinatæ in finem indebitum, ſunt omninò ſteriles, vt alij autumant, alij autem dubitant, non ſatis forsàm perpendentes verba illius, & ſenſum contra Julianum. Ea namque omnimoda ſterilitas propria tantummodò eſt operum pravorum, ſeu ex obiecto, ſeu ex perverſo fine. Quæ autem ex obiecto honeſto ſunt, non item in finem indebitum ordinata, ſed neque ad Deum relata, ſterilia prorsùs ſunt mercedis æternæ, mereri nequeunt Deum in quem non tendunt: hæc namque relatio, hæc tendentia, quam ſola charitas, & divina gratia præſtare poſſunt, poterat facere ea opera tanti fructus fœcunda.

102 Quia verò hac ſecluſa, præmium dumtaxát temporale reſpiciunt, non ſunt omnino ſterilia, nec conſequenter mala, ſed bona, dummodo ad finem præpoſterum poſitivè intentum non ordinentur, quamvis non ſint relata in Deum. Quod expreſſum eſt Auguſtini appellantis bona opera iſta, etſi præmij æterni ſterilia. *Ad ſalutem æternam*, ait, *nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuſlibet peſſimi invenitur.* (De Spir. & Litt. cap. 28.) In quibus etiam occurrit notandum, non potuiſſe Auguſtinum hæc dicentem cenſere, omninò irreparabilem eſſe in infidelibus, & impijs ita operantibus, caſum in philautiam, quo illorum opera, ſemper viciata, & peccata evadant, vt contendit Cardinalis Noriſius.

103 Deindè, hæc opera præmij æterni ſterilia, fore fructuoſa mercedis temporalis, docet etiam expreſsè S. Doctor, dum affirmat Deum remuneraſſe bonos mores, & opera Romanorum, gloria honoribuſque apud Gentes, ac potentia, & amplitudine imperij. (*Lib. 5. de Civitat. cap. 15.*) Atque id ipſum de Nabuchodonoſore docet Scriptura: & S. Hieronymus, exemplo illius, de alijs etiam Ethnicis ſimiliter operantibus, inquit: *Ex eo quod Nabuchodonoſor mercedem accepit boni operis intelligimus etiam Ethnicos, ſi quid operis boni fecerint, non abſque mercede Dei iudicio præteriri.* (*In c. 29. Ezechiel.*) Cum autem evidens ſit Deum nunquam, nullaque mercede, remunerare peccata, quæ ipſius potius diſplicentiam, odium, & pœnas omnes merentur, liquidò exhinc patet, quod nec prædicta opera fuere, aut ſint peccata, defectu purè negativo relationis in Deum: nec S. Auguſtinus, potuit exiſtimare

mare prava, & omnis mercedis ſterilia, opera quæ à Deo remuneranda cenſuit.

104 Ne tamen videar quidquam diſſimulare, aut ſcrupulum aliquem de mente illius inſedatum relinquere, locum ex ipſo adducam, quo maximè querunt Baius, & Queſnellius ſuos errores confirmare: ibi namque negare videtur in infidelibus, nedum virtutes veras, id eſt relatas in Deum, ſed etiam virtutes, tametſi non eo ſenſu veras, vere tales, & quas dicit vitia. *Nam licet, inquit, à quibuſdam tunc veræ, & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cum ad ſe ipſas referuntur; nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, ac ſuperbæ ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia iudicandæ ſunt.* Cenſet igitur Auguſtinus vitia eſſe virtutes, peccata eſſe opera infidelium, imo & quorumcumque, etiam ſi non referantur poſitive in pravum finem, nec propter iſtum expetantur: ſed & quæ ad ſe ipſas referuntur, ſive quæ circa obiecta honeſtum ſe gerant, quia adhuc iſtæ inflatæ, & ſuperbæ ſunt.

Lib. 19. de Civit. cap. 25.

105 Sed enimverò longè alius eo loci eſt Auguſtini ſenſus, qui ex toto contextu inveſtigandus, & eruendus eſt, præcedentia, ſcilicet, verba ſequentibus conferendo: quod idem S. Auguſtinus fieri deſiderat ad veram intelligentiam locorum Sacræ Scripturæ: eſtque id etiam circa Sanctos Patres obſervandum, præſertim cum ſententijs adverſis in ſpecie, de eadem re loqui videntur. Quin, & hæc regula ex vtroque iure deſumpta, & conſenſu Authorum probata, vti debemus edocti à Nicolao III. aiente: *Utriuſque iuris argumenta nos docent, ea quæ in principio, ad medium, & ad finem; illa vero quæ in medio, ad finem, atque principium; & ea quæ in fine, ad vtrumque, vel eorum alterum referri.*

Barboſa, Axi. 222.

Cap Exiij de verb. ſign.

106 Itaque ante prælibata ex Auguſtino verba, hæc quibus allegatum caput inchoat, & cum ſuper obiectis connexa, habet. *Quamlibet enim videatur animus corpori, & ratio vitijs laudabiliter imperare, ſi tamen Deo animus, & ratio ipſa non ſervit, ſicut ſibi ſerviendum eſſe ipſe Deus præcipit, nullo modo corpori, vitijſque rectè imperat. Nam qualis corporis, atque vitiorum poteſt eſſe mens domina, veri Dei neſcia, nec eius imperio ſubiugata, ſed vitioſiſsimis dæmonibus corrumpentibus proſtituta? Proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori, & vitijs, ad quod-*

libet adipiſcendum, vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſæ vitia ſunt potius quam virtutes. Nam licet, &c. vt ſupra.

107 Hæc Auguſtinus: quibus apertè ſignificat ſe toto eo capite loqui de homine operante actiones quæ videntur virtuoſæ, ſed animo privativè averſo à Deo, quia poſitivè, & vltimò converſo ad bonum commutabile. Quid namque aliud, niſi hoc explicare intendit, per animum non rectè imperantem vitijs; ſeù ita imperantem, non vt ea coerceat ſed vt ad quodlibet etiam vetitum adipiſcendum, vel tenendum feratur? Quid porrò per mentem non ſubiugatam imperio Dei, ſed vitioſiſsimis dæmonibus proſtitutam ſignificat, niſi perditiſsimam rebellemque Deo operandi voluntatem, & intentionem?

108 Iſtius itaque opera quantumvis ab ſpectantibus putentur honeſta, & veræ virtuoſa ex obiecto ſuo, prava omninò ſunt ex perverſo fine, inflataque ex ſuperbia, & eo praviora, quo ſimulata virtute eſſecta. At non huiuſmodi ſunt quæ in infidelibus, & impijs, Auguſtinus ipſe non vituperanda, ſed laudanda, ſed remuneranda, quamvis non mercede æterna, cenſet. Ergo neque ex prædicto teſtimonio concludi poteſt, quod vmquam exiſtimaverit opera infidelium, & impiorum, propriaq; virtutum moralium, fore peccata, hoc ipſo, quod tantùm non ſint relata in finem charitatis,

109 Quod demum evincam alio, non etiam vulgari teſtimonio illius, adeo tamen, ni fallor, perſpicuo, quod vel ipſos Queſnellitas, quamlibet pertinaces, ad deſperandam de eius patrocinio cogat. Utque evidentius pateat ſenſus illius, ipſis palam contrarius, neque vno tantum loco ab Auguſtino expreſſus, oportet ſequentem præmittere diſcurſum. Si S. Auguſtinus cenſuiſſet opera hominis impij non perversè poſitive ordinata, ſed neque etiam relata in finem charitatis, ſeu non propter Deum facta, peccata, & mala opera eſſe; quemadmodum mala opera, & peccata ſunt, quæ propter finem creatum; & eiusdem Deo antepoſitum fiunt: cenſuiſſet profecto ita operantem æterna pœna dignum, & æterno igni merito addicendum. At non id cenſet, non ita iudicat, ſed potius contrarium affirmat, ſtatuitque non ſemel diſtinguens inter priora, & poſteriora opera, vt eiuſmodi iſta reddant operantem damna-

nationis reum, illa autem dumtaxàt non dignum faciant operantem mercede æterna, idque docet non ex ſententia tantum propria, ſed ex doctrina, & ſenſu Apoſtoli quem exponit: Ergo è regione opponitur Queſnellio, Janſenio, & Baio.

110 Ipſi namquè pleno ore pronuntiantes virtutes impiorum eſſe vitia, opera quæcumque ab eis elicita etiam circa objectum honeſtum, quia ab homine inimico, & minime propter Deum facta, hoc ipſo peccata eſſe; & amorem proprium, ac rerum humanarum, propter hoc fieri malum, quia tantùm non refert ad Deum, quod ad ipſum referendum eſt: iſti, inquam, ut aperte ſentiunt perinde eſſe præfata opera non ordinari in Deum, non referri ad ipſum, non fieri propter ipſum, ac poſitivè ordinari in finem præpoſterum, referri ad illum, fieri propter illum; neceſſariò fateri debent prædicta opera ut prorsùs perverſa, peccata eſſe, quæ ſic operantem æternæ damnationis reum faciant: niſi forsàm, novo figmento, novo errore, velint ob flagitia condigne punienda, ſalvum, & indemnem relinquere delinquentem.

111 Nec ſequelæ vim effugient dicentes, opus non ita ad Deum relatum, malum eſſe, non autem peccatum lethale ſed dumtaxat veniale: quoniam hoc purum putum effugium eſt, & alias potiſsima fundamenta ſua labefactat. Poſsibiè non eſſe peccatum lethale opus quod, juxta ipſos, eſt tranſgreſſio præcepti, quod volunt eſſe affirmativum relationis in Deum apud Apoſtolum? Opus faciens hominem non referentem illud ad Deum, hoc ipſo, *plenum* 1. ad Cor. 10.
nigredine peccatorum, ut ipſi colligunt ex Auguſtino? Opus, Libr. 4. cont. Iul. cap. 3.
quo quis (juxta eoſdem Auguſtinum allegantes) *ita fruitur utendis*, ut per hoc quod Lib. 83. QQ. q. 10. Epiſtol. 110.
non ordinat illud in Deum, conſtituat in creatura *ſuum certum beatum, finemque ultimum*? Opus, quo anima, quia *non delectatur re incommutabili*, ideo *ſuperba eſt, & ſe pro ſummo habet*, ut ait idem S. Doctor? Qui ergo cenſent has graves contrahere noxas, ex ſententia Auguſtini, quodlibet opus non relatum in Deum, nequeunt proinde non cenſere illud peccatum eſſe lethale, & pœna æterna dignum.

112 At non ſic, ſed adverſa palam ſententia, & ad mentem Apoſtoli conformata, de condignitate prædictorum operum, & conſequenter de bonitate, & pravitate illorum, judi-

iudicat Auguſtinus, exponens non ſemel, ſemperque eodem, & conſtanti ſenſu, difficilem illum locum Pauli: *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit quia in igne revelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

1. ad Cor. 3. 12.

113 Hunc textum ita intelligit, & explanat S. Auguſtinus, vt per fundamentum voluerit Apoſtolus ſignificare Chriſtum, & eius fidem, vndè ſupponitur fideles eſſe ædificantes ſuper illud. Ædificium autem, ſeu ſtructuram, cenſet eſſe eorumdem opera, ſeu actiones: harum autem quæ aurum, argentum, & pretioſi lapides fuerint, igne probata manebunt, & operans mercedem propter illa accipiet. Quorum autem opera fuerint ligna, vel fœnum, vel ſtipula, igne ardebunt, operans tamen ſalvus erit, quamvis non propter prædicta opera. Hæc eſt ſumma expoſitionis Auguſtini, intelligentis alias per prædictum ignem, vel tribulationem quamdam operantis, vel ignem verum, aut temporaliter purgantem, aut æternum punientem.

114 Igni tamen æterno non adiudicandum operantem, vel superædificantem ligna, fœnum, & ſtipulam, expreſse docet, & liquet ex Apoſtolo dicente: *Ipſe autem ſalvus erit.* Iam verò videndum eſt, quænam aut qualia ſint iſta opera quæ lignum, fœnum, & ſtipula dicuntur, igne probanda, & conſumenda, vt non permanſura ad obtinendam mercedem, qualem obtinebunt alia opera contrapoſita quæ appellantur aurum, argentum, lapides pretioſi.

115 *Ligna quippè*, inquit Auguſtinus, *& fœnum, & ſtipula, non abſurdè accipi poſſunt rerum ſecularium, quamvis licitè conceſſarum, tales cupiditates, vt amitti ſine animi dolore non poſſint.* Hic advertat Queſnelliſta cupiditates rerum mundi licitè conceſſarum, minimè, vel eo nomine pravas. Rursùs adhibens alibi exemplum in eo, qui affectu quamvis carnali erga divitias, ijs benè vtitur, nullum committendo, vel intendendo propter illas flagitium: ſimiliter & in eo qui propter vxorem dilectam, co-

Enchir. cap. 68.

gitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, non ſic tamen, vt ob illius amorem latrocinia, aut alia peccata admittat; hæc inquam iſtorum opera ligna, fœnum, & ſtipulam dicit: *Propter carnalem, vt dixi, quem in eis habebat affectum, talibus bonis ſine dolore carere non poſſet, ædificaret ſuper fundamentum illud fœnum, ligna, ſtipulam: maximè ſi & vxorem ſic haberet, vt etiam propter ipſam cogitaret ea quæ ſunt mundi quomodo placeat vxori.*

De fid. & oper. cap. 16.

116 Præterea alibi adhùc inquit. *Vide in Apoſtoli verbis hominem ædificantem ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos. Qui ſine vxore eſt, inquit, cogitat quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo. Vide alium ædificantem ligna, fœnum, ſtipulam: qui autem matrimonio iunctus eſt, inquit, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori.* Scilicet, ea opera ſunt aurum, argentum, quæ fiunt ex amore Dei, propter Deum, & vt illi placeant. Ea autem, ligna ſunt, & fœnum, quæ orta ex amore proprio, & rerum conceſſarum mundi, quamvis carnali, honeſto tamen, & moderato, non habent finem præpoſterum, & prępoſitum fundamento, quod eſt Chriſtus. *Poteſt ergo & iſte habere in fundamento Chriſtum: ſi enim nihil ei talis affectionis voluptatiſque præponat, quamvis ſuperædificet ligna, fœnum, ſtipulam, Chriſtus eſt fundamentum, propter hoc ſalvus erit per ignem. Delitias quippè huiuſmodi amoreſque terrenos, propter coniugalem quidem copulam non damnabiles, tribulationis ignis exuret.* Ita Auguſtinus.

Lib. 21. de Civit. cap. 26.

Ibi.

117 Cuius proindè ſententia, doctrina etiam, & ſenſu Apoſtoli confirmata, non poteſt planiùs explicari: & quæ ab ipſo tradita non perfunctoriè, aut obitèr, nec ſemèl, ſed dedita opera, & tot locis allegatis, demonſtrat, quam aliena fuerit mens illius à ſuperiori ei per Noriſium adſcripta; quamque adverſa ſit conſequentèr theſibus damnatis Baij, Janſenij, & Queſnellij: vt propterea non niſi iniquè valeant iſtorum ſequaces, vſurpata etiam laudati Cardinalis authoritate, de patrocinio S. Auguſtini gloriari.

118 Quod vt vltrà, & evidentiùs adhùc conſtet, ſimulque fiat ex doctrina præfata Apoſtoli, & Auguſtini, tota ſententia noſtra manifeſtior, animadvertendum eſt quod S. D. in hac iterata textus Pauli expoſitione, accuratè,

te, & perſpicuè dinſtinguit tria genera operum. Nimirùm, aliaquæ ſuperædificata ſuper fundamentum *Chriſtus*, aurum ſunt, argentum, & lapides pretioſi; quia facta propter Chriſtum finem charitatis, per iſtam formata, valorata, pretium ſalutis operantium continent. *Quia Chriſtum in fundamento ſtabilitèr poſitum præcellenti charitate tenuerunt.* Et hæc ſunt opera perfecta, ac virtutum verè talium, ordinata in Deum finem vltimum, permanentia ex charitate quæ nunquam excidit, meritoria ſalutis operantis, ob quæ *mercedem accipiet*, quia ijs operibus ſoli Deo placere cogitat. *Et hæ cog tationes ſunt, quantum exiſtimo*, inquit Auguſtinus, *aurum, argentum, lapides pretioſi.*

Vbi ſup. de Civit.

Loco de fid. & oper.

119 Alia ſunt opera ſuperædificata ſuper fundamentum *Chriſtus*, quæ ſunt ligna, fœnum, ſtipula, id eſt amores carnales, ſeu cupiditates alioqui honeſtæ, & *rerum licitè conceſſarum*: & quibus operans ſibi, vxori, aut alijs, licitè placere cupit, non tamen ita, vt hæc obiecta præponat Chriſto, ſcilicet, non ſic illa amat, vt in eis ſuum vltimum finem quærat, aut ponat. Qui ita moderate operatur, quamvis ligna, fœnum, & ſtipulam ædificet, ſalvus tamen erit, non ob prædicta opera, ſeu merito illorum, carent enim valore, nempè, non ſunt aurum, neque argentum, defectu ordinationis per charitatem.

120 Quia tamen defectus iſte purè negativus eſt, dùm præfata opera non ſunt poſitivè deordinata, ſeu relata ad creaturam præpoſitam Deo, idcircò quamvis ligna, & ſtipula ſint, id eſt ſterilia ad ſalutem, non propterea ſunt eo ipſo mala; neque ob illa damnabitur operans, qui cum eis *ſalvus erit*; quod perindè eſt ac prædicta opera eſſe bona moralitèr, quamvis non perfecta ſimplicitèr; eſſe digna mercedis temporalis, quamvis non æternæ; virtuteſque quæ ſunt illorum principia, non eſſe vitia, quamvis quia carent tendentia ad ſummum bonum, non etiam ſunt dignæ vt veræ virtutes dicantur. *Verùm qui has neceſſitudines ſic amat carnalitèr, vt tamen eas Chriſto Domino non præponat, malitque ipſis carere quam Chriſto, ſi ad hunc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem ſalvus erit.* Inquit Auguſtinus.

Ex loc. de Civit.

121 Qui tam ſignificantèr ſuam mentem exprimit, quam & perſpicuè noſtram, & veram confirmat doctrinam; atque adverſam Queſnellij op-

oppugnat, vt audacter dicam, neminem qui hæc legat, quamlibet pertinax, ſi vel tantum compos rationis ſit, poſſe de illius ſententia dubitare. Amor namque, etiam carnalis, circa res licitas mundi, circa humanas neceſsitudines, vxorem, propinquos, conſanguineos, amicos, de quibus alibi ex S. Thoma, talis eſt, iuxta Auguſtinum exponentem Paulum, quo amans nullum ſuæ ſaluti æternæ obſtaculum ponit, dummodò non illa ſic amet, vt Chriſto præponat; & dummodò de hac prælatione tentatus, ſi optio daretur, mallet illis carere, quam Chriſto: ergo malus non eſt, nec fuit vmquàm Auguſtino talis amor, qui alias Queſnellio pravus, execrandus, & ad hominis damnationem vtilis eſt, eo præcisè quia non præponit tunc Chriſtum, referendo poſitivè ad ipſum obiecta quæ diligit.

122 Ita Nebulo iſte iniqua permixtione veritatis cum errore, veram doctrinam Pauli, & Auguſtini, cum perverſo mendacio ſuo confundit, ſcilicèt, fallacíſsima indiſcretione vocum ſignificantium fines planè oppoſitos. Cuius dolum faciliime deteget qui obſervet non eſſe idem, aut nullo modo inferri, cupiditates carnales circa res licitas eſſe præpoſitas Chriſto, quia Chriſtus non eſt præpoſitus illis: eſſe prave ordinatas in finem præpoſterum, quia non ſunt poſitive relatæ in finem debitum. Hoc eſt quod ſonat propoſitio Queſnellij vtrumque, vel malitiosè, vel inconſiderate confundentis.

123 Non ita profectò S. Auguſtinus cenſens eas cupiditates carnales non pravas, ſeu moraliter bonas, quamvis ſteriles ad ſalutem, veluti ligna, aut fœnum, eo tantùm quia non ſunt præpoſitæ Chriſto, quin propterea velit, quod illę ſint poſitivè poſtpoſitæ Chriſto, ſeu quod Chriſtus ſit illis præpoſitus poſitivè: quod perinde eſt, ac Auguſtinum tenuiſſe, quod illæ cupiditates moderatæ & licitæ, non ſunt malæ, ſed moralitèr bonæ, eo quia non ſunt perversè vltimò ordinatæ in finem indebitum, quin propterea voluerit eas eſſe poſitive relatas ad Deum. Si namque vtrumque intenderet, aut exiſtimaret indiviſum, ſenſum Pauli potius confunderet, quam illuſtraret; quoniam opera illa ſic relata, non iam ligna, aut ſtipula, ſed aurum, & argentum forent; non ſterilia, ſed fructuoſa ſalutis; non vt cumque bona, ſed ſimplicitèr perfecta, & valorata eſſent.

124 Ut igitur doctrina Apoſ-

Apoſtoli vera eſt, & expoſitione Auguſtini perſpicuè elucidatur, dum conſtat alia eſſe opera aurea ex ordinatione charitatis, alia eſſe opera lignea non relata per charitatem: priora meritoria ſalutis, ob quæ operans ſalvus erit; poſtrema ita bona, vt quamvis non proptèr illa operans ſalvetur, tamen proptèr illa nequaquàm damnetur, ſed ſalvus fiat: neceſſum omninò eſt, vt hæc ita diſcreta conſtent, fateri, non eſſe prorſus idem, quod in aliquibus operibus Chriſtus non ſit præpoſitus vt finis vltimus, & quod ſit re ipſa poſtpoſitus. Item, quod amans obiecta licita mundi, ea præponat Chriſto, dum illis non anteponit Chriſtum: ſive quod illa amet propter ſe ipſum tanquam propter finem vltimum, quando præcisè non ea diligit propter Deum, & Chriſtum.

125 Non igitur eſt omninò idem aut Paulo, aut Auguſtino, quod res mundi quæ licitè amantur, non ſint ordinatę in Deum per charitatem, & quod hoc ipſo ſint relatæ ad finem præpoſterum, ex quo illarum cupiditates reddantur depravatæ, & amans non ſalvus, ſed illæ damnationis reus fiat. Id quod idem S. Auguſtinus amplius etiam expreſſit, ne vllum nobis ſcrupulum de mente ſua relinqueret, nam ante verba vltimò allata, loquens de cupiditatibus anteponentibus Chriſto obiecta mundi, inquit. *Quicumque autem, non dico uxorem .... ſed quæ ab huiuſmodi delectationibus aliena ſunt nomina pietatis, hum ino more carnaliter diligendo, Chriſto anteponit, non eum habet in fundamento; & ideo non per ignem ſalvus erit; ſed ſalvus non erit, quia eſſe cum Salvatore non poterit, qui de hac re apertiſſimè loquens, ait: Qui amat Patrem, aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.*

126 Cum veró ſtatim ſubiungat verba illa: *Verum qui has neceſſitudines ſic amat carnaliter, vt tamen eas Chriſto Domino non præponat .... ſalvus erit*: manifeſtiſſimè ſignificat, ſe diſtinguere cum Apoſtolo, perverſam poſitivam rerum mundi prælationem reſpectu Dei, quæ illarum amorem noxium, & amantem reum damnationis facit, & purè negativam, proptereaque non perverſam, non prælationem earundem rerum reſpectu Dei, quę illarum amorē alias moderatum, non noxium, non peccaminoſum reddit, neque impedit, quin operans ſal-

vus

vus fiat. Primam perverſam prælationem denotant apertè verba illa, *Chriſto anteponit*, & ſimul illa ex verbis Salvatoris: *Pluſquam me, & ſuper me.* Aliam autem puram non prælationem, perſpicuè deſignant verba illa: *Chriſto Domino non præponit.*

127 En itaque ab Auguſtino accuratiſsimè diſtinctas, ex finibus, cupiditates, & actiones, quæ pravæ, & peccaminoſæ erunt, ſi in finem præpoſterum ordinentur; & quæ item non perverſæ, non malæ, ſed bonæ erunt, quamvis non ſimpliciter bonæ, & prout oportet ad ſalutem, etiam ſi non ſint ad Deum relatæ; quia, ſcilicet, hæc non relatio purè negativa, non facit quod res illæ concupitæ, ſint ab amante antepoſitæ Chriſto, ſed tantum quod Chriſtus non ſit præpoſitus illis. Hac igitur diſcretione, & exacta rerum, & amorum æſtimatione, tàm digna Auguſtino, quàm adverſa iſtique confuſioni, qua, poſt Baium, & Janſenium, utitur Queſnellius, fit manifeſta S.D. mens, & ſententia de re iſta, quæ ſola erroneas Queſnellij propoſitiones, earum fallacia omninò detecta, oppugnat.

128 Nec rem ſolummodò definit de Chriſtianis, de quibus Queſnellius, qui habentes pro fundamento Chriſtum, & eius fidem, interdùm, aut ſæpe ſuperædificant ligna, fœnum, ſtipulam, opera ſcilicet, non ordinata in Deum: ſed etiam de infidelibus, & Paganis, cenſendum eſt loqui Auguſtinum, neque exiſtimaſſe, quod prædicta opera ſunt in eis peccata, quamvis non ſupra fidem conſtructa. Etenim amor honeſtus coniugalis, amorque honeſtus Patris, aut filij, non relatus ad Deum, communis eſt Paganis, & Chriſtianis, qui ſi in his pravus non eſt, neque in illis ſolo defectu prædictæ relationis perverſus eſt. Et idem ſentiendum de alijs virtutum moralium actionibus.

129 Quod rursùs docet S. Auguſtinus paucis item complectens, & diſtinguens eodem exemplo opera prava, opera perfecta ex charitate, & opera non mala, ſeu pure non relata ad Deum, communia Chriſtianis, & Gentilibus. *Si quis itaque Chriſtianus*, inquit *diligit meretricem, eique adhærens unum corpus efficitur, iam in fundamento non habet Chriſtum. Si quis autem diligit uxorem ſuam, ſi ſecundum Chriſtum; quis ei dubitet in fundamento eſſe Chriſtum? Si verò ſecundum hoc ſæculum, ſi carnaliter, ſi in morbo concupiſcentiarum, ſicut & Gentes quæ ignorant Deum,*

De Civit. lib. 21. cap. 26.

Deum, etiam hoc ſecundum veniam concedit Apoſtolus, imò per Apoſtolum Chriſtus .... ſi enim nihil ei talis affectionis, voluptatiſque præponat, &c. vt ſupra. *Ibid.*

Ibid. 130 Non igitur reprobat in Gentilibus has cupiditates, quas in ipſis Chriſtianis venia dignas per Chriſtum, & Apoſtolum fatetur, quia ſcilicet dummodò amans non prępona ea licita obiecta Deo, quamvis illa non diligat ſecundum Chriſtum, id eſt, quamvis ea non referat ad Deum, hoc enim eſt diligere ſecundum Chriſtum; hæc pura relationis carentia, hæc pura non prælatio, aut præpoſitio Chriſti, quemadmodum non facit quod Chriſtus poſthabeatur, aut poſtponatur, ita nec reddit prædictas cupiditates damnabiles, neque in Chriſtianis, neque in Gentilibus.

131 Adeò namque conſtans Auguſtini ſententia fuit, quod opera, & virtutes, diſcernenda ſunt, non officijs, ſed finibus, vt contra Julianum loquitur; quod etiam in illicito opere Chriſtiani diligentis meretricem, ad finem pravum attenderit, quæſieritque in illo perverſam præpoſitionem, & poſtpoſitionem, vt inde pravitatem operis, etiam aliàs prohibiti, demonſtraret. *Quiſquis itaque*, ait, *ſic habet in corde Chriſtum, vt ei terrena, & temporalia, nec ea quæ licita ſunt, atque conceſſa, præponat, fundamentum habet Chriſtum. Si autem præponit, & ſi videatur habere fidem Chriſti, non eſt tamen in eo fundamentum Chriſtus, cui talia præponuntur: quantò magis ſi ſalutaria præcepta contemnens committat illicita, non præpoſuiſſe Chriſtum, ſed poſtpoſuiſſe convincitur, quem poſthabuit imperantem, ſive concedentem, dum contra eius imperata, ſive conceſſa, ſuam per flagitia diligit explere libidinem? Si quis itaque Chriſtianus diligit meretricem, &c.*

132 Qui ergo in cupiditate rei illicitæ, & prohibitæ, tantam voluit habere rationem finis præpoſiti, & poſtpoſiti, vt exinde malitiam operis penſandam cenſeat; profectò in cupiditate rei licitæ, & conceſſæ, nullam agnoſcit malitiam, dummodo tantum illa non præponatur Chriſto: ita namque neque Chriſtus poſtponitur illi, neque qui ſic operatur, reus eſt propterea damnationis, Iudicibus Paulo, & Auguſtino: ſed ſi ille Chriſtianus ſit, adhuc in fundamento habet Chriſtum, ſupra quem nihil malum,

nihil niſi bonum, ſivè ſit charitate valoratum, vt aurum; ſivè ſit ſterile vt lignum, ſed quidem honeſtum, ædificari poteſt: quia imò ædificans etiam lignum, aut fœnum, quamvis *ſi eius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

133 Quæ vltima Apoſtoli verba dupliciter exponit Auguſtinus. Primò, vt ſenſus ſit, quod qui carnalia licita, & conceſſa diligit, ſi præponens illis amorem Dei vt ſalutem conſequatur, ab eis poſtea diligendis abſtineat, non ſine paſsione, & tormento illis carebit, ipſe autem ſalvus erit. Ait quippe: *Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali, non ſine dolore amittuntur, propterea qui ſic ea habent, cum habeant in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, neque huic iſta vlla ratione, vel cupiditate, præponant, in eorum amiſsione paſsi detrimentum, per ignem quemdam doloris perveniunt ad ſalutem.* Qua expoſitione iterum confirmat, quod amor alias honeſtus nihil habet pravitatis impedientis ſalutem amantis, dummodò iſte non præponat poſitivè res mundi, obiecto charitatis.

De fid. & oper. cap. 16.

134 Secundò, verba Pauli ita exponit, vt ſit illorum ſenſus, quod cum in amore iſtarum rerum maximè allicientium corda hominum, non raro inveniatur aliquis exceſſus, ſeu nonnulla adhæſio ijs delectabilibus obiectis, vnde eorumdem cupiditate, non omninò evadunt honeſtæ, vel immunes ab omni noxa, ſcilicet veniali; idcircò ea opera arſura dicit Apoſtolus, nempè igne purgatorio probanda, & excoquenda, per quem operans ſalvus erit. *Per ignem quemdam purgatorium*, inquit, *quantò magis, minuſvè bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs, citiuſque ſalvari.* Quem ſenſum commendat etiam ex eo quod alibi contendit, non poſſe prædicta verba intelligi de igne æterno damnatorum, quia ſic operantes, quamvis ligna, & ſtipulam ædificent, ſalvi erunt. Non igitur cenſet huiuſmodi opera, hoc tantum quia ſunt non relata ad Deum, eſſe perverſe ordinata, aut fieri mala adhuc venialiter.

Enchir. 69.

Lib. 21. de Civit. cap. 26.

135 Verùm ſatis iam, & fors in pluſquam ſatis de S. Auguſtini mente, quæ, niſi plurimum fallor, explicatiſsima ab ipſomet traditur tot proprijs expreſsionibus, quot iteratò, & conſtanter vtitur in hac ſua Paulini textus expoſitione, quam alibi adhùc, eodem ſenſu, & conſtantia tra-

In Pſ. 80 in fine. tradit. Mirorque, quod tam inſignis locus, nec Cardinali Noriſio, neque alijs eius ſenſum in re illa indagantibus occurrerit, quo nimirùm accuratè ponderato, aut aliter de eius ſententia iudicarent, aut ſaltem non tam confidenter illi attribuerint, quam Novatores vt ſuis damnatis erroribus faventem, gratanter aprehendunt.

136 Neque in ea exploranda præſtitam à nobis operam exiſtimabit ſupervacaneam, qui ſedulò animadvertat, eadem ſimul, directè, & funditus manere diſipatam præſentem Queſnellij propoſitionem, quæ & eo maximè demonſtratur erronea, & diris compoſitis dignißima, quo illa patentèr militat contra ſenſum Apoſtoli, ab Auguſtino ex laudato textu erutum, & enucleatum. Cui ex adverſùm conſonat omninò doctrina initio tradita, & ex eodem S. D. ac S. Thoma confirmata, vt nimirùm ad refutandam theſem illam Queſnellianam cuncta dicta apprimè cõſpirent. Num. 12. & 16.

137 Quæ namque S. Auguſtinus dicit de Amore licito proprio, & rerum mundi; quęque S. Thomas profert de amore ſui ordinato qui non pertingit vſque ad contemptum Dei, eadem opera ſunt, cupiditates ſunt, quas Apoſtolus ligna, fœnum, ſtipulam appellat, quæ & ſi non ſint aurum, argentum, & lapides pretioſi, quia non relatæ ad Deum per charitatem, à qua ſola tantum valorem, & pretioſitatem habere poterant, & merita ſalutis fieri, tamen quia non verſantur circa obiecta prohibita, nec ſunt in perverſum finem ordinatæ, neque res dilectas ſummo bono poſitivè anteponunt, ſeu iſtud illis poſtponunt; talia ſunt & dicuntur ab Apoſtolo, & Auguſtino opera, quæ à viro Chriſtiano ædificari poſſunt ſupra fundamentum qui Chriſtus eſt, incolumi fundamento, & quæ nequaquam obſtant ſaluti operantis.

138 Non ita prorsùs Queſnellius, non ita Baius, & Janſenius, ſed ex diametro oppoſiti, & verbis, ac ſenſu repugnantes, dicunt, amorem quo quiſque ſe diligit, tantum ad Deum non ordinatum, hoc ipſo malum eſſe, & ſimul quaſcumque volitiones, aut cupiditates rerum mundi ita ex illo naſcentes abſque relatione ad Deum, noxias eſſe; quæ vt tales ædificari nequeunt ab homine Chriſtiano ſuper fundamentum Chriſtus; niſi illud concutiant, evertant, nequeuntque propterea non obſiſtere ſalvationi ſic operantis: quorum hæc vnica,

 ca,

ca, & celebratiſsima ratio eſt, quia prædictus amor proprius tantorum malorum origo, hoc ipſo fit malus, hoc ipſo reliquas cupiditates inficit, quia non refert ad Deum, quod ad ipſum referendum erat.

139 At ſi aliqua in illis aliquandò, aut ſæpe, malitia eſt, hæc non gravis, ſed venialis, non impediens, ſed tantummodò retardans, ſalutem operantis eſt: ſed neque hoc eis competit quia non referunt ad Deum, quod ad ipſum referendum erat; ſed præcisè, quia vehementiore affectu erga illa quis teneatur, quam debet: & hic eſt venialis exceſſus quem per ignem expiandum, & conſumendum dicit Auguſtinus ex Apoſtolo, & id ipſum affirmat expreſsè S. Thomas. Verùm vt mira vtriuſque concordia appareat tàm in hoc, quàm in toto ſenſu Paulini textus, pugnante cum ſenſu Queſnellij, oportet rursùs textum Interprete S. Thoma ſtrictiùs illuſtrare.

140 Præmiſſo namquè Chriſtum, & fidem eius eſſe fundamentum ſupra quod Apoſtolus vult ædificari opera quæ non ſunt peccata, quia inquit S. Thomas, *In hoc ædificio nihil ædificatur niſi vivum: vndè qui cum fide habet peccata mortalia, non ſuperædificat, ſed magis deſtruit.... Oportet ergo intelligere, quod tam ille qui ſuperædificat fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos, quam etiam ille qui ſuperædificat lignum, fænum, ſtipulam, vitet peccata. Ad horum ergo diſtinctionem, intelligendum eſt, quod actus humani ex obiectis ſpeciem habent. Duplex eſt autem obiectum humani actus, ſcilicet, res ſpiritualis, & corporalis.*

In 1. ad Cor. c. 3. lect. 2.

141 Aſsignataque multiplici iſtorum obiectorum differentia, & ſtatuto, *quod opera quibus homo innititur rebus ſpiritualibus, & divinis, comparantur auro, argento, & lapidi pretioſo .... Quibus homo tendit in ipſum Deum per contemplationem, & amorem*; & ita, inquit ſuperædificat aurum, argentum, lapides pretioſos. *Opera verò humana, quibus homo intendit rebus corporalibus*, comparantur lignis, fœno, & ſtipulæ. Ait namque: *Superædificare verò lignum, fænum, & ſtipulam, eſt ſuperaddere fidei fundamento ea quæ pertinent ad diſpoſitionem humanarum rerum, & ad onera carnis, & ad exteriorem gloriam.*

142 Hæc autem opera docet poſſe tripliciter ab homine iuvendi. *Uno modo ita quod*

quod in his finem conſtituat, & cum hoc ſit peccatum mortale, per hoc modo non ſuperædificat, ſed è converſo, fundamento, aliud fundamentum collocat. Nam finis eſt fundamentum in rebus appetibilibus, quæ quæruntur propter finem. Alio modo aliquis intendit uti prædictis rebus totalitèr ordinans eas in Dei gloriam: & quia opera ſpecificantur ex fine intento, hoc iam non erit ædificare lignum, fœnum, & ſtipulam, ſed aurum, argentum, & lapides pretioſos. Alius itaque modus ſuperædificandi reſtat: ergo alia aſsignanda ſunt opera ſuperſtruenda, quæ nec ſint peccata deſtruentia ex præpoſtero poſitivo fine fundamentum, nec ſint aurum, argentum, & lapides pretioſi ex ordinatione in Deum per charitatem.

143 Hæc quamvis inviſa Queſnellio, ab Apoſtolo tamen ſignificata, deſignat S. Thom. his verbis. *Tertio modo aliquis, licet in his finem non conſtituat, nec vellet propter iſta contra Deum facere, afficitur tamen iſtis magis quam deberet, ita quod per hæc retardatur ab his quæ Dei ſunt, quod eſt peccare venialitèr; & hoc propriè eſt ædificare lignum, fœnum, ſtipulam.* En itaque opera quæ non ſunt peccata, neque deſtruunt fundamentum, ex eo quia operans intendat conſtituere finem vltimum in obiectis mundi quæ diligit: & quæ itèm non ſunt aurum, argentum, & lapides pretioſi, ideò quià operans ordinet per charitatem res à ſe dilectas in Dei gloriam. Quæ ergo, aut qualia erunt opera iſta, quæ nec peccata, nec meritoria ſunt?

144 Profectò hæc ſunt quibus operans ita ſe gerit circa res quæ diligit, *ut in his finem non conſtituat*: quamobrèm ea opera non ſunt peccata: & quamvis non ea in Dei gloriam poſitivè ordinet, vnde forent meritoria, non propterea *vellet contra Deum facere*, vnde eſſent prava. Sunt igitur opera purè non relata in Deum per charitatem, ex quo non ſunt aurum, & ex quo ſunt ligna; ſed non ideò ordinata in finem præpoſterum: quæ quamvis non ideò mala quia non relata ad Deum, plerumque tamen aliqualem malitiam, nempè venialem, habent adiunctam, propter *vehementiorem affectum ad ea obiecta*, velut ait D. Thomas, quia ijs *operans magis quam deberet afficitur.*

145 Cum tàm perſpicua doctrina Pauli, à SS. Auguſtino, & Thoma conformi ſententia enucleata, & commen-

data, quis non videat manifeſtè pugnantem propoſitionem Queſnellij ſtatuentis, non tres, ſed duas tantum volitionum, & actionum humanarum ſpecies? quarum aliæ ortæ ex amore Dei, aut charitate, hoc ipſo aurum, argentum, & lapides pretioſi ſunt: aliæ autem naſcentes ex amore proprio, non referente ſe, & reliqua in Deum, hoc ipſo nec ſaltem ſunt ligna, fœnum, ſtipula, aut quicquam quod ſupra fundamentum Chriſtus, & fidem, ædificari valeat, ſed imò eo ipſo mala ſunt, peccata ſunt, ſaluti operantis obſtantia, & potiùs ad everſionem fundamenti quam ad vllam ſtructuram conducentia,

146 Hùc collimant propoſitiones omnes Queſnellij, quas ab Anonymo ſub titulo de *Timore* locatas, exploſimus: Huc etiam tendunt aliæ de *Diſciplina pœnitentiæ*, de *Veteri, & novo fœdere*. Hùc præſentes, hùc cunctæ, in quibus ſolam charitatem, & hanc, vt Janſeniſtæ aiunt, Prædominantem, Queſnellius agnoſcit, & fatetur vnicam virtutem, vtilem ad quæcumque bona opera, quæ niſi ab ea naſcantur, totius bonitatis expertia, quin & perverſa, & peccaminoſa eſſe cenſet.

147 Ex hinc oritur vatinianum Janſeniſtarum, & Queſnellij odium contra Attritionem Sacramentalem, & adverſus omnem timorem diſtricti judicij Dei, & pœnarum inferni; quia cenſent hos actus, & opera reliqua quæ ante iuſtificationem fiunt, peccata eſſe, atque prædictum timorem, hominem reum, imò & Judæum facere; eſſe brutalem paſſionem, & vtilem tantum ad deſperationem peccatoris, ideò videlicet, quia prædicti actus non procedentes ex fide quæ per charitatem operatur, non ab amore Dei, ſed ab amore proprio, non referente illos ad Deum, ſed in proprium commodum, hoc ipſo, vt à tali origine depravati, aiunt, mali ſunt, perverſi ſunt.

148 Quod quam perniciale dogma ſit falſiſſimo ſimul, ac fallaciſſimo innixum fundamento, fusè, & clarè oſtendimus ſupra refutantes propoſitiones ſub titulo de *Timore* contentas, & præſertìm primam, vbi quod attinet ad attritionem, & timorem honeſte ſervilem, fructum, vtilitatem, & honeſtatem iſtorum actuum demonſtravimus explicatiſſimis ſententijs SS. PP. & maximè Auguſtini, & Thomæ, quas quia hic repetere nolumus, excuſantes Lectori faſtidium, præ oculis tamen habendæ ſunt, vt quæ cum

cum dictis omnimodam habent connexionem, ac mutuò, & planè cohærent.

149 Quia autèm præſens Queſnelliana propoſitio, generalis theſis eſt, totius veneni, & cunctorum errorum aliarum gravida, oportet hic iterare ſententiam Sacri Concilij Tridentini, contra illam, vt comprehendentem prædicta opera, latam, quæ huiuſmodi

Seſſ. 6. Can. 7. eſt: *Si quis dixerit opera omnia quæ ante iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri .... Anathema ſit.* Nemo profectò erit qui præ oculis habens theſim præſentem Queſnellij, & ſimul illam qua Lutherus initio ſuæ rebellionis, & à fide defectionis, auſus fuit pronunciare, &

An. 1518 publicè defendere, quod *Opera hominum quantumvis bona appareant, omnia ſunt peccata mortalia*: quod deinceps ac ſemper de infidelibus, & impijs, mordicus tenuit; non illicò credat, & ſeriò agnoſcat vtramque theſim, vno & eodem ſenſu conſtantem, à Sacro Concilio prædicto anathemate confixam.

150 Rursùm, Sanctiſsimus Leo X. inter articulos Lutheri, hos etiam, & prædicto errore germanos, ſua Bulla

An. 1510 damnavit. *In omni opere bono iuſtus peccat.* Quid cum infidelis, aut impius? Item: *Opus bonum optimè factum, eſt veniale peccatum.* Quale, rogo, poterat eſſe Luthero opus bonum non optimè factum, id eſt, non propter Deum factum? Item: *Nemo eſt certus ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſsimum ſuperbiæ vitium.* Hauddubiè quia irreparabilem exiſtimabat Lutherus lapſum in vanam gloriam, quotiès quis honeſtè operatur. Tandem: *Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo, & dùm facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.* Hoc nempè fuit Luthero, eſtque Queſnellio, & reliquis Novatoribus, capitale perverſum dogma, præſentes, alioſque errores invehens, quos meritò Leo X. primum ſua Conſtitutione damnavit, & poſtmodùm Tridentinum ſuis anathematiſmis confixit.

151 Similitèr Sanctiſsimi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. damnantes 79. propoſitiones Michaelis Baij, inter illas hanc ordine 38. quæ ipſiſsima ac Queſnelliana, aut germana eſt, proſcribunt. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa,*

Deus

Deus amatur. Ex qua etiam quemadmodùm ex Queſnelliana, aliæ eiuſdem furfuris, & ſimiliter damnatæ ſub oriuntur, de quibus in ſequentium refutatione.

152 Baianam, quamvis deteſtatam theſim auſus fuit poſtea Janſenius ſępiùs aſſerere, & pervicaciter retinere, eoque eius audacia pervenit, vt incunctanter dixerit: *Nugæ, delirium, inſania, impietas contraria Chriſtianorum ſenſui, ſcripturis, & fidei: quod infidelium ſit ulla vera virtus, vel opera ſine peccato, iuxta Auguſtinum, & Concilium Arauſicanum.* Verùm ipſe potiùs delirat, ipſe inſanit, nec nugas tantum, ſed impia evomit venena, cum errorem adeò exitioſum, & a Sede Apoſtolica proſcriptum, conſentaneum ſenſui Chriſtianorum, ſcripturis, fidei, Auguſtino, & Concilio Arauſicano pronuntiat. *Lib 3. de ſtat. nat. lapſ. cap. 17.*

153 Tanta his hominibus confidentia per ſolam ſuam ſuperbiam licet. Ubinam, quęſo, apud Scripturas conſtat, quod in infidelibus nulla ſit virtus, vel opera ſine peccato? An quia Apoſtolus ait: *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo?* Ita planè, aie Janſenius. Sed advertere debuerat primò, quod virtutes, & opera, quæ propriè dicuntur placere Deo, ſunt quæ per charitatem in ipſum ordinantur, quæ proinde vim habent movendi divinam complacentiam, vt æterna ſalute illa remuneret. Ita SS. PP. ſc. è, aut ſemper, & maximè Auguſtinus. Idemque Apoſtolus loco ipſo ſignificat ſe intendiſſe eis laudibus quas ibi tribuit fidelibus, non vtcumque operantibus, ſed illis qui habuerunt fidem operantem per charitatem; fidelibus inquam illis, qui *operati ſunt iuſtitiam.* *Ad Heb. 11.4.* *Cont. Iul. cap. 3.*

154 Secundò debuerat Janſenius attendere quod idem Paulus ait: *Gentes quæ legem non habent, naturalitèr ea quæ legis ſunt, faciunt:* quæ ſaniſsimo ſenſu accipiuntur de gentibus non habentibus gratiam fidei, vt contra Baium etiam definitum eſt, & de quibus plures ex SS. PP. illud accipiunt: nec adverſatur Auguſtinus, quamvis eo loco videatur illud intelligere de Gentilibus qui venerunt ad Evangelium; ſed adhùc in hoc ſenſu ait, ita accipiendum eos facere quæ legis ſunt, vt ſuis operibus Deo placeant, vt mereantur vitam æternam. Cum autem ibi addat: *Aut ſi fidem non habent Chriſti*, ſat denotat, ea Pauli verba accipi poſſe de Gentilibus adhùc infidelibus, qui ſi ea opera legis *Ad Rom. 2.14.*

re-

referant poſitivè ad pravum finem, hoc ipſo peccant; ſin autem, per hoc tantum quod non ordinent illa in Deum, non peccant, ſed honeſtè, quamvis non meritoriè operantur. Hoc enim de eis Auguſtinum ſenſiſſe conſtat apertè ex ſupra allegatis.

155 Cum igitur hæc ita ſe habeant, non certò in ſcripturis, ſed in cerebro ſuo invenit Janſenius, quod in infidelibus nulla eſt virtus, nulla opera ſine peccato: ita alias dicens: *Ulla vera virtus*, nempè ut per additam ſeu malitioſe, ſeu ignorantèr vocem illam *vera*, qua tam accuratè utitur Auguſtinus, ſenſus omninò diverſos Pauli, & Auguſtini confundat, & depravet. Nec mirum ſi S. Doctorem pro ſuo errore alleget, qui Sacram ipſam Scripturam ſecum errantem ſomniat. *Lib. 6. Hipogn.* *Non miramur* (Auguſtini ſententia eſt) *vos de nobis, id eſt homines de hominibus, falſa poſſe confingere, cum videamus vos ſic a diabolo eſſe faſcinatos, ut Scripturas Sanctas, & veridicas, ad voluntatis veſtræ intellectum mutare nitamini.*

156 Nè autem Janſeniſta alius, vel Queſnelliſta, Magiſtri audacia fretus ſimilia effutiat, adeat textum Pauli dudum explanatum, Auguſtino, & Thoma Interpretibus, & inveniet eam eſſe differentiam inter virtutem, & virtutem veram; inter opera tantum non mala, ſeu moraliter honeſta, & opera ſimplicitèr bona, ſeu meritoria; quæ re ipſa eſt inter aurum, & ligna; inter argentum, & fœnum; inter lapides pretioſos, & ſtipulam, & exinde poterit colligere, qualis ſit apud Scripturam, & Auguſtinum ſententia de virtutibus, & operibus infidelium. Intereàque conferat cum præſenti propoſitione Queſnellij ſequentem, non quidem aliam, nec tantum ſimilem, ſed pene verbis, & ſenſu omninò eamdem, quæ eſt 7. ex damnatis decreto Alexandri VIII. *An 1690* *Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi: Si Dei? Charitas Patris eſt. Si mundi? Concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.*

157 Neque alius, aut alienus à vero, & orthodoxo ſenſu, eſt quem Concilium ſecundum Arauſicanum habet, & exprimit. Quoties enim aſſerit nihil boni a nobis fieri poſſe ſine gratia, ſine auxilio, ſine adiutorio Dei, ſemper addit. *Can. 6.* *Sicut oportet agere*: quibus ſignificat apertè opus bonum ſimplicitèr, opus quod ſit aurum, & ob quod operans mercedem accipiat, nempè mercedem vitæ æternæ. Quare ait: *Can. 7.* *Si quis per naturæ vigorem,*

rem, *bonum aliquid quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare vt expedit, &c.* Ac tandem in fine veluti cuncta recapitulans, inquit: *Credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Ergo ea opera, quibus quis ſic agit, *ſicut oportet;* ſic cogitat, *vt expedit*: ea, inquam, *quæ pertinent ad ſalutem, ad vitam æternam*, ſunt quæ Concilium cenſet fieri non poſſe ſine ſupernaturali gratiæ auxilio, vt etiam in Tridentino eadem locutione expreſſum eſt.

Can. 25.

Seſſ. 6. Can. 3.

158 Quod ſi Janſeniſta inſtet, Arauſicanum addere: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum,* quibus videtur docere opera omnia hominum viribus proprijs, & ſine adiutorio Dei facta, non eſſe virtuoſa, aut propriè virtutum opera, ſed imò peccata; præſertim quia Concilium ſubiungit: *Si quid autem habet homo veritatis atque iuſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, non deficiamus in via.* Unde videtur eſſe Concilij ſententia, quod actus virtutum, vtputa veracitatis, aut iuſtitiæ, niſi deſuper ſint à Deo totius bonitatis fonte, mali, & peccata ſunt.

Can. 22.

159 Sed nihilominùs, ſi Concilij ſenſus attentius, & ex ipſo perpendatur: nam prædictis verbis dumtaxat intendit quod homo *de ſuo*, excluſo omni auxilio Dei, etiam generali, non habet niſi peccatum, dixerat namque: *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur operatur.* Quod ſi quis contendat, Concilium non ſolum exigere auxilium generale ne opera facta ab homine de ſuo, ſint peccata, ſed etiam auxilium Dei ſpeciale, per me liceat, dummodò tale auxilium ſit ordinis naturæ, & tanquam quædam cogitatio congrua; & eò maximè exacta, quia quoties homo *de ſuo* operaturus eſt actus virtutum moralium, ſubiacet vrgenti tentationi referendi perverſè ea opera in ſui philautiam, & vanam gloriam, ad quam vincendum indiget prædicto auxilio ex ſententia plurium, & nobilium Theologorum nuper laudata.

Can. 9.

160 Quod etiam videtur non obſcurè confirmari eis verbis Arauſicani quibus auxilia quæ deſiderat, his verbis deſignat: *Quaſi guttis quibuſdam*, ac ſi non vberiorem illam gratiam quæ ſupernatu-

ralis

talis eſt, ſed modicam vt naturalem neceſſariam ad ea opera exiſtimet.

161 Addo vlteriùs, ſatis aptam ſuperioris Canonis expoſitionem eſſe quam alij tradunt, nempè, Concilium appellare peccata, opera quæ fiunt ab homine *de ſuo*, non quia reipſa peccata ſunt, ſed quia facta ſine divina gratia, neque in Deum ordinata, non proficiebant ad ſalutem, quod maximè intendebat, & curabat Arauſicanum contra Pelagianos: & in quo ſenſu olim Patres peccata appellabant opera omnia quæ ea perfectione carebant, vt obſervat Sixtus Senenſis, dicens: *Univerſa opera quæ ſecluſa* *Lib. 6. Biblio. annot. 40.* *divinæ gratiæ ope fiebant, nedùm non bona dicebant, ſed frequentiſſimè, & mala, & vitia, & peccata appellabant; non quod ea verè, & ſimpliciter mala, ac peccata eſſe crederent, ſed quia ſcirent ipſa nec ad acquirendam Chriſtianam iuſtitiam prodeſſe, nec ad comparandum æternæ fœlicitatis bonum proficere.*

162 In quo etiam ſenſu accipi poteſt illud Apoſtoli: *Ad Rom. 14. 23.* *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quamvis potius exiſtimem Paulum hìc non loqui de fide proprie accepta, multoque minùs de ea quæ per charitatem operatur, vt volunt Janſeniſtæ, qui ſenſus irreconciliabilis eſt cum alio eiuſdem Apoſtoli ſupra à SS. Auguſtino, & Thoma expenſo de ſuperædificante ligna, & non idcircò peccante.

163 Veriùs itaque cenſeo, Apoſtolum verbo illo *ex fide*, intelligere *conſcientiam*, & dictamen rationis; tùm quia id ſignificat totus illius capitis contextus; in quo docet, non eſſe temerè iudicandum de illo qui manducat, nec de illo qui non manducat, quia vterque iuxta conſcientiam ſuam operatur, & quod aliàs non eſt ex iſta, peccatum eſt. Tùm, quia hanc intelligentiam approbat melior quam Janſenius Interpres, S. Thomas, dicens: *Omne quod* *Ibi Lect. 3.* *non eſt ex fide peccatum eſt, ſic eſt intelligendum: omne quod eſt contra fidem, vel contra conſcientiam peccatum eſt, & ſi ex genere ſuo bonum eſſe videatur.* Hæc eſt propterea verior expoſitio, quamvis & *1. 2. q. 65 art. 2 in corp.* prior etiam ſit authoritate S. Thomæ commendata.

164 His manifeſtum eſt quod error Baij, Janſenij, & Queſnellij, in præſenti propoſitione, & ſequentibus contentus, & expreſſus, nullatenùs obtegi, aut liberari poteſt ab æquiſsima damnatione, & toties iterata cenſura, ijs malè conductis ſuffragijs quæ ex

Zz Scrip-

Scriptura, Concilijs, & Auguſtino, Janſeniſtæ coacervant, coacto nimirùm verborum ſenſu, & penitus pugnante cum eo quo communiùs vtuntur Patres, & Theologi, & cui ſententiæ Scripturæ, Conciliorum, & PP. omninò cohærent, & ſine vlla prorsùs contradictione conveniunt, vt quilibet facile poterit, vel ex dictis obſervare: cum ex adversò alius quem prædicti Novatores intendunt, & prævalere volunt, irreconciliabili antinomia pugnantia reddat Scripturæ, Conciliorum, & Patrum teſtimonia.

165 Quod item apparet in his quæ Anonymus pro ſuo Queſnellio adducit ex Sanctiſsimis Pontificibus Leone, & Gregorio, audens alias pronuntiare, ſententias iſtorum Patrum eſſe adeo conformes cum Queſnelliana theſi, vt nullum ſit medium quo valeat iſta ſine illis damnari, vel quo illæ ſine iſta, poſsint ab errore abſolvi. Sed ſi omninò liceat, hùc maximè quadrat illud: *Alia voce pſittacus, alia coturnix loquitur.* Vidimus enim ad primam propoſitionem ſub titulo *de Timore*, S. Auguſtinum diſtinguentem eoſdem duos amores, quos S. Leo Papa, ex eodem in dubiè deſumptos, diſtinguit; alterum charitatis, alterum cupiditatis. alterum qui eſt amor Dei *vſque ad contemptum ſui*, alterum qui eſt amor ſui *vſque ad contemptum Dei*: primum Civitatem Cœleſtem, poſtremum Civitatem terrenam, ſeu Babylonis facientem, & ex vtroque, vt etiam ait S. Leo, omnes volitiones, aut voluntates hominum prodeuntes. Num. 9.

166 Vidimus etiam ſupra S. Thomam hanc doctrinam, & ſententiam Auguſtini exponentem de duobus amoribus diſtinctis per comparationem ad vltimos fines amanti, aut rectè, aut perversè, præſcriptos, qui propterea, aut referant poſitivè amantem, & reliqua quæ diligat, vltimò in Deum: aut ordinent poſitivè amantem, & reliqua quæ diligat vltimò in creaturam. Ex quo fit, quod primus amor ſit iuxta Auguſtinum: *Amor Dei vſque ad contemptum mundi*, Civitatem Cœleſtem condens; ſecundus autem ſit: *Amor ſui vſque ad contemptum Dei*, Civitatem terrenam, ſeu Babylonis faciens. Ex quo & fit, quod primus amor ſit iuxta S. Thomam, converſio poſitiva ad ſumum, & incommutabile bonum, & averſio poſitiva, ex ea reſultans, à bono apparente commutabili: & quod ſecundus amor ab oppoſito ſit N. 63. & ſeq.

converſio poſitiva ad bonum commutabile, & averſio privativa, ex ea reſultans, à ſummo incommutabili bono.

167 Ex vtraque autem oppoſita poſitiva converſione, & privativa averſione reſultante, deſumitur diverſa in vtroque amore ordinatio, & inordinatio; altera recta, altera perverſa, iuxta S. Thomam, concludentem proinde, quod quamvis amor ſui inordinatus, ſit cauſa omnis peccati, amor inquam, qui eſt totalis converſio ad bonum commutabile; amorque ſui conſtituens in amante finem ſuum vltimum; amor etiam referens ad hunc præpoſterum finem quæcumque diligit; amor denique ſui vſque ad contemptum virtualem Dei: non tamen omnis amor ſui, hoc ipſo tantum quia ſui eſt, inordinatus eſt, neque habet pravas qualitates recenſitas, quia, *Amor ſui ordinatus, eſt debitus, & naturalis, ita ſcilicet, quod velit ſibi bonum quod congruit*, ait S. Thomas.

1. 2. q. 77 art. 4 ad 1.

168 Cui doctrinæ conſonant omninò ſententiæ nuper expreſſæ S. Auguſtini de hoc amore proprio, & de alijs ex eo naſcentibus cupiditatibus rerum mundi, quas licitè conceſſas dicit, dum prædictus amor incipit, dum augetur, id eſt antequam ad Deum referatur, & per charitatem vltimò perficiatur. Unde evidens eſt, & ineluctabili argumento conſtans, quod quamvis S. Auguſtinus videatur duos tantummodo amores agnoſcere, alterum charitatis ad Deum, alterum proprium, & cupiditatis; illum ordinatum, & ordinantem alias dilectiones, iſtum inordinatum, & deordinantem alias cupiditates: non propterea, aut ignorat, aut inficiatur alium amorem proprium honeſtum, debitum, naturalem, quem non dum relatum, ſed tantum referibilem in Deum, fatetur eſſe originem volitionum, quas nequaquam deturpat ſimilis defectus purè negativus relationis ad Deum.

Num. 14. & ſeq.

169 Cumque S. Leo Papa eiſdem prorsùs, aut totidem fere verbis, ac Auguſtinus, diſtinguat duos tantum amores prædictos, nimirùm ad vltimos fines comparatos; inique propterea Anonymus eum Quesnellio ſuo ſuffragantem, & illius errori faventem protrudit. Eſt namque notus Leoni, vt Auguſtino, alius amor proprius innocuus, quamvis non perfectus; bonus moraliter, quia non perversè ordinatus, quamvis non ſimpliciter bonus, quia nondùm ad Deum per charitatem relatus:

tus: quem aliàs, quoniam non tam dignus, aut proprius eſt Ethices Chriſtianæ, quam Philoſophicæ, idcircò hi Sancti Patres non Philoſophos, ſed Theologos agentes, non mores quoſcumque, ſed Chriſtianos excolentes, non tam dignum etiam ſua obſervatione, & commendatione putarunt, vbi maximè homines ad vitæ præſentis perfectionem, & futuræ adeptionem adhortari ſatagunt.

170 Verum tamèn vt S. Auguſtinus iſtius amoris quando oportuit meminit, eiuſque ſupra memorata exempla, & perſpicuam nobis tradidit doctrinam; ſimilitèr S. Leo, neque admodùm longe a loco ab Anonymo allegato, neque obſcure, neque obitèr, ſed clarè, & data opera, cupiditates bonas, & laudabiles in hominibus agnoſcit. Agens namque de *Duplici concupiſcentia carnis, & ſpiritus*, ſequentem ex illis verbis, *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, excitat, & proponit quęſtionem. *Cum autèm ſint in animis hominum multa bona concupiſcentia, & laudabiles voluntates: quid eſt quod iubetur vt noſtris non conſentiamus affectibus?* Aut ridicula, & inanis foret profectò quæſtio, & nulla dubitandi ratio; aut ſupponit in homine concupiſcentias bonas, & laudabiles.

Ser. 8.

Eccleſ. 18. 30.

171 Quæ autèm, aut quales ſint illæ, & quid in eis ſacer ille textus vetet, ſequentibus docet: *Ad diſtinctiones igitur concupiſcentiarum quæ ſunt ex Deo, benè homini dictum eſt: Poſt concupiſcentias tuas non eas; vt quas cognoverit proprias ſciat eſſe vitandas.* At nemini dubium eſſe poteſt, quod amor proprius debitus, & naturalis, à Deo eſt Authore naturæ, à quo etiam ſunt aliæ cupiditates rerum temporalium ex eo amore ortæ, quæ circa obiecta honeſta, & moderatè ſe gerunt, nempè ad non fruendum, ſed parcè illis vtendum: quod idem S. Leo expreſsè docet in eo ipſo loco ab Anonymo adducto, dicens; *Æternis bonis inſeparabilitèr inhærendum, temporalibus verò tranſeunter vtendum eſt.* Iſtæ igitur ſunt cupiditates quas ille bonas, & laudabiles ſupponit. Ibi.

172 Iam verò quomodo iſtæ fiant malę? Quomodo obiecta per illas concupita ſint noxia? Disertè docet explicans diverſas illas *qualitates*, quas tantoperè Anonymus vult obſervari. Et verò non eas diiudicandas cenſet S. Leo, quia prædicta obiecta præcisè non ſunt relata ad Deum,

Deum, quod contendunt Queſnellius, & Anonymus. Sed inſpiciendum, ſi fuerint poſitive ordinata in finem præpoſterum, in philantiam, in vanam gloriam, in complacentiam, & delectationem propriam: hæc enim eſt perverſa qualitas eas concupiſcentias deturpans, quam vitandam monet Eccleſiaſticus, & cohærentèr Apoſtolus cum dicit: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius.* Dominatio namque peccati, & obedientia animi, adhæſionem hominis ad præpoſterum finem patentèr ſignificant. *Ad Rom. 7. 12.*

173 Do iam S. Leonem ita loquentem. *Abſtinendum eſt itaque, dilectiſſimi, ab his quæ nobis noxiè blandiuntur, & lex peccati quæ eſt in membris noſtris, Dei lege ſuperanda eſt .... Si enim ſe ipſum ſibi rationalis homo comparet, omneſque ſuorum actuum qualitates vera inſpectione dijudicet, numquid in intimis conſcientiæ ſuæ hoc delectationis inveniet de iniquitate commiſſa, quod de æquitate ſervata?* En ergo qualitatem pravæ delectationis deformantem actum iuſtitiæ: vt proindè pateat, quod cum S. Leo antea *duos amores* diſtinxit, *ex quibus omnes prodeunt voluntates qualitatibus diverſæ*, illos; atque iſtas diſtinguit per comparationem expreſſam ad finem vltimum debitum, aut indebitum.

174 Hunc igitur amorem proprium, haſque voluntates rerum mundi ex eo naſcentes, damnat S. Leo, & nos cum ipſo damnamus, quæ in eis rebus, aut in operantis complacentia, vltimum finem ſeu quærunt, ſeu ponunt. De his eſt totus ille ſermo vnde Anonymus ſui Queſnellij defenſionem eruere ſatagit; & de prædictis perverſis concupiſcentijs ait ibi S. Leo, quod, *Non facilè obtinetur tam perfecta victoria, vt etiam quæ ſunt abrumpenda, non illigent.* *Ser. 18.* *Sup. Ib. 15.* Scilicet, vt S. Auguſtinus ait alibi, contemnendum tamquam turpem eſſe amorem auri, quo quis ſe illigat auro: quamobrèm, ait S. Leo, illo, & rebus alijs, non inſeparabilitèr inhærendum eſſe: *Sed tranſeuntèr vtendum, vt peregrinantibus nobis .... quidquid de proſperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum ſit itineris, non illecebra manſionis.* Damnat itaque in amore illarum rerum quidquid eſt eis illigari, inhærere, manere; non autem vſum, & amorem moderatum, & à perverſitate finis alienum.

175 Patet proindè quæ

ſide,

fide, imò qua perfidia, Anonymus ſenſum verborum S. Leonis deflectit, & contorquet, vt eius authoritate abutens impiam propoſitionem Queſnellij defendat, eo tantum & expreſse damnantis omnem amorem proprium, & rerum temporalium, quia non refert ad Deum, quod ad ipſum referendum eſt. At iudicio, & ſententia aperta S. Leonis, ille ſolus amor proprius, illæ tantum concupiſcentiæ rerum mundi damnantur, quæ referunt perversè, & ad præpoſterum finem, quæ ad iſtum referenda non ſunt. Quis ergo non videt quam incongrue, quin & ſubdolè, error ille hac Catholica veritate confirmetur?

176 Nec meliori fide allegat S. Gregorium Anonymus, non admodum candidè omittens ſequentia, & pauca verba quibus inchoat S. Gregorius teſtimonium à ſe adductum: *Qui enim terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Eſſe quidem ſine delectatione animus, &c.* Cumque manifeſtum ſit, quod amor vincens, aut vinciens rebus terrenis amantem, eſt amor perverſus, & vltimo ordinatus in bonum commutabile, cui totaliter adhæret, illigatur, & cuius prava delectatione poſitivè privatur ab amore Dei, & vera delectatione, liquidò exindè conſtat quam longe à ſenſu Queſnellij, ſtet S. Gregorius, qui illicò ſubiungit: *Utrique ſe amores in uno corde non capiunt, nec in eo ſeges ſuperna charitatis pullulat, in quo illam ſpinæ infimæ delectationis necant.*

Moral. lib. 18. cap. 9.

177 Non itaque condemnat hac ſententia S. Gregorius amorem moderatum rerum terrenarum, quibus amans non vincitur, non illigatur, quibus parcè vtitur, non immodicè delectatur; & quarum amor, quamvis non ſit actu ordinatus in Deum, non propter hoc ſit malus, ſed eſt bonus, ſed honeſtus, & in Deum referibilis, quia non eſt poſitivè, & perverſè ad finem præpoſterum relatus: vt proindè pateat, quam alienus, & diverſus ſit à ſenſu Gregorij, ſenſus Queſnellianus.

178 Tantum enim differt ab iſto, quantum aliàs conformatur ſententiæ S. Auguſtini. Nam quemadmodum ille ſupra docet, virtutes ſuos gradus habere, quibus augentur vſque ad vltimum perfectionis per charitatem; ſimiliter S. Gregorius, eoſdem gradus agnoſcens, inquit: *Unaquæque virtus quaſi quibuſdam gradibus augetur .... Aliud namque ſunt virtutis exor-*

Num. 35. & 41.

Lib. 2. in Ezechiel. Hom. 3. num. 4.

Lib. 31. Mor. in cap. 31. cap. 7. *exordij, aliud provectus, aliud perfectio.* Et alibi: *Sic nimirum, ſic uniuſcuiuſque virtus ſucreſcit operantis*: nempe, vt ſemem in terram iactum creſcit in arborem, vel vt priori loco dicit, in herbam, in ſpicam, in frumentum.

179 Poſt hanc boni operis cum ſemine comparationem, ſubiungit: *Cum quemlibet ſua intelligentia extollit, arbor quæ oriri poterat, in ſemine putreſcit: cum autem poſt operationem bonam, elationis peſte corrumpitur, quaſi iam orta ſiccatur.* Cenſet itaque S. Gregorius bonam eam operationem, quæ adhùc veluti ſpica, aut virgultum, nondùm arbor fructifera, non frumentum eſt; nimirum nondùm ordinatione charitatis perfecta; quę tamen ſola infectione pravæ ordinationis per philautiam, & ſuperbiam operantis corrumpitur. Quia videlicèt, hic poſitivus finis elationis, vanæ gloriæ, & laudis humanæ, operationem etiam ex obiecto bonam deturpat, vt multis ibidem oſtendit: quo circa operans non tantum tunc non amare Deum, ſed ſemetipſum pluſquam Deum *Ibi, cap. 8* amare demonſtrat. *Deſpecto enim*, inquit, *bonore conditoris, ſemetipſum, plus amare convincitur, cuius præconijs lætatur.*

180 Quibus, eodem prorsùs ſenſu, ac S. Auguſtinus, damnat amorem illum proprium qui pertingit vſque ad contemptum Dei. Quinimò, & alibi vtitur hac ipſa phraſi, qua Auguſtinus hunc amorem perversè ordinatum, Civitatem terreſtrem, & Babylonis appellat. *Cum quidam*, ait S. Gregorius, *in pravis moribus effrænati locum ſancti honoris tenent, atque in ipſis quæ benè facere videntur, propriam laudem quærunt, quid aliud, quam Cives Babylonum ſupernæ Hieruſalem angarias exolvunt?* *Libr. 8. Epiſt. 15.*

181 Ergo ex ſententia omninò conformi SS. Auguſtini, & Gregorij, non eſt, adhùc in impijs, perverſus amor proprius, & rerum mundi, præcisè quia non refert ad Deum, quod ad ipſum referendum eſt, vt ait Queſnelliuſ; nec propter hoc fit malus, qui aliàs temperantèr ſe gerit circa obiectum honeſtum. Sed iudicio vtriuſque S. D. ille amor proprius pravus eſt, Babylonicus eſt, origo eſt omnis peccati, quo quis ita inordinatè ſe, & res mundi diligit, vt in eis etiam cum benè facere videtur, præpoſterum finem poſitive, & vel ſaltem virtualiter, quærit, aut intendit, putà elationem, vanam gloriam, & inanem laudem.

182 Miranda ergo, ac nimiū, eſt impudentiſsima confidentia Anonymi dicentis, ita cohærere verba Queſnellij in hac propoſitione, verbis SS. Pontificum Leonis, & Gregorij, vt nullum ſit medium, quo alia, & non alia, vel abſolvi, vel damnari valeant. At fatua iſta ſunt, & inflata vani oſtentatoris verba, nolentis videre patentiſsimum in cauſa quam agitat medium, quo ſuus Queſnellius reus damnationis probatur: & quo SS. PP. quos mendax ipſe pro ſuo errore allegat, oſtenduntur opoſitam planè, ſanamque, & veram ſtatuentes doctrinam. Etenim inter intendere gloriam Dei, aut gloriam propriam, medium notiſsimum eſt, nullam intendere. Inter relationem proprij amoris, ſeu operis, ad Deum, & ordinationem ad ſe proprij amoris, & operis ab iſto imperati, medium eſt, ab vtraque ordinatione abſtinere.

183 Ex quo & ſequitur, quod inter vitium, & virtutem veram, ſeu perfectam per charitatem, ſit medium virtutis imperfectæ, vel informis. Similitèr, inter opus peccaminoſum, & opus meritorium vitæ æternæ, eſt medium, nempè, opus dumtaxàt moralitèr bonum, æternæ mercedis ſterile. Ut iuxta expreſſam Apoſtoli doctrinam, Auguſtino, & Thoma Interpretibus, inter ſtructuram deſtruentem fundamentum, & ſtructuram ex auro, argento, & lapidibus pretioſis ſupra fundamentum, eſt medium, ſcilicet, eſt ſtructura ex ligno, ex fœno, ex ſtipula ſupra idem fundamentum. Medium iſtud invìſum Queſnellio, & Anonymo, eſt quo ſua propoſitio, vt peſtilenti veneno plena, damnatur; & quo ſententiæ SS. PP. de eadem re, vt ſaniſsima doctrina refertæ prædicantur.

184 Ulteriùs obturandum eſt os Anonymi, ſi forsàn dicat, nullum eſſe huiuſmodi medium reſpectu amantis, & agentis rationalis, qui, qua talis, ſemper operatur ob finem, proptereaque oportet, vt ſuis actionibus præ intentum finem ſivè rectum, ſivè pravum præſcribat. Ita quidem. Neque enim diſcuſsio noſtra eo tendit, vt ſtatuere velimus actus morales indifferentes in individuo. Quidquid enim ſit de veritate, aut probabilitate illius controverſiæ quam Scholaſticis diſquirendam relinquimus, nullam partem eiuſdem cogit nos, qui modo dogmata tantum tractamus, ſuſtinere confutatio erroris Queſnellij, & iniquæ defenſionis Anonymi.

Noſter

185 Noſter namque ſermo eſt de amore, & actionibus deliberatis, humano modo, & liberè elicitis, ſivè ab infideli, ſivè ab impio, quique ſint exercitia virtutum moralium, circa obiectum honeſtum ſe gerentia, & qui non immoderata delectatione, ſeu vltra regulas Eutrapeliæ exorbitent. Ac tandem qui ex determinato fine fiant, non quidem remoto, aut vltimo, ſed proximo, aut intermedio; ſive ille ſit extrinſecus, & ex ſola intentione operantis, ſive intrinſecus, & cum ipſo obiecto coincidens. Iſti igitur actus, non niſi humani, non niſi agentis rationalis, ſunt proprij: & in hoc ſtatu nondùm relati ad vllum finem vltimum, potentes tamen ad rectum, vel ad præpoſterum referri, ſunt proculdubiò determinatè boni in quodam ſtatu medio ſolummodò indifferenti ad meritum, & demeritum vitæ æternæ.

186 De his actibus, ſeu operibus, & in prædicto ſtatu medio poſitis, agit S. Auguſtinus locis ſupra laudatis, vbi certò loquitur de actibus verè humanis; atque omnium apta exempla ſunt, ex vndique honeſtis, actus eleemoſynæ intendentis pauperis miſeriam ſublevare, & cui tunc alius finis non adhibeatur. Item ex non æquè à materia honeſtis, actus coniugalis, ex intentione prolis habendæ, aut reddendi debitum, cui tunc neque nimia libidinoſa voluptas, neque alius vltimus finis rectus, ſeu pravus addatur. His, & alijs eiuſmodi actibus, iuxta Queſnellium, & Anonymum, peccat, non beſtia, ſed homo, dum quæ amat, aut agit, non refert ad Deum: ſed eiſdemmet actibus, nempè non beſtiæ, ſed hominis, non peccat iuxta SS. PP. qui non refert in præpoſterum finem, & contra Deum, quæ agit, aut diligit.

Num. 15 & 17.

187 Inſtabit forsàm Anonymus. Actus aut amor non referens ad Deum obiectum dilectum, & ſimul finem ipſum proximum intentum, hoc ipſo fit malus, & hoc ipſo peccat amans, ſeu operans, quia non refert ad Deum, quod ad ipſum referendum erat: quoniam operans vt homo, & ex deliberata ratione, non ſolum tenetur non ordinare opus in finem pravum, ſed & ordinare, aut referre illud ad finem debitum, cuius proinde omiſsio privatio eſt: quod videtur expreſſum S. Thomæ. *Cum enim*, inquit, *rationis ſit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum fi-*

1. 2. q. 18. art. 9 in corp.

nem ordinatur, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali.

188 Hæc obiectio quia immeritò confundit fines, iniquè etiam confundit præcepta, & obligationes operantis. Verum quidem eſt, quod agens rationale, & ex deliberata ratione operans, tenetur lege naturali iſtius, ordinare ſuos actus in finem debitum, & rationi conſentaneum, non quidem in finem vltimum qui eſt Deus, ſed in finem proximum honeſtum. Undè actus non ſic ordinatus, hoc ipſo malus eſt, & repugnat rationi, cuius legis affirmativæ tranſgreſsio eſt. Hoc intendit, docetque S. Thomas loco allegato, vbi hac ipſa ratione negat actum in individuo indifferentem, quia inquit: *Neceſſe eſt quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem: unde neceſſe eſt, omnem actum hominis à deliberativa ratione procedentem in individuo conſideratum, bonum eſſe, vel malum.* Ibid.

189. Alia tamen, & longè diverſa ratio eſt de eodem actu (qui ſupponi debet bonus in individuo, quia ordinatus in finem proximum honeſtum) comparato ad finem vltimum, qui eſt Deus. Non enim eſt lex, aut præceptum ſemper obligans ad illum ſic ordinandum, vel referendum ad Deum finem vltimum; ita vt ſi non ita referatur ad Deum, hoc ipſo fiat malus: quia vt conſtans ſententia S. Thomæ eſt, quamvis ſit præceptum charitatis, ſeu de diligendo Deum, non tamen eſt præceptum de adhibendo alijs actibus modo iſto charitatis: at manifeſtum eſt modum iſtum in eo ſtare, quod alij actus ex obiecto, & fine proximo determinate boni, referantur ad Deum finem vltimum, nam ſolius charitatis eſt proprius modus iſte Ergo nullo præcepto, nulla obligatione tenetur operans ad hanc relationem, ſeu ad modum iſtum adhibendum cunctis ſuis actibus honeſtis, ita vt eo non adhibito, hoc ipſo actus fiat malus. 2. 2. q. 100 ar. 10.

190 Do S. Thomam rem ex inſtituto, atque opportuno exemplo ita definientem. *Alio modo poteſt conſiderari actus charitatis, ſecũdũ quod eſt modus actuum aliarũ virtutũ hoc eſt, ſecundũ quod actus aliarũ virtutũ ordinantur ad charitatẽ quæ eſt finis præcepti .... Et hoc modo verum eſt, quod ſecundi dixerunt, quia modus charitatis non cadit ſub præcepto.* Rurſum, explicans quod quamvis ſit obligatio referendi omnia in Deum, quando quis adimplet præ- Ibid.

cep-

ceptum vrgens charitatis, non eſt tamen eadem obligatio quando alia præcepta adimplet, inquit. *Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi huius præcepti, quod eſt Honora parentes. ſed ex vi huius præcepti, diliges Dominum tuum ex toto corde tuo.* Atque ſtatim addit: *Et cum iſta ſint duo præcepta affirmativa non obligantia ad ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare: & ita poteſt contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum in omiſſione modi charitatis.*

191 En igitur actum virtuoſum honoris præſtiti parentibus, non relatu per charitatem, & qui non idcircò fit malus, vt ait Queſnellius, & contendit Anonymus, quia non refert ad Deum, quod ad ipſum referendum erat: in quo ſane omiſsio charitatis, pura negatio eſt, non privatio, quia cum non extet præceptum ordinandi illum, & ſimiles actus, in Deum, nulla proindè conſurgit in operante obligatio adhibendi eam relationem, niſi ſimul vrgeat præceptum diligendi Deum ſuper omnia.

192 Quamobrèm quoties Sacri Scriptores, & præſertim S. Paulus, Sanctique Patres, maximis laudibus, ac debitis encomijs charitatem commendant, & extollunt, tanquam vnicam virtutum omnium formam, animam, quin & animæ noſtræ ſpiritum, vnde & crebrò hortantur nos ad eius ordinationem in Deum quibuſcumque operibus noſtris adhibendam; verba ſunt conſilij, non præcepti affirmativi, ſeù quibus velint aliquam, de ea ordinatione, divinam Legem ſemper vrgentem, nobis intimare: alioqui non ſolum de operibus virtutum moralium, ſed etiam de cunctis actibus naturalibus, ea lex, & proptereà nimis oneroſa, foret impoſita, dicente Apoſtolo: *Sivè ergo manducatis, ſivè bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. ad Cor. 10. 31.

193 Non inquam his intendit Apoſtolus, aut præceptum affirmativum imponere, aut impoſitum notum facere: ſed purum conſilium eſt intendentis, & deſiderantis in nobis maiorem, & dignam homini Chriſtiano perfectionem. Atque id ita eſſe, ſatis innuit ibidem dicens: *Vt prudentibus loquor.* Rurſus. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Undè

Hom. 25. dè & S. Chryſoſtomus priorem illius ſententiam dicit eſſe *Adhortationem*. Optandum igitur, & peroptandum eſt, vt Chriſtianus omnes ſuas referat actiones in Deum, & propter quem ſummè à ſe dilectum, diligat quæcumque bona diligit, agat quæcumque honeſta agit. Hoc maximè omnibus conſulendum, nè ſcilicet, ſupra fundamentum qui Chriſtus eſt, ſolummodò ædificent ligna, fœnum, aut ſtipulam; ſed aurum, ſed argentum, ſed lapides pretioſos, opera nimirum non quomodolibet bona, non tantùm Philoſopho purè morali, ſed etiam Chriſtiano digna, quæ per charitatem perfecta, finem ad quem ordinantur, in quo ſolo vera, & ſumma eſt operantis fœlicitas, promereri valeant.

194 Scio tamen plures, & graves Theologos ſentire, quod datur præceptum illius ordinationis, non quidem abſolutum, ſed conditionatum, obligans tantùm ſub conditione quod homo velit operari meritoriè ad conſequendam æternam ſalutem: quod & cenſent affirmari à S. Thoma dicente: *Modus charitatis ſub neceſſitate præcepti includitur, ſecundum quod præceptum ordinatur ad conſecutionem Beatitudinis.* Quæſt. 2. de Malo, ar. 5. ad 7.

195 Hæc ſententia nec modò placet, neque olim placuit cum de neceſſitate imperij, ſeu ordinationis operum per charitatem, ex inſtituto egi; quia videlicet conditio operandi ad conſequendam Beatitudinem in homine ad illam ordinato, videtur ſempèr, aut plerùmque neceſſaria, quo proindè præceptum illud, ſi adeſſet, referendi omnia in finem charitatis, redditur prorsùs abſolutum, ac ſemper obligans. Neque locus ex S. Thoma præfetert ſenſum quem Theologi iſti intendunt: ſed quod vbi, aut quoties præceptum ordinetur ad conſecutionem Beatitudinis, ſic nimirùm vt iniungat opus eliciendum ad illam conſequendam, tunc & iniungit etiam ordinationem per charitatem apponendam in opere. Hic eſt obvius ſenſus illorum verborum, aliuſque pugnat apertè cum ſententia dudùm expreſſa S. Thomæ dicentis: *Modus charitatis non cadit ſub præcepto.* Thom. diſp. 5 de inſt. charit. dub. 9. § 3. S. Thom. in 2. diſt. 40. quæſt. 5. ad 7.

196 Quapropter alitèr, & conformiùs ad eius mentem in adnotata controverſia aſſerendum duxi, non extare eiuſmodi præceptum affirmativum; dari tamen præceptum negativum, atque obligans ſempèr ac homo ex obiecto, & fine honeſto operatur.

Ac

ne ſcilicèt opus ab ipſo fiat inordinabile per charitatem in Deum, ex adiuncta prava ordinatione in finem præpoſterum, v. g. in vanam gloriam & huius præcepti adimpletio in tuto aliàs ponitur ſaluberrimo illo conſilio Apoſtoli referendi omnia in Deum: quemadmodùm omnia præcepta negativa tunc maximè obſervantur, cum actus boni, & prohibitis contrarij, quamvis non ſint præcepti, exercentur.

197 Ulteriùs eſt etiam præceptum affirmativum referendi omnia in Deum tanquam in finem vltimum, ſed indiſtinctum prorsùs a præcepto dilectionis Dei, & idcircò non obligans ſemper ac homo honeſte operatur, ſed tunc quando præceptum amandi Deum obligat, eo quod præſcribens amorem appretiativum Dei ſuper omnia, hoc ipſo obligat ad ſubordinanda Deo ita dilecto, & referenda ad ipſum, omnia & quæcumque alia diligibilia honeſta. Quo amore ordinante tunc actu totam hominis vitam, ſeipſum, & cuncta ab eo diligibilia, manent ſufficientèr relata ad Deum reliqua eiuſdem opera in ipſum referibilia. Intentio namque amantis Deum ſuper omnia, hunc finem ſuis omnibus operibus ita conſtanter præſcribit, vt quamvis ille actus amoris tranſeat, aut ceſſet, dummodò peccato, & averſione ab ipſo Deo non ceſſet, cenſetur perſeverare virtualitèr, ac reliqua vitæ acta referre in Deum, vt in allegata controverſia multis ex Scriptura, & SS. PP. argumentis ſtabilire curavimus. *Vbi ſupr. dub. 1. per tot.*

198 Cavenda tamen monemus extrema vndique in re iſta periculoſa. Neque enim ſinguli actus hominis vt meritorij evadant, expoſcunt imperari, aut ordinari per amorem Dei qui vel actu, & ſimul cum illis ſit, vel qui immediatè antea fuerit elicitus: quod Queſnellius, & alij Novatores videntur exigere, nedùm vt actus ſint meritorij, ſed nè mali, & peccaminoſi ſint. Hæc quippè obligatio nimis oneroſa, & plurimorum ſcrupulorum cauſa foret.

199 Sed neque etiam contenti eſſe debemus ordinatione ex actu amoris Dei longiſsimè antea præterito, & quem non interdùm, ſed rarò, aut ſemel in vita, vel etiam in anno, inſtaurare, ſeù iterare curemus. Quamvis enim multiplices, & variæ ſint Theologorum ſententiæ determinantes tempus, & occaſiones in quibus obligat præceptum charitatis, de quarum

Hom. 15. dè & S. Chryſoſtomus priorem illius ſententiam dicit eſſe *Adhortationem*. Optandum igitur, & peroptandum eſt, vt Chriſtianus omnes ſuas referat actiones in Deum, & propter quem ſummè à ſe dilectum, diligat quæcumque bona diligit, agat quæcumque honeſta agit. Hoc maximè omnibus conſulendum, nè ſcilicèt, ſupra fundamentum qui Chriſtus eſt, ſolummodò ædificent ligna, fœnum, aut ſtipulam; ſed aurum, ſed argentum, ſed lapides pretioſos, opera nimirum non quomodolibet bona, non tantum Philoſopho purè morali, ſed etiam Chriſtiano digna, quæ per charitatem perfecta, finem ad quem ordinantur, in quo ſolo vera, & ſumma eſt operantis fœlicitas, promereri valeant.

194 Scio tamen plures, & graves Theologos ſentire, quod datur præceptum illius ordinationis, non quidem abſolutum, ſed conditionatum, obligans tantum ſub conditione quod homo velit operari meritoriè ad conſequendam æternam ſalutem: quod & cenſent affirmari à S. Thoma dicente: *Modus charitatis ſub neceſſitate præcepti includitur, ſecundum quod præceptum ordinatur ad conſecutionem Beatitudinis.* Quæſt. 2. de Malo, ar. 5. ad 7

195 Hæc ſententia nec modò placet, neque olim placuit cum de neceſſitate imperij, ſeu ordinationis operum per charitatem, ex inſtituto egi; quia videlicèt conditio operandi ad conſequendam Beatitudinem in homine ad illam ordinato, videtur ſempèr, aut plerùmque neceſſaria, quo proindè præceptum illud, ſi adeſſet, referendi omnia in finem charitatis, redditur prorsùs abſolutum, ac ſemper obligans. Neque locus ex S. Thoma præfetert ſenſum quem Theologi iſti intendunt: ſed quod vbi, aut quoties præceptum ordinetur ad conſecutionem Beatitudinis, ſic nimirùm vt iniungat opus eliciendum ad illam conſequendam, tunc & iniungit etiam ordinationem per charitatem apponendam in opere. Hic eſt obvius ſenſus illorum verborum, aliuſque pugnat apertè cum ſententia dudùm expreſſa S. Thomæ dicentis: *Modus charitatis non cadit ſub præcepto.* Thom. diſp. 3 de inſt. charit. dub. 3. §. 3. S. Thoma in 2. diſt. 40. art. 5. ad 7.

196 Qua propter alitèr, & conformiùs ad eius mentem in adnotata controverſia aſſerendum duxi, non extare eiuſmodi præceptum affirmativum, dari tamen præceptum negativum, atque obligans ſempèr ac homo ex obiecto, & fine honeſto operatur.

Sic

nè ſcilicèt opus ab ipſo fiat inordinabile per charitatem in Deum, ex adiuncta prava ordinatione in finem præpoſterum, v. g. in vanam gloriam & huius præcepti adimpletio in tuto aliàs ponitur ſaluberrimo illo conſilio Apoſtoli referendi omnia in Deum: quemadmodùm omnia præcepta negativa tunc maximè obſervantur, cum actus boni, & prohibitis contrarij, quamvis non ſint præcepti, exercentur.

197 Ulteriùs eſt etiam præceptum affirmativum referendi omnia in Deum tanquam in finem vltimum, ſed indiſtinctum prorsùs a præcepto dilectionis Dei, & idcircò non obligans ſemper ac homo honeſtè operatur, ſed tunc quando præceptum amandi Deum obligat, eo quod præſcribens amorem appretiativum Dei ſuper omnia, hoc ipſo obligat ad ſubordinanda Deo ita dilecto, & referenda ad ipſum, omnia & quæcumque alia diligibilia honeſta. Quo amore ordinante tunc actu totam hominis vitam, ſeipſum, & cuncta ab eo diligibilia, manent ſufficientèr relata ad Deum reliqua eiuſdem opera in ipſum referibilia. Intentio namque amantis Deum ſuper omnia, hunc finem ſuis omnibus operibus ita conſtanter præſcribit, vt quamvis ille actus amoris tranſeat, aut ceſſet, dummodò peccato, & averſione ab ipſo Deo non ceſſet, cenſetur perſeverare virtualitèr, ac reliqua vitæ acta referre in Deum, vt in allegata controverſia multis ex Scriptura, & SS. PP. argumentis ſtabilire curavimus. *Vbi ſupr. dub. 5. per tot.*

198 Cavenda tamen monemus extrema vndique in re iſta periculoſa. Neque enim ſinguli actus hominis vt meritorij evadant, expoſcunt imperari, aut ordinari per amorem Dei qui vel actu, & ſimul cum illis ſit, vel qui immediatè antea fuerit elicitus: quod Queſnellius, & alij Novatores videntur exigere, nedùm vt actus ſint meritorij, ſed nè mali, & peccaminoſi ſint. Hæc quippè obligatio nimis oneroſa, & plurimorum ſcrupulorum cauſa foret.

199 Sed neque etiam contenti eſſe debemus ordinatione ex actu amoris Dei longiſſimè antea præterito, & quem non interdùm, ſed rarò, aut ſemel in vita, vel etiam in anno, inſtaurare, ſeù iterare curemus. Quamvis enim multiplices, & variæ ſint Theologorum ſententiæ determinantes tempus, & occaſiones in quibus obligat præceptum charitatis, de quarum

veritate, aut probabilitate modò non diſputo; prudentiſsimus tamen meo iudicio erit, qui nequaquam addictus opinionibus quæ obligationem diligendi Deum parce taxant, ſeu nimiũ protendunt, conetur Deum ſuper omnia amare quotiès occurrant (quę ſæpiſsime occurrunt divina ſemper aſpirante Gratia, & illuſtrante fide) tot vrgentiſſima motiva, tot efficaciſsimæ rationes quæ ex ſumma Dei bonitate, & infinitis perfectionibus, & generalibus, & ſpecialiſsimiſ beneficijs ſibi collatis, corda continuò pulſant, emolliunt, & ad amantiſsimum Deum redamandam provocant.

200 Quod S. Franciſcus Saleſius commendat tanquam ſaluberrimum conſilium, dicens: *Oportet non ſolum ſingulis annis, offerre vitã noſtrã, omneſque actiones noſtras Deo, ſed etiam ſingulis diebus.* Ita namque neque præcepto nimis laxo, neque nimis ſtricto, ſuaviter coactus amabit, qui tot motivis, & obligationibus ſe ad Deum ſuper omnia amandum teneri ſenſerit: neque vllum erit opus vitæ æternæ non meritorium, quia non relatum ad Deum, dummodò cæteræ conditiones ad meritum requiſitæ adſint, quod modò ſupponendum eſt. Atque ita vitatis extremis vtrinque periculoſis, medio tutiſsimus ibit ſectatus Doctrinam vere Chriſtianam, quam Scriptura, quam Patres crebrò prædicant.

Lib. 12. de Amor. Dei, c. 9.

201 Nec contra hæc obſtat ſi forsìm dicas, vel ſi adhùc obſiſtat Anonymus dicens pro Queſnellio: Quod nullibi, neque in Scriptura, neque apud SS. PP. reperitur talis ſtatus amoris proprij, & rerum mundi, actuumque virtutum moralium, qui ſit medius, & qualem nos tota hac controverſia tuemur; in quo nimirùm prædicta opera infidelium, vel impiorum, nec ſint relata ad Deũ finẽ vltimũ, nec ſint perversè ordinata. Quia SS. PP. ſemper, & cõſtanter loquuntur de illis determinatè ad alterum, vel alterum finem relatis. Neque adeſt fundamentum, aut ratio ſuadens, quod amor, ſeu opus quamlibèt bonum, ad Deum tamen non relatum, ſit nihilominùs referibile ad ipſum, eo quia non eſt in præpoſterum finem ordinatum.

202 Profectò nimia luce cęcutit, aut cęcutire amat, qui non videt apud S. Paulum ligna, fœnum, & ſtipulam ſuper fundamentum Chriſtus, quæ ſunt opera peccatorum neque ad Deum relata per charitatem, nec perver-

verſè ordinata, & aliunde non in ſe mala, cum non evertant fundamentum. Fuit ergo medius ille ſtatus ſat cognitus Apoſtolo, atque SS. Auguſtino, & Thomæ eius Interpretibus. Inſupèr, illum expreſſiſſimè indicant alij etiam SS. PP. hactenùs allegati. Quod autem non ſemper hunc ſtatum deſignent, ſed imò ſæpiùs loquantur de operibus determinatè relatis ad finem vltimum; ea ratio eſt, & iam attacta, quia non de Philoſophia tantùm morali, ſed de Chriſtiana agentes, meminere præcipuè de illis operibus quæ ſunt vel æterno premio, vel æterna pœna digna.

203 Nec proindè ignorarunt, aut omninò tacuerunt alia ad eiuſmodi premium, & pœnam indifferentia, ſeu quæ neque illius, neque iſtius meritum ſunt, nempè opera quæ cum ſint moralitèr bona ex obiecto, & fine proximo, poſſunt fieri perfecta, & meritoria ſi referantur ad Deum finem vltimum: poſſuntque itèm fieri mala, & peccaminoſa, ſi ordinentur in finem præpoſterum, quapropter tunc non ſunt neque ad vnum, neque ad alterum relata, ſed ad vtrumque referibilia, & conſequenter in ſtatu medio.

204 Quem hauddubiè agnovit, & deſignavit S. Gregorius Magnus ita loquens: *Compellor dicere, vt & bona quæ agitis cum magna cautela teneatis, nè per hoc quod a vobis rectum geritur, favor aut gratia humana requiratur: nè appetitus laudis ſubrepat, & quod foris oſtenditur, intus à mercede evacuetur.* In quibus obitèr animadvertendum, quod quamvis facilis, aut nimis periculoſus ſit homini ita operanti, lapſus in vanam gloriam, vt cuius appetitus blandè ſubrepit; non eſt tamen prorsùs irreparabilis, vt vult Cardinalis Noriſius, lapſus qui, teſte Gregorio, cũ cautela tametsì magna vitari poteſt. *Hom. 11 in Evag.*

205 Deniquè, in ipſo opere moralitèr honeſto non relato ad Deum, ſed neque in pravum finem, eſt fundamentum, & quidèm non infirmum, eſtque ratio non inefficax, vt dicatur, ſitque in eo ſtatu ad Deum referibile. Quia ſcilicet, cum prædictum opus ſupponatur intrinſecè, & ex natura ſua bonum, omneque bonum deſurſum ſit, & à Deo, totius bonitatis fonte, & Authore proveniat, conſequenter in ipſum etiam, tanquam in finem, tendit ita naturaliter, vel, vt dici ſolet, ex fine operis, quod per hoc omninò fundet referibilitatem in ipſo, ex fine etiam, & intentione operantis; quia vt in-

1.2.q.1. art.6. in corp. inquit S. Thomas: *Quidquid homo appetit, appetit ſub ratione boni, quod quidem ſi non appetitur vt bonum perfectum quod eſt vltimus finis, neceſſe eſt appetatur vt tendens in bonum perfectum.* Unde exiſtimo, opera prædicta eſſe tantùm referibilia, & fundare relationem ad Deum, idque dumtaxat ea ratione, & teſtimonio S. Thomæ probari: non autem quod per id ſint actu, & ſufficientèr relata ad Deum, quod nonnulli Theologi innuere videntur, difficili meo iudicio aſſerto contra exigentiam, & rationem meriti.

206 Si autèm Anonymus, vel alius Janſeniſta, novum effugium intentet dicens, opera hæc in eo ſtatu medio, ſeu referibilitatis, bona non eſſe actu, ſed tantùm in potentia, & acceptura poſtea bonitatem à ſupervenien-te, vel ſuccedente relatione ad Deum, audiat S. Thomam 1a 2. q. 19. art. 7 in corp. reſpondentem. *Conſequitur,* inquit, *intentio voluntatem, quando accedit voluntati præexiſtenti, puta ſi aliquis vellet aliquid facere, & poſtea referat illud in Deum: & tunc primæ voluntatis bonitas non dependet ex intentione ſequenti.*

207 Verùm ſat iam iſta ad frænandum, refellendumque audacem Anonymi conatum: multis namque demonſtratum relinquimus, & erroneam eſſe præſentem Queſnellij propoſitionem, & dignam proinde acri cenſura, & damnatione. Nec nimia, aut ſuperflua videri poſſunt quæ contra eam ex Scriptura, Concilijs, & Patribus congeſſimus, dum ad ſequentes ſub eodem titulo contentas, & quæ iſtius veluti appendices ſunt, oppugnandas deſervire poſſunt. Quapropter reliquas non ita fuſe percurram, ſic tamen vt non eiſdem argumentis, ſed alijs ex novis teſtimonijs PP. ad eas explodendas vtar.

208 Hoc tamen prætermittere nequeo, quod ab omnibus de Queſnelliſtis, & alijs Janſenij Sectatoribus obſervandum cupimus. Cum enim inverecunde parvipendant, ſeu nihili habeant, Sedis Apoſtolicæ decreta, vbi quidquam contra ipſos continetur, vt ſunt Conſtitutiones promulgatæ à Leone X. Pio V. Gregorio XIII. Vrbano VIII. Alexandro VIII. & noviſſimè à Clemente XI. ac ſi Apoſtolicæ Sedis ſub tantis Pontificibus authoritas, veritaſque, nulla foret ad decernendum veritates fidei contra ipſos; nihilominus ſi alicubì eadem Sancta Sedes ſtatuit ali-

aliquid vel ſtatutum confirmat, quod ſuis erroribus ipſis videatur favere, illicò illud libertiſsime, & tanquam dogma intemeratum, & neque vlla explicatione temerandum, amplectuntur, nobiſque veluti invictum opponunt argumentum.

209 Ita prorsùs, cum in Concilio Arauſicano II. ea habeantur quibus Janſenius, & Quenelliſtæ abutuntur ad probandum infidelium, & peccatorum opera, eſſe peccata id tenent ac ſi fuerit omninò per illius Canones definitum, vt propterea nulli liceat contrarium aſſerere, niſi apertè contradicat Concilio ita ſtatuenti, quin & potiùs Sedi Apoſtolicæ, quæ ſub Felice IV. eos Canones ordinavit, & à Patribus Concilij ſubſcribendos iuſsit.

210 Quod ipſi in Prœloquio ita teſtantur. *Undè id nobis ſecundum admonitionem, & authoritatem Sedis Apoſtolicæ, iuſtum ac rationabile viſum, vt pauca Capitula ab Apoſtolica nobis Sede tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de Sanctarum Scripturarum voluminibus, in hac præcipuè cauſa collecta ſunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet ſentiunt, ab omnibus obſervanda proferre & manibus noſtris ſubſcribere deberemus.*

211 Hæc ipſa ſunt Capitula adeò grata Queſnellio, & Janſeniſtis, alioqui perversè ea intelligentibus, quæ, quamvis præſcripta à Sede Apoſtolica; vt irrefragabili veritate prædita, ab omnibus indubitantèr, tanquam fidei regulas, nulla etiam alterius, & legitimi ſenſus, qui ipſis diſpliceat, explicatione adhibita, ſuſcipienda volunt. Verùm dum eadem Sedes Apoſtolica, dum tot memorati Pontifices, editis ex Cathedra Cōſtitutionibus, ſuos, & in hac ipſa materia, errores damnant, illicò inobedientia, querelis, contemptu eas excipiunt, tanquam non irrefragabilitèr veras, neque tanta authoritate valentes, quod non debeant vlteriori trutinæ examinari. Sic enim Apoſtolica Sedes eſt ipſis infallibilis dum placet, fallibilis dum diſplicet.

212 Præſtaret autem vt à laudatis Concilij Patribus exemplum, & O! quantum, deſumerent humilitatis, obedientiæ, & obſervantiæ erga Apoſtolicam Sedem, cuius admonitione præventi, & authoritate freti, non hæſitarunt ſubſcribere capitulis quæ ipſa colligit *ad docendos eos qui aliter quam oportet ſentiunt*, quę obſervāda protulit, tranſmiſsit, & ſubſcriben-

da iuſsit. Hoc illi Patres obſequentes fecere, nulla excuſatione, nulla mora, prætextu vlterioris explicationis de ſenſu illorum interpoſitis: & quidem candide, non ſimulate, neque affectato tantum obſequio, ſed ex animo, & debito: *ſubſcribere*, inquiunt, *debaemus*: utque, quia *iuſtum*, *& rationabile viſum*; & ideò rationabile, ac iuſtum, quia *ſecundum admonitionem*, *& authoritatem Sedis Apoſtolicæ*.

213 Tantum Novatoribus iſtis Arauſicani Patres Concilij dant documentum, & exemplum exhibent; quod ſi neque ab eis gratantèr accipiunt, vt iudicio Sedis Apoſtolicæ circa præſentem, & reliquas Queſnellij propoſitiones tandem ſubmitti velint; acquieſcant ſaltèm Cenſuræ, & Sententiæ Facultatis Theologiæ ſuarum Academiarum Pariſienſis, & Lovanienſis, quarum Doctores olim Apoſtolicæ Sedi obſequentes, omnes proindè togati tunc erant, & Cidarim Theologicam dignè geſtabant; modò plures palliati, & proh pudor! paludamento Janſeniſtico ornati, incedere amant, quibus paternas has cautiones, quas haud canunt, in mentem revocamus.

214 Sacra itaque Facultas Theologica Pariſienſis ſequentem propoſitionem Joannis Heſſelij, aut Michaelis Baij, inter alias hac notavit cenſura a Petavio obſervata. Propoſitio 18. *Omne opus bonum eſt meritorium vitæ æternæ: quod ſi aliquod remuneretur temporaliter tantùm, non dignum vita æterna, illud malum eſt, quia nullum eſt opus meritorium niſi vitæ æternæ.* Cenſura. *Hæc tota propoſitio repugnat Sacræ Scripturæ.* Addo, & Sanctis Patribus, ac maximè Auguſtino. In qua totus ſenſus Queſnellianarum de hac materia, contentus, & expreſſus eſt. An. 1560 27 Jan. Theolog. dog. t. 3.

215 Facultas autem Theologica Lovanienſis ſequens edidit Decretum à Franciſco Sylvio allegatum. *Non ſic omnia boni principia avulſa ſunt, vt liberum arbitrium ſine gratia Dei adiutorio non niſi ad peccandum valeat. Multa quippè ſunt quæ vel ad humanos uſus vtilitèr, vel ad excolendos, ornandoſque vitæ mores laudabilitèr, vel ad Reſpublicas conſtituendas induſtriè, prudentèrque prolata ſunt; eaque in quantum eiuſmodi ſunt, peccata cenſeri, nullo modo rectè poſſunt. Quocircà quod ex ſolis naturæ viribus, non ex illa per Chriſtum gratia ſpeciali* In 1. 2. q. 109. art. 2.

ortum bonum opus agnoſcens, minimè is cum Pelagio ſentire ulla in parte, ſeu Pelagiana hæreſi errare, & labi dicendus eſt, ſed perſpicuè acquieſcere veritati. Ita illi. Deus immortalis! adeo nè homines immutari poſſunt, vt quorum olim hæc ſententia fuit, hodiè contrarius error animo pervicacitèr hæreat?

XLV. PROP. COND.

Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt vt in eo carnalis regnet cupiditas quæ eius actiones corrumpat.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

Luc. 15. 13. *Quand l'amour de Dieu ne regne plus dans le cœur, il eſt neceſſaire que la cupidité charnelle y regne, & corrompe toutes ſes actions.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Serm. 5. SANCT. Fulgentius. *Tantum augetur charitas quantum fuerit imminuta cupiditas .... Charitas donum Dei eſt .... Cupiditas laqueus eſt diaboli, non ſolum laqueus, ſed etiam gladius .... Charitas eſt radix omnium bonorum, cupiditas radix eſt omnium malorum.*

Moral. lib. 17. cap. 24. S. Gregorius. *Diabolus illa corda poſſedit quæ divini amoris gratia non replentur: ſed tamen omnipotenti Deo ſuppetit etiam vaſa diaboli cunctis virtutibus vacua, ſua gratiæ munere implere.*

Moral. lib. 18. cap. 9. Idem. *Qui terrenarum amore vincitur, in Deo nullatenùs delectatur .... Si quis diligit mundum, inquit S. Ioannes, non eſt charitas Patris in eo. Ac ſi apertè dicat, vtrique ſe amores in vno corde non capiunt, nec in eo ſeges ſupernæ charitatis pullulat, in quo illam ſpinæ infimæ delectationis necant.*

Enchir. cap. 117. S. Auguſtinus. *Regnat carnalis cupiditas, vbi non eſt Dei charitas.*

De Gen. lib. 10. cap. 12. Idem. *Non vt non ſit* (concupiſcentia) *in eorum corpore quando ita mortale eſt.... Sed vt non regnet. Non autem regnat,*

cum deſiderijs eius, ideſt, his quæ ſecundum carnem contra ſpiritum concupiſcuntur, non obeditur.

REFLEXIONES ANONYMI.

LOca Patrum ſupra præcedentem propoſitionem adducta, iuſtificant planè priora iſtius verba. Quod attinet ad poſtrema, oportet ea intelligere eadem æquitate, qua intelliguntur illa S. Gregorij dicentis quod, *Qui terrenarum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur.* His namque non intendit S. Gregorius, nec ſuis etiam P. Queſnellius, quod ille in cuius corde cupiditas regnat, nequeat aliquomodò experiri in ſe nonnullos, tametſi debiles, motus amoris erga Deum. Quocircà huiuſmodi expreſsiones dumtaxàt ſignificant, quod hi duo amores mutuò pugnant, nec poſſunt ſimul regnare : & quod dùm quis cupiditate operatur, Deo non delectatur: facit enim actiones, ſeu opera, quæ ab origine ſua corruptionem trahunt.

ANIMADVERSIONES.

1 SUb ſplendida, & plauſibili ſpecie ſanctimoniæ, & commendationis amoris Dei, idem venenum quod præcedens, hæc propoſitio, & continet, & effundit; vt vel fatetur Anonymus dùm cenſet priora iſtius verba, ſic ſenſu cum altera convenire, vt eiſdem, ac illa, PP. teſtimonijs, planè confirmetur: quibus alias, vt ex mente ipſorum Patrum fuere à nobis expoſita, veriùs diceret, vnam, & alteram, vt æquè erroneas, falſas, ac ſenſui PP. penitùs adverſas, manere per ipſos confutatas, quod facilè qui ea reviſat experiri poterit; cum, nè Lectori moleſtus ſim, ab illorum repetitione abſtineo.

2 Ad quæ tamen, & contra propoſitionem præſentem maximè, addimus doctrinam oportuniſsimam S. Chryſoſtomi, vt cum Queſnellius ita expreſsè damnare audet omnem cupiditatem, ſeù amorem carnalem, ſibi adverſantem audiat hunc S. P. exponentem textum Apoſtoli, qui, nè & illo etiam Queſnellius abutatur, huiuſmodi eſt. *Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt.* Ad Rom. 8.

Nam

Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritus, vita, & pax. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubiecta: nec enim poteſt, qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

3 Verba iſta ſi Queſnellius, & Auonymus oſtenderent, illicò clamarent S. Paulum ſibi patrocinari; neque enim videntur alia teſtimonia ab Anonymo allegata, aut locus de filio prodigo, quem Queſnellius curat hac propoſitione exponere, commodiora ad reprobandos cunctos affectus carnales, & carnis cupiditates omnes calumniandas. Sed vt diſcant non ſic ex arbitrio, & ad ſalivam, vſurpandum eſſe ſenſum Scripturæ, & Eccleſiæ Patrum, auſcultent Chryſoſtomum ita loquentem. *At ne hoc quidem carnis calumnia fuerit. Donèc enim ſuum ordinem ſervat, abſurdi nihil fit. at quum illi omnia concedimus, ac proprios tranſiliens terminos contra animam inſurgit, tùm omnia perdit, ac corrumpit, non à propria natura, ſed ab immoderatione, ac cõfuſione inde nata.*

Hi. Hom. 13.

4 Qui igitur carnem, & res mundi amat moderatè, nulla deordinatione ad præpoſterum finem, abſurdi nihil facit: ſoluſque ille amor carnalis perverſus eſt, qui terminos proprios tranſiliens, ſibi ac rebus mundi vltimo adhæret, & frui cupit. a quo alij amores orti, ſui originis corruptionem trahunt, vt à Deo poſitivè deordinari; & cui propterea illa non ſubditur, neque enim poteſt. *Sed tu*, addit Chryſoſtomus, *ne commoveare tamen, dùm id verbi audis: Neque enim poteſt. Hæc enim dubitatio facilem habet ſolutionem. Nam hoc quidèm loco carnis ſenſum appellat terreſtrem cogitationem, craſſam, ſecularibus rebus, maliſque actionibus intentam, atque affixam. Hanc adeo cogitationem non poſſe ait Deo ſubditam eſſe.* Cuius rationem mox reddit dicens: *Fieri non poſſe, vt qui malus eſſe perſeverat, Deo ſubdatur.* Seu, *malam actionem, non poſſe bonam eſſe.*

5 Dumque amor iſte carnalis perverſus, non ſubditur, nec poteſt ſubdi Deo, tunc ille in corde peccatorum regnat, vt qui effrænatus, ac rebellis, ſe, & mundum pluſquam Deum diligit: cuius contraria, & debita appretiatio faceret amorem Dei regnare. Quocirca ſi ita propoſitionem Queſnellij invertas: *Amore iſto perverſo in corde peccatorum regnante, & eius*

actio-

actiones reliquas corrumpente, neceſſe eſt vt in eo amor Dei non ampliùs regnet, veram, Catholicam, & conformem Paulo, & Chryſoſtomo propoſitionem formabis, quæ vt à Queſnellio perverſè prolata, ſuo ipſo aperto, & erroneo ſenſu, cum Pauli, & Chryſoſtomi doctrina pugnat.

6 Vocibus enim, & terminis ſuis, vt apertè ſonant, ſignificat, quod Amore Dei in corde non regnante, neceſſe eſt vt amor proprius carnalis, & mundi regnet, qui omnes eius actiones corrumpat. At ſenſus ille planè ſignificat, quod in impio, in quo certè non eſt amor Dei regnans, non datur vllus alius amor carnalis honeſtus, ſeu quo nihil fiat abſurdi: ſed omninò neceſſe eſt, vt loco amoris Dei ſuper omnia, ſuccedat illicò amor perverſus ſe, & alia ſuper Deum, aut pluſquam Deum diligens, & cor veluti tyrannide occupans: ſic etenim ille regnat, omnes cordis volitiones, & actiones corrumpens. Ergo planè adverſatur Chryſoſtomo exponenti Apoſtolum, qui cum Queſnellio non agnoſcit, nec fatetur, alium amorem carnalem, qui abſurdi nihil habet, & conſequenter qui nec regnat, nec depravat, nec corrumpit alias actiones indè natas.

7 Quod rursùs confirmat S. Chryſoſtomus. Nam exponens illud: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt;* advertit Apoſtolum velle eis deſignare, *eiuſmodi quam modò diximus carnem, quæ videlicèt ab affectibus animique morbis tracta, veluti tyrannide opreſſa ſerviat.* Quibus apertè innuit alium eſſe carnalem amorem, alios eſſe affectus, qui tametſi carnales, non oriuntur ex cupiditate regnante, & veluti tyrannide cor hominis occupante.

8 Quemadmodùm igitur iniquè quis cenſeret malas, aut pravas omnes carnales concupiſcentias, quia Apoſtolus in prædicto textu eas ſub vno carnis nomine videtur tanquam peccaminoſas damnare, ſimilitèr, & planè errant Queſnellius, & Anonymus ita vſurpantes verba Scripturæ, & SS. Patrum de Amore Dei, & de perverſa cupiditate carnali, ac ſi negent alium amorem inter vtrumque medium, qui quamvis non tendat in Deum ſummè dilectum, & ſit rerum mundi amor, eſt tamen moderatus, & propterea non malus, ſed moraliter bonus, & in eo ſtatu medio quem ſupra explicuimus, in quo poſ- *Fol. 174. nu. 102.*

ſit

ſit fieri bonus ſimplicitèr, & meritorius, ſi ad Deum refeſratur, malus autèm, & peccaminoſus, ſi ad præpoſterum finem ordinetur.

9 Unde opportunè idem S. Chryſoſtomus ſequentia addit, quibus & corripit Queſnellium, & Anonymum ita ſenſum Scripturæ, & Patrum extremè, & ad errandum tantum vſurpantes. *Sed non eſt ita*, inquit, *non eſt ita. Neceſſe enim eſt non ad voces ſimplicitèr, ſed ad loquentis mentem vbique advertamus, exactamque dictorum diſcretionem pernoſcamus. Alia enim ſunt bona, alia mala, alia media, v. g. Anima, & caro ex eorum numero ſunt, quæ media vocantur; poſſuntque & hoc, & illud fieri: at ſpiritus ex eorum ſemper eſt numero quæ bona ſunt, nec aliud vmquam efficitur: rurſus carnis ſenſus, hoc eſt ſcelerata actio, ex eorum ſemper eſt numero quæ mala ſunt, legi enim Dei non ſubditur.* Non potuit ſanè tota, tota noſtra, ac vera de hac materia doctrina, paucioribus, & dilucidius explicari, vt diſcant Queſnellius, & Anonymus, quam adverſum ſuis erroneis theſibus, & ſuis perverſis Patrum commentationibus, habeant Chryſoſtomum.

Ibid.

10 Et ne fortè ſibi eius verba ipſi vindicent, ſuam illam potidam effutientes querelam, quod nempe, contra monitum Chryſoſtomi, eorum dicta damnamus, attendentes dumtaxat ad Queſnellij voces, non ad ſenſum ab ipſo intentum, & ad loquentis mentem; animadvertant neceſſè eſt, quod Chryſoſtomus non hic commendat hanc exactam dictorum diſcretionem reſpectu quorumcumque privatorum hominum, & Authorum; ſed ſolummodò reſpectu Sacræ Scripturæ, quæ ob altitudinem myſteriorum, obque arcanos ſenſus, ſuis eget, & digna eſt Interpretibus: vti, & Sancti ipſi Eccleſiæ PP. quorum etiam mentem, interdum ambiguam, perſcrutari, & explicare oportet, ne aliquandò, quod Anonymus ſemper facit, pro ſtatuendis falſis dogmatibus allegentur.

11 Reliquorum autem hominum, & privatorum Authorum dicta, & ſcripta, accipienda ſunt, vt ſonant, vel ad probationem, vel ad reprobationem; nec nimiùm curandum de latente ſenſu quem intendere poſſunt: nimiùs namque & incaſſus labor fore iſte, neque vllo modo debitus eorumdem authoritati, qui apertè, & ſincerè,

ſic vt ab omnibus intelligantur, & loqui poſſunt, & debent. Ita nimirum S. Auguſtinus deſiderabat olim quod Pelagius loqueretur de peccato originali, & Baptiſmo paruulorum, non vt loquebatur, eis nempè verbis: *Quæ tam ſunt ambigua*, inquit, *vt poſſint eorum dogmati præbere latibula.*

Lib. 2. de pec. mor. cap. 21.

12 Equidèm hoc quærunt, hoc ſemper amant cuncti hæretici habere latibulum, & quo antea Baiani, & Janſeniſtæ, ac modò Queſnellius, eiuſque fautores, cogitant fulmina Vaticani vitare, ſeque, & errores ſuos in tuto poſitos exiſtimant, dicentes, ſe numquam perverſum, & condemnatum ſenſum, quamvis patentem, quamvis obvium; ſed alium rectumque, cui verba nituntur adaptare, intendiſſe.

13 At quemadmodùm Janſenius & Queſnellius, in hoc imitantur Pelagium, *Volentes*, vt inquit Auguſtinus, *hæreticus aſtute ſtultitiam declinare*; ita etiam, & ſanctiori imitatione, Clemens XI. veſtigia Sanctiſſimorum Pontificum Innocentij, & Zoſimi ſequens, eodemque infallibili iudicio pollens, noluit, nec potuit hac excuſatione falli, quia neque vnquam Sedem Petri quiſquam decipiet, qualitèr neque eadem valuit Prædeceſſores ſuos decipere Pelagius, teſte Auguſtino ita de illo aiente: *Feſellit iudicium Palæſtinum, propterea ibi videtur eſſe purgatus, Romanam vero Eccleſiam.... fallere vſque quaque non potuit, quamvis & hoc fuerit vtcumque conatus, ſed vt dixi, minimè valuit.* Rurſum. *Viſus eſt tamen ad tempus aliquid dicere quod Fidei Catholicæ conveniret, ſed illam Sedem vſque in finem fallere non prævaluit.*

Ibi. cap. 21.

Cap. 8.

Cap. 21.

14 Ita planè Queſnellius, Anonymique, & Janſeniſtæ omnes, alium prætendunt ſenſum diſtinctum ab obvio, & naturali, in ſuis theſibus contineri, quo illas à cenſura, & damnatione immunes prædicant: ſeu potius, ſub quo venenum propinandum incautis diſſimulent. Quibus proptereà apprimè competit illud: *Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa*, adhibita præſertim expoſitione S. Auguſtini, qui verba *præcipitationis*, appellat etiam verba *ſubmerſionis*, & *ſubverſionis*, dicens: *Expreſſit verba ſubmerſionis linguam doloſam. Quid eſt lingua doloſa? Miniſtra fallaciæ eſt lingua doloſa aliud in corde geſtantium, aliud ore promentium. Sed in his ſubverſio, in his ſubmerſio eſt.*

Pſal. 51. 6.

Enar. in Pſal.

15 Qui namque lingua ita doloſa, eaque ſenſuum, & verborum ambiguitate vtuntur, periculoſiorem hæreſim, & inſanabiliorem, quia ſub pietatis larva latentem, edocent; perniicioſiorem errorem, quia ſpecie veritatis palliatum, diſſeminant. Quod quondam de Arianis à S. Ambroſio dictum, non fortaſis incongruè ijs etiam Novatoribus applicatur: *Multas quidem*, ait, *& graves hæreſes novimus à plurimis ebullire, & veneni vice ad intimum pectus canceris ſui virus infundere. Sed vinci illi, vel facile poſſunt, vel facilè vitari, quorum prima propoſitione omne conſilium pectoris proditur. At verò hi quibus multa nobiſcum paria ſunt, innoxias mentes, & ſoli Deo deditas, fraudulenta ſocietate percutere, dùm malorum ſuorum virus per bona noſtra defendunt. Nihil enim periculoſius his hæreticis eſſe poteſt .... Unde vehementèr nobis cavendum eſt, nè ſe, vel ſenſibus, vel auribus noſtris hujuſmodi aliquid latenter inſinuet, quia nihil tam cogit in mortem, quàm ſub obtentu fidei, fidem violare.*

Lib. de … di- … & conjub. cap. 1.

16 Et nè Novatores iſti amplius conquerantur de eo, quod nonnulla Queſnellij, aut Janſenij, rectè fortaſis ſonantia, aut ſimilia SS. PP. dictis, à nobis in deteriorem ſenſum, verbis tamen germanum, intelligantur, & explicantur, audiant iterum Ambroſium hæc addentem. *Quæ de re non ſimilitudo confeſſionis, ſed ſenſus mentis eſt ponderandus, quo confeſſio ipſa firmatur.*

17 Et quidèm, qua benignitate circa ſenſum Queſnellij in præſenti propoſitione nos vti poſſumus, vbi quamvis illa præſeferat quandam pietatis ſpeciem, ſplendidamque de amore quo Deus dignißimus eſt, ideam, ac nonnullam cum ſententijs Patrum ſimilitudinem; ſi tamen mentis Authoris ſenſum, & propoſitum, ponderemus, explicatißimis verbis expreſſum in omnibus propoſitionibus ſub hoc titulo contentis, nihil ſtatim, & patentiùs ab eo intentum ſe offert, niſi quod peccator qui cum gratia amiſsit charitatem, nullum opus bonum facere poteſt: ſed quidquid operetur peccatum eſt, & opus omninò corruptum à cupiditate carnali tunc neceſſario regnante: quod quam falſum, quam erroneum, quamque contrarium ſit Scripturæ, & Patribus, manifeſtum ex dictis contra ſuperiorem propoſitionem eſt.

18 Ex quo etiam inde-

clinabilitèr ſequitur peccata eſſe, & opera omninò corrupta, atque adeò depravata, vt iure odium Dei mereantur, quotquot actus fidei, ſpei, timoriſque efficit peccator ante iuſtificationem. Siquidem tunc nondùm regnat charitas in corde illorum, nec regnum, quod, abſente illa, & ad eius expulſionem neceſſariò acquiſivit cupiditas carnalis, deſolatum, quin neque adhùc in ſe diviſum eſt. Quod quam abſonum ſit, vidimus refutantes propoſitiones ſub titulo *de Timore*, præſertim primam: eſtque Lutheranum dogma à Tridentino anathemate proſcriptum, & à Summis Pontificibus Leone X. Pio V. Gregorio XIII. Vrbano VIII. & Alexandro VIII. damnatum, vt ibi, & ſupra notavimus, deincepſque notandum erit.

19 Itèm, quantum id repugnet SS. PP. conſtabit recolenti teſtimonia quæ ex illis adduximus, & quæ paſsim loquuntur, præſertim SS. Chryſoſtomus, & Gregorius, crebrò hortantes peccatores ad timorem Dei, ſui iudicij, & pœnarum inferni: quem timorem, etiam dùm charitas in corde peccatoris non regnat, tanquam vtilem Sacra Scriptura commendat, tamque longè abeſt vt malus ſit, quod ipſe Deus per Ieremiam ait, malum, & amarum eſſe peccatori qui Deum dereliquit, & conſequentèr charitatem amiſsit, prædictum timorem non habere; *Scito, & vide quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus.* Cap. 2. 19.

20. Deniquè. Per regnantem charitatem, aut cupiditatem, palàm ſignificat Queſnellius charitatem illam quam *Prædominantem* Janſeniſtæ dicunt, & cuius apud ipſos notio, ſeu ſyſtema, graviſsimarum, & inevitabilium abſurditatum origo, & principium eſt, quæ, & paritèr ex ipſo ſenſu obvio Queſnellianæ propoſitionis colliguntur. Utque id perſpicuum fiat, ſciendum, quod ea eſt apud Janſeniſtas charitas regnans, ſeu prædominans, quæ multis repetitis actibus amoris Dei, ita regnum ſuum, ac dominium ſtabilit, & firmat in corde hominis, vt omninò, & abſolutè ſuperet omnes, & ſingulos, aut quoſcumque eiuſdem cordis amores. Similitèr è contra, cupiditas carnalis regnans, ſeu prædominans, ea eſt, quæ pluribus actibus amoris proprij, & rerum mundi, ita in corde hominis habitualiter firmatur, vt ſuperet om-

omnem in eodem corde amorem Dei.

21 Ita charitatem prædominantem, ſeu regnantem; ita & cupiditatem, vel amorem creaturæ, regnantem, ſeu prædominantem, definit, & explicat Joannes Opſtraet Janſeniſta Lovanienſis, propugnans ſimul, non omnem amorem caſtum Dei, eſſe charitatem prædominantem, quia vnus actus quo Deus diligitur, eſt amor caſtus Dei; non tamen vnico iſto actu charitas ſuum in corde dominium, ſeu regnum adquirit. Similiterque de cupiditate ait, non vno actu, ſeu peccato, fieri regnantem, aut prædominantem, quia illo tantùm ſuum non firmatur in corde hominis dominium.

D. Pret. 7 theol. c. 6. q. 1.

22 Rursùs tuetur, charitatem poſſe eſſe prædominantem, vel *ſecundum quid*, vel *abſolutè* (his enim Scholæ terminis vtitur) tuncque eſt charitas prædominans *ſecundum quid*, quando eſt amor caſtus Dei ſuperans vnum ſolummodò amorem creaturæ ad quem comparetur: vt ſi quis amet Deum pluſquam divitias, ſed non pluſquam honores, aut pluſquàm voluptates. Charitas autem Dei *abſolutè* prædominans, eſt, inquit, illa, quæ non vnum ſingularem tantum, vel alium amorem ſuperat, ſed omnes, & quoſcumque cordis amores. Et ſimili modo ait debet diſtingui cupiditas regnans, & prædominans, vel *abſolutè*, vel *ſecundum quid*.

23 Statuit vlteriùs prædictus Janſeniſta, non poſſe eſſe in eodem corde niſi vnum abſolutè prædominantem amorem, ſcilicèt, vel Dei, vel creaturæ; quod & Queſnellius ſua propoſitione ſignificat, dicens: *Amore Dei non ampliùs regnante, neceſſe eſt vt regnet cupiditas carnalis.* Attamèn, cum charitate prædominante, inquit, poteſt quam optimè componi actus cupiditatis carnalis; & e converſo, cum iſta prædominante, poteſt ſimiliter ſtare amor caſtus Dei; quia hic, vt breviter pertranſiens, non valet cupiditatem a dominatione deijcere: & ſimiliter, vnus actus cupiditatis, non ſufficit ad expellendam è regno charitatem.

24 Ex hoc ſyſtemate duo inter alia concludunt Janſeniſtæ, prodigioſa ſanè, ſed quæ conſequutione neceſſaria colligenda cenſent. Primum, quod in peccatore in quo cupiditas, ſeu amor mundanus regnat, poteſt eſſe amor Dei caſtus, quo nequaquam amor perverſus mundi e corde illius depellatur: ſupra quod

tota illorum de *Diſciplina pœnitentiæ* abſurda doctrina fundatur, docentes, non eſſe abſolvendos, & reconciliandos peccatores, qui ex Deo ſummè dilecto, de ſuis peccatis verè dolent, & conteruntur; ſed differendam abſolutionem, dandumque eſſe illis tempus portandi, & ſentiendi onerosum, ac miſerrimum ſui peccati ſtatum, & tolerandi confuſionem ſuæ ſeparationis à Deo, vt Queſnellius affirmat in ſuis ſub eo titulo propoſitionibus.

25 Proptereàque, & Joannes Opſtraet toto illo allegato loco, & opuſculo, contendit, amorem caſtum Dei, neque etiam cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficere ad iuſtificationem peccatoris: neque hanc, quemadmodum neque eius converſionem, poſſe, aut debere peragi repentè, ſed morosè, ſed tardè, ducendo nimirùm pœnitentem ad amorem prædominantem Dei per iteratos ab ipſo, quam plures actus amoris caſti, & pœnitentiæ, quia per ſolam charitatem in corde illius regnantem, iuſtus efficitur. Quam verò abſurdum ſit hoc ex prædicto ſyſtemate conſectarium, quamque repugnans praxi Eccleſiæ ſequentis Chriſti, & Apoſtolorum veſtigia, & exempla, ac SS. PP. documenta, ſat ſupra demonſtratam eſt. *De Diſcip. pœn.*

26 Secundum autem de re præſenti, nec minus portentoſum ex eodem ſyſtemate conſequens eſt, quod in homine iuſto, in cuius corde charitas ſit prædominans, vnus, aut alter amor carnalis, vnus, aut alter cupiditatis actus, non eſt potens, vel ſufficiens, ad imperium illius evertendum, ad charitatem è regno cordis propulſandam: quod perindè eſt, ac vnum, vel etiam alterum peccatum mortale in homine iuſto, læthalia non eſſe, nec facere ipſum peccatorem, & impium: quæ cum ſint actus tranſeuntes, & qui non ſufficiunt cor hominis tyrannide opprimere, non valent proptereà efficere, ne deinceps charitas in corde hominis regnet.

27 Hanc pluſquam abſonam, & pluſquam monſtruoſam doctrinam prædictus Opſtraet ſtabilire conatur. Hanc etiam noviſsimè Burdaillius Gallus multis tradit, & docere ſatagit libro de ea edito cui titulus, *Theologia moralis S. Auguſtini*, quem Clerus Gallicanus in comitijs apud S. Germanum habitis damnavit, & quidèm meritò; *An. 1700.* non enim vno tantum titulo reus damnationis eſt, vt contis

tinens impijſsimum ſyſtema, gratum quondam Calviniſtis, quod contra Arminianos in ſua Synnodo Dordrectena definierunt, ſtatuentes ita conſtantem, & ſtabilem in homine ſanctitatem, & iuſtitiam, vt facile amitti non valeat, nec conſequentèr iuſtus à gratia, & charitate decidat, quamvis gravitèr peccet, & in crimina enormia labatur.

28 Adeò itaque firmum, & permanens charitatis regnum in lubrico humano corde comminiſcuntur ſimilitèr Janſeniſtæ, vt cum ſemel illa prædominans ſit, nequeat è regno pelli, è ſolio deturbari, etiam a contrario nocentiſsimo, & in ipſo regni meditullio admiſſo, ac regiam occupante, item & cũ auxiliaribus copijs ſenſuũ, ſeu totius ditionis contra imperantem ipſam charitatẽ rebellantibus. Quod ſimilitèr evenit, ſi cupiditas carnalis in corde regnet, & caſti amores Dei, cor ipſum tenentes, regnum invadant. Et quamvis miſerrima hæc ſors peccatoris ſit, qui nequit talibus copijs, & etiam auxiliaribus ſacramentis, à tyrannide cupiditatis prædominantis liberari, id dicunt Janſeniſtæ, abundè compenſatur fœlicisſima iuſti ſorte, ita bene firmatum habentis charitatem regnum, quod nec aliquibus peccatis mortali de poſsit è corde vbi dominatur expelli.

29 Iam qui tantiſpèr præſentem Queſnellij conſideret propoſitionem, inveniet abſdubio in ea ſenſum omninò cohærentem cum præfato ſyſtemate; nam eò tendunt theſes de *Diſciplina pœnitentiæ* nuper exploſæ: nec cupiditas prædominans dici poteſt validior nè expellatur per amorem caſtum; quam charitas regnans, nè deijciatur per peccatum mortale. Rursùs, quia hunc eundem ſenſum indicant iſta verba: *Amore Dei non amplius regnante, neceſſe eſt ut regnet cupiditas*: quæ plane ſignificant amorem Dei a regno, & dominio ſuo non ceſſare, niſi quando cupiditas regnat. Cum autem hæc non fiat prædominans vnico peccato mortali, evidentèr liquet, quod iſtud componitur optimè iuxta ſententiam Queſnellij cum charitate regnante.

30 Quo ſuppoſito, nullus profectò locus eſt ad excuſandam propoſitionem illam, ſeu abſolvendam, à cenſura, & damnatione. Eliciat qui volet ex ea ſenſum, vi, aut ingenio quovis expreſſum, detorqueat verba, meditetur argutias, numquam ſanè poterit illam à ſenſu, & ſignifi-

catione impij ſyſtematis alienam oſtendere, neque id quomodolibet fieri poterit, abſque patenti præiudicio propoſitionum expectantium ad *Diſciplinam pœnitentiæ*, quæ in eo ſyſtemate fundantur. Vt namque cupiditas habitualitèr abſolute prædominans ſecum compatitur actum amoris caſti Dei in pœnitente nondum iuſtificato; ſimiliter charitas habitualiter abſolutè regnans, ſecum admittere debet peccatum mortale in iuſto nondum impio.

31 Hinc illicò ſe offert monſtrum iſtud, & planè horrendum, quod nempè iuſtus, gratuſque ſit, & Deo amicus, homo, qui actu, & conatu ſuo impius, ingratus, & opere ipſo Deo inimicus efficitur. Nonnè ſat eſt vnum tale opus, tametſi tranſiens, flagitioſiſſimum, vt patratorem ſuum ita impium faciat, quod odium ſit Deo ipſe, & impietas eius? An nè cuius, vel vnus tantum oculus nequam ſit, poterit totum eiuſdem corpus, contra ſententiam Chriſti, lucidum eſſe? Qui enim habens charitatem quamtumvis regnantem, & radicatam, opus vnum mortale perverſi amoris facit, proculdubiò plantat in ſe vitioſam cupiditatem, quæ quamvis eo tantum opere tunc regnans non ſit, eo tamen tanquam ſemine plantatur quæ tandèm creſcens prædominet. At quod neque illa ita plantari poſſit, niſi charitas radicitus evellatur, eſt expreſſum S. Auguſtini.

32 Ait quippe. *Quia radix omnium malorum eſt cupiditas, & radix omnium bonorum eſt charitas, & ſimul ambæ eſſe non poſſunt: niſi vna radicitus evulſa fuerit, alia plantari non poterit.* Fieri ergo non poteſt, vt etiam vno, aut altero opere pravo plantet quis in corde ſuo cupiditatem, niſi ex eodem charitatem regnantem, ſeu altas etiam radices agentem, evellat. Nam vt inquit S. Baſilius: *Alienatio à Deo, averſioque, cui modo ea contigerit* (contingitque quolibet peccato mortali) *malum eſt omnibus quæ in gehenna expectantur intolerabilius, veluti oculo privatio luminis.* Unde ſubiungit: *Ne quæſo id committere velimus ..... qui & alieni ſcilicet ab eo unde conditi ſumus, & ipſo ſimus, ac voluntate, nullaque adverſus illum charitate propenſi.* Quia videlicet, malum illud quod peccatum grave, & averſio à Deo eſt, ſemel commiſſum, nullam charitatem relinquit in corde per illud ab alienato à Deo, & averſo.

Homil. 9.

In reg. reſp. ad 1. interrog.

33 Similitèr in corde

pec-

peccatoris vbi cupiditas radicata regnet, ſi vel vnus actus ſit caſti amoris Dei, quo ibi plantetur charitatis dominium, per illum tota illa exitialis, & multis gravis actibus prædominans habitualitèr cupiditas, è regno ſuo depellitur: *Quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Quæ verba S. Petri non ſolum de charitate habitualitèr regnante, ſed etiam de actibus, ſeu de operibus illius, intelligenda ſunt cum S. Auguſtino, ea, & alia quam plura de eadem re, & in eodem ſenſu exponente. *Hæc autem omnia*, ait, *quæ non charitas operatur? Et Apoſtolus Petrus, Ante omnia inquit mutuam inter vos charitatem perpetuò habentes, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum.*

1. Pet 4. 8.

De Grat. & liber. arb. cap. 17.

2. 2. q. 24. art. 12. & 22.

34 Conſonat S. Thomas ſæpiſsimè docens, & quod per vnum peccatum mortale tota ſtatim charitas, ſicut & tota gratia, amittitur, & quod neque vlla potentia ille habitus regnans, & hic actus invadens cohærere poſſunt. Similitèr, non minùs ſolemne apud ipſum eſt, quod per vnum caſti amoris Dei actum, peccata omnia delentur: *Minima enim charitas*, ait, *plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti.* Ex quemadmodùm non ſtat hominem efficaciter amare Deum, & non redamari ſimul ab ipſo; neque inſuper intelligibilis ſit, ſine aperta repugnantia, quod Deus amet, & ſibi habeat amicum hominem ſibi inimicum: exindè evidentiſsimè concluditur, quod non ſola cupiditate regnante, ſed vnico tantum illius opere mortifero, totum charitatis regnum corruit, totaque illa à corde humano pellitur, & viceverſa ſimilitèr.

3. part. q. 70. art. 4.

35. Nec quod actus actibus tantùm, & non habitibus, directè contrarientur, nec quod vnus habitus prædominans ita fixus cogitetur, vt vno actu tranſeunte non videatur removendus; ſed pluribus, quibus iteratis contrarius habitus acquiratur, & præexiſtens paulatim deperdatur, debent eſſe Theologo ſufficientes rationes ad deſiderandam cupiditatem præcisè prædominantem, vt expellatur è corde charitas habituallitèr regnans, vel è converſo: quoniam, & ſi prædictæ rationes validæ ſint pro habitibus acquiſitis invicem comparatis, inutiles ſunt, quin & prorſus falſæ, vbi, ſicut in præſenti, ſermo eſt de charitate infuſa, cuius conſervatio à Deo dependet, & quæ

ſo

ſemel infuſa comparatur illuminationi aeris per Solem quæ ſubitò fit, & ſubitò evaneſcit interpoſito obſtaculo, quale eſt reſpectu charitatis quodlibet mortale peccatum.

36 Contrarium autem qui ſentit, mavult errare cum Origene dicente: *Si autem ſatietas capit aliquem ex his qui in ſummo perfectoque conſtiterit gradu, non arbitror quod ad ſubitum quis evacuetur, aut decidat; ſed paulatim, ac etiam per partes eum decidere neceſſe eſt*: quam rem aſſequi cum S. Thoma aiente: *Dicendum, quod duplex eſt cupiditas. Una, qua finis in creatura conſtituitur, & hæc mortificat totalitèr charitatem, cum ſit venenum ipſius .... Non quidèm charitatem diminuendo, ſed eam totalitèr tollendo.*

Libr. 1. Periarc.

2. 2. q. 24. ar. 10 ad 2.

37 Mitto plura, quæ ſimiliter poterant evincere prędicti ſyſtematis falſitatem, & manifeſtã repugnantiam cum accepta Patribus, ac Theologis doctrina. Non tamen inobſervatum, aut intactum relinquam, quod illud opportuniſsimum dogma eſt, ac ſumme conducens, ad evertendam funditùs Religionem, pietatem, morumque diſciplinam, & ſanctimoniam, ſive ſtantem in homine iuſto, ſive in peccatore deſideratam.

38 In iuſto quidem, & habente charitatem prædominantem, quia ſi hæc non amittitur uno, vel altero peccato mortali, omni iam cura illud vitandi relevatur iuſtus; unde & urgente gravi tentatione, non maximam, ſed modicam, aut nullam iacturam faciet, ſi conſentiat: ſatiſque erit ipſi, ſi de eo tantùm ſollicitus ſit, ne tot, aut tanta peccata accumulet, quæ facientia cupiditatem prædominare, iſta regnum charitatis expugnet. Quis autem non videat quam abſona iſta ſint, quam & pariter adverſa ſententijs illis Sacræ Paginæ: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & Sanctus, ſanctificetur adhuc.* Rurſùs: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat.*

Apoc. 22. 11.

1. ad Cor. 10. 12.

39 Itèm in peccatore, & habente cupiditatem regnantem, prædictum ſyſtema cauſa eſſe poteſt miſerrimi ſtatus, & ſortis adeò infœlicis, ut qui admodum difficilem ſuam curationem ſperare valeat, ex remedio alioqui præſentiſsimo, quale eſt totalis ſui animi, & cordis converſio ad Deum per actum etiam ferventiſsimum amoris ipſius, & deteſtationis ſuorum peccatorum; quia quantumlibet eſſe-

efficax ſit, vnus tamen, ſeu ſolus actus, eſt impotens charitatem in regno ſtabilire, quæ dominantem cupiditaté vincat, & expellat: tenebiturque ſimiles amoris actus, ſæpè, & crebriùs elicere, vt ab ſtatu peccati, & prædominantis cupiditatis, per iam regnantem charitatem reſurgat. Quod plane eſt difficultatem eius converſioni obducere, Dei, erga amantem ſe, amorem offendere, ſuis deſiderijs de ſalute, & vita peccatoris detrahere, verba, & exempla Scripturæ contemnere. In qua exemplum illud de exterminio cupiditatis in Davide regnantis, per actum intimo corde conceptum, & voce illa, *Peccavi* expreſſum, apertiſsimè contra ſyſtematis mendacium reclamat.
2. Reg. c. 12. 13.

40 Cum itaque propoſitio præſens Queſnellij ſenſu ſuo obvio, & naturali ſignificatione verborum, tot abſurditates contineat, & præſeferat, quo iure poterit velle cenſuram, & damnationem vitare per recurſum ad alium ſimulatum potius ſenſum, quam occultum, & eo ſolo fine ab Authore, & focijs machinatū, vt venenum tegant, & ſibi ſub illo a iuſto fulmine latibulum quærant? Sed in arca latitant, & putidum effugium iſtud eiuſdem fulminis lumine iam diù patet, vt quo olim perculſi ſunt hæretici illo vtentes: atque maximè in re præſenti, eodem ſe tueri voluere Bayani, & Janſeniſtæ omnes, vt ex theſibus Gummari Huygens Lovanienſis conſtat: ſed quam infœliciter, vel ex anti-theſibus oppoſitis liquet. An. 1684

41 Nec meliori fortuna Anonymus eius defenſionem molitur ex ſententijs quas allegat SS. PP. Sat enim ſupra oſtendimus qualis fuerit mens S. Gregorij cum dicit, non delectari in Deo animus qui terrenarum rerum amore vincitur. Nam verba hæc expreſſo, & rigoroſo ſenſu ſuo, ſignificant amorem perversè ordinatum, & res mundi præponentem Deo: nec niſi violentèr poſſunt accipi de cupiditate regnante in ſenſu Janſenij, & Queſnellij; quoniam hæc iuxta ipſos, non vnico tantum actu, non vno amore de quo Gregorius, ſed pluribus non alias remiſsis, aut tantùm venialibus, fit prædominans, & idem ab oppoſito de charitate. Ergo iniquo prorſus iure, & iniquiori adhuc proportione, vult ſuis reflexionibus Anonymus debere Queſnellium intelligi in ſenſu adeo diverſo à S. Gregorio expreſſo.

42 Qui & dum ait, *Diabolum poſſidere corda quæ di-*

vini amoris gratia non replentur, &c. patentiſsimè ſignificat, ſufficere vnum actum perfectum amoris Dei, nec opus eſſe pluribus, aut charitate habitualiter regnante, vt diabolus à poſſeſsione cordis deijciatur, & cor ab eius, ſeu à peccati tyrannide liberetur. Quod verbis, & intento Queſnellij non niſi adverſe reſpondet.

43 Nec melius tutari poteſt ſententijs ex S. Auguſtino excerptis. Sat enim conſtat ex præcedenti propoſitione, quod numquam cenſuerit prava eſſe opera omnia non habentium charitatem in corde regnantem, quin neque habentium prædominantem cupiditatem. Atque in primo loco ab Anonymo laudato non dicit Auguſtinus quod, *Regnat carnalis cupiditas, vbi non regnat charitas*, quod totidem verbis affirmat Queſnellius. Auguſtinus autem ait: *Regnat cupiditas, vbi non eſt Dei charitas*: quæ longè alium, & diſtantem à Janſeniano, ſenſum faciunt, videlicet, hominem eſſe iuſtum, Deo amicum, & à tyrannide peccati, & pravæ cupiditatis liberum, non, vt volunt Janſeniſtæ, per ſolam charitatem ex multis actibus prædominantem: ſed per vnum amorem caſtum, qui verè eſt charitas erga Deum.

Enchir. cap. 117.

44 Neque opus eſt hunc ipſius ſenſum longe ab eo loco quærere. Ibi enim hæc habet: *Iam porro charitas, quam duabus iſtis, id eſt, fide, ac ſpe, maiorem dixit Apoſtolus, quanto in quocumque maior eſt, tanto melior eſt ille in quo eſt.* Non itaque ſentit cum Queſnellio, quod per charitatem regnantem, ſeu pluribus actibus radicatam, quiſque fit bonus, ſed quod fit melior, quo ſupponit fieri bonum per vnum eius actum. Quod autem omnia opera impij in quo regnat cupiditas, vel a quo per vnum peccatum mortale charitas eſt cum gratia amiſſa, ſint prava, & peccaminoſa, eo ipſo tantum quia in eius corde cupiditas regnat; hoc, inquam, neque Auguſtinus affirmat, neque illud ex eius verbis eliciet, niſi qui, vt Anonymus, ad ſuum palatum S.D. loquentem faciat.

Ibid.

45 Ut item evenit in ſequenti quod allegat teſtimonio. Nam cum Auguſtinus dicit: quod tunc concupiſcentia, ſeu cupiditas regnat, quando obeditur deſiderijs eius, aut è contra, non regnat, cum eis non obeditur: ſi pauliſper conſideraret Anonymus de quibus deſiderijs ibi ſermo ſit, inveniret ſane ſtatutum ab Auguſtino principium generale, & veriſsimum ſpectans

ad mores, & ſimul apertè inſinuatam doctrinam cum propoſitione Queſnellij pugnantem, & eius machinationes evertentem. Hæc ſunt Auguſtini verba. *Non autem regnat, cum deſiderijs eius, id eſt, quæ ſecundum carnem contra ſpiritum concupiſcuntur, non obeditur.*

45 Qui tam ex ſententia, & conceptis verbis determinat deſideria carnis quæ ſunt contra ſpiritum, manifeſtè loquitur de cupiditate prava, quæ vt ſola eſt illorum origo, ſola etiam eſt quæ per iſta deſideria regnat: Ergo cum Auguſtinus non ſuperfluè, non inutiliter verbis ſuis determinaverit hæc deſideria carnis quæ adverſantur ſpiritui; alia profectò agnoſcit deſideria carnis quæ ſpiritui non adverſantur, & propterea nec faciunt cupiditatem, contra charitatem, regnare: Ergo vt hoc teſtimonio loquitur Auguſtinus cohærenter ad alia quibus ex ipſo cuncta hactenus dicta confirmavimus, ſimilitèr & illo oppugnat apertè propoſitionem Queſnellij.

47 Tandem S. Fulgentius eo ipſo ſermone vnde Anonymus verba pro Queſnellio deſumit, ſenſui ſuo tam non ſuffragatur, quam manifeſtè illi contradicit. Agens namque ibi de charitate Dei, oppoſitam huic cupiditatem damnat, nimirùm quæ charitati contraria eſt, quia prava, quia iniquitas, quia maculans animam. *Quid eſt autem*, inquit, *iniquitas, niſi prava cupiditas?* Et rursùs: *Quid aliud dixit, niſi dele a me maculam pravæ cupiditatis?* Sic enim definit, ſic appellat, quam conſequentèr dicit eſſe laqueum diaboli, eſſe gladium, & radicem omnium malorum quæ ſanè non eſt omnis cupiditas, vt vult Queſnellius, ſed ſolummodò quæ prava eſt, quæ concipit, & parturit iniquitatem, deſideria ſcilicet, aut rerum non licitè conceſſarum, aut perversè ordinata.

48 Nullum itaque, atque omninò nullum, apud hos SS. PP. ſuffragium Queſnellianæ propoſitioni inveniet, qui non alias cervicoſa præoccupatione, vt Anonymus, illorum verba, & ſenſus quos iſta offerunt detorqueat. At ea eſt iſtorum Novatorum pervicacia, & perfidia, vt non dubitent producere teſtes ipſos, qui potiſsimum ſuæ cauſæ adverſantur, quibus pro ſe laudatis, vel ſaltem pendens adhuc, ſeu integrum, litigium oſtentent. Quod ſimilitèr olim in re præſenti eorum anteſignani Janſeniſtæ fecere, vt fecit Lovanienſis

Ddd 2 Huy-

5. Julij. An. 1683 10 Mar. An. 1684 Huygens, qui in ſuis de re iſta theſibus, S. Franciſcum Saleſium à ſe ſtare contendit, quamvis eius doctrina vere cœleſtis de *Amore Dei*, tota conſona cum hucuſque dictis, ac planè diſona à Queſnelliana ſit. Unde apparet, quod his hominibus, & ſi mens redarguta, lingua non redarguta eſt.

XLIX. PROP. COND.

Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

Marc. 7. 22. *Nul peché ſans l'amour de nous-memes, comme nulle bonne œuvre ſans l'amour de Dieu.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De Grat. Chriſti. SANCT. Auguſtinus. *Apoſtolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium eſſe cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium charitatem.*

De Spir. & Lit. Idem. *Non enim fructus eſt bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.*

Epiſtola quinque Epiſcoporum Africæ ad Innoc. I. *Secundum ipſam charitatem dictum eſt, quæ ſola non peccat.*

REFLEXIONES ANONYMI.

CUpiditas eſt amor noſtri; at iuxta S. Auguſtinum, illa eſt radix omnium malorum: ergo nullum eſt peccatum ſine amore noſtri.

Charitas eſt radix cunctorum bonorum operum: ergo nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

ANIMADVERSIONES.

UT nulla ſit dubitatio, nullusvè ſuperſit de ſenſu Queſnelliſ ſcrupulus, iterùm hac propoſitio-

ſitione illum explicatiſsimè aperit, aſſerens, nullum eſſe opus bonum ſine amore Dei, vt nullum eſt peccatum ſine amore noſtri: quo apertè ſignificat, prava omninò habere, & odio ſuo digna, opera omnia quæ non ab amore Dei, ſed ab amore proprio imperantur, & profluunt. Cuius abſurditatem, & repugnantiam cum doctrina Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. ſat demonſtratam in ſuperioribus relinquimus, & quam meritò damnatæ ſint à Summis Pontificibus, ſimiles, & eiuſdem prorſus ſenſus propoſitiones apud Lutherum, Calvinum, Bayum, & Janſenium.

2 In hac autem Queſnellius ſub ea particula comparativa *Vt*, venenum ſuum etiam obtegere ſatagit: ſed fruſtrà, quia hoc ipſum quod colligere tentat, falſitate ſua, antecedens non certò verum, ſed adulterinum probat, & evincit. Verum namque eſt, *nullum eſſe peccatum ſine amore noſtri*, ſeu cuius cauſa non ſit amor noſtri, ſcilicet, inordinatus, perverſus. Ita expreſſe S. Thomas exponens ipſum S. Auguſtinum, cuius ſententijs abutitur in præſenti Anonymus. Sed de ſenſu vtriuſque S. D. ſat ſupra. Queſnellius autem pravitatem inordinationis amoris noſtri, vel ignorantèr, vel ſubdolè ſubticens, ex vero principio ita ab ipſo deformato, a ſimili conſequendum putat, quod vitiet à fallacia ſua ſimilitudinem habet.

Pag. 311 num. 13.

3 Id eſt, *nullum eſſe opus bonum ſine amore Dei*: quod cum verum foret, ſi auderet: nullum eſſe opus *bonũ ſimplicitèr, ſeu vitæ æternæ meritorium, & ad ſalutem conducens*; dùm iſta etiam tacuit, erroneum prorsùs, ac diſsimillimum conſequens ab extremo comparato deducit: deducturus, & rectè, & verè, ſi nihil vtrobique callidè omittens, ita concluderet. *Vt nullum eſt peccatum ſine amore noſtri inordinato, nullum eſt opus bonum prout oportet ad ſalutem, ſine amore Dei ipſum ordinante.* Hanc enim eſſe legitimam comparationem, ſana doctrina, & terminis invicem reſpondentibus conſtantem, nemo inſiciabitur.

4 Quæ autem ſit à Queſnellio, & ſubreptionis vitio laborat per ea quæ tacet, & comparationis intentum non aſſequitur. Quoniam dato etiam, quod nullum ſit peccatum ſine amore noſtri, vt à Queſnellio abſque vlla reſtrictione affirmatur, nullatenùs infertur à ſimili, nullum eſſe opus bonum ſine amore Dei,

Dei, niſi ſupponendo, quod vt omne opus procedens ab amore noſtri, quicumque iſte ſit, eſt malum, ita ſimiliter omne opus procedens a charitate, qualiſcumque iſta ſit, eſt bonum: quod adverſatur Chryſoſtomo aienti: *Eſt etiam immoderata charitas, vt quando quiſpiam ex multa charitate temerè accuſat, depugnatque, & averſatur.*

In 3. Ep. ad Coloſ. Hom. 8.

5 Vt ergo charitas quæ bona facit ſi moderata ſit, & debitum ordinem, ac rationem ſervans, poteſt non per ſe, ſed ex pravo vſu, atque errore operantis, facere opus, non alioqui bonum, v. g. zelum indiſcretum, cum immoderata eſt: ex quo dici non poteſt, quod bonum eſt omne opus à quacumque charitate procedens, ſed duntaxat quod profluit a charitate ordinata, & per prudentiam inſulam moderata: ita ſimiliter concupiſcentia ſervans prudentiæ, & moralitatis regulas, & conſequentèr moderata, poteſt facere opera non mala, ſeu moraliter bona circa obiecta licite conceſſa: ſicque bonus eſt, amor proprius, concupiſcentia, non mala eſt: vnde errat Queſnellius ſupponens, vel affirmans, omne opus ab iſta procedens, eſſe malum, & peccatum.

6 Ita equidem, & cum eo errat Anonymus, dum ambo nolentes, aut non valentes hac diſcretione vti, omnem amorem noſtri, omnem concupiſcentiam tamquam malam condemnant, cunctaque illius opera prava dicunt, & peccata arbitrantur: cum eiuſmodi ſint tantummodò quæ ab amore noſtri inordinato, à perverſa concupiſcentia, quæ ſola mala eſt, oriuntur. Poterantque, ac debuerant hanc debitam diſcretionem ab Apoſtolo diſcere, & deſumere, cuius inſigne ad rem teſtimonium, adiuncta expoſitione etiam oportuna S. Chryſoſtomi, ſat erit ad præſentem propoſitionem penitùs confutandam.

7 Igitur Paulus hoc ipſo loco vnde præceptum amoris Dei, & ordinationem omnium operũ per iſtum deſumi ſolet, volens inſtruere de moribus Chriſtianos, peccata ab eis fugienda, & prava opera vitanda, ſequentibus verbis comprehendit. *Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.* Vbi cum dicat concupiſcentiam malam, qui preſſe ſemper, ſeu numquam redundanter loquitur, concupiſcentiam aliquam non malum

Ad Coloſ. 3. 5.

Iam abſdubiò agnoſcit: & quam malam hic nominat, concupiſcentia perverſa eſt, quæ quia origo eſt omnium peccatorum, iſta quaſi genere complectitur.

Chryſoſt. ibi. 8 Ita Chryſoſtomus. *Libidinem inquit concupiſcentiam malam. Ecce totum dixit in genere. Omnia enim complectitur mala cupiditas, invidiam, iram, triſtitiam.* Eſt itaque Chryſoſtomo, vt etiam Paulo, concupiſcentia aliqua, ſeu cupiditas, quæ iure mala dicitur: vt non omnis cupiditas, ſeu abſolute, & ſine eo addito, tanquam mala damnetur, quod facit Queſnellius. Quæ ergo eſt mala? *Quæ enim*, inquit Chryſoſtomus, *in humanum genus tyrannidem maximè exercent, hæc ſunt avaritia, & intemperantia, & concupiſcentia mala.* At proculdubiò concupiſcentia illa tyrannicè dominatur, quæ ſuum proprium finem facit bona ipſa quæ concupiſcit: Sic enim tyrannidem illa exercet, atque ita immoderata, perverſa, & omnium peccatorum radix, & origo eſt.

9 Pergit vlterius Apoſtolus, & ſuos Coloſſenſes inſtruens, iubet inter alia invicem ſupportari, & condonari. *Supportantes, & donan-* *Paul. ibi.* *tes vobis metipſis, ſiquis adverſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Hæc exponens Chryſoſtomus obſervat, quod poteſt quis alteri condonare iniuriam ex benignitate, humilitate, aut manſuetudine, & non ex charitate; proptereàque Apoſtolus ante charitatem perſuadet condonationem, quæ tunc fieri poteſt ex miſericordia, & lenitate.

10 *Perſuaſit*, inquit, *quod etiam ſi de magnis poſſimus* *Chryſoſt. ibi.* *accuſare, oportet condonare .... Nec hoc ſolum, ſed etiam quod ex toto corde. Nec hoc ſolum, ſed etiam quod oportet diligere .... Nam quoniam fieri poteſt, vt qui condonet non diligat, certè inquit oportet etiam diligere, & oſtendit viam per quam fieri poteſt vt condonetur. Fieri enim poteſt vt ſit aliquis benignus, & mitis, & humilis, & lenis, & nullo moveatur affectu. Quamobrem in principio dixit, Viſcera miſericordiæ, & miſericordiam.* Habes ergo Queſnelli, & quiſquis illius, Baij, aut Janſenij Sectator ſis, opus condonationis iniuriæ reipſa bonum, vtpotè ab Apoſtolo, & Chryſoſtomo commendatum, non elicitum à charitate, ſed ab alijs virtutibus miſericordiæ, hu-

humilitatis, vel manſuetudinis (quæ & propterea vitia non ſunt in non habente charitatem.) *Quomodo fieri poteſt, vt qui condonat non diligat: & dum condonat nullo moueatur affectu*, ſcilicet, charitatis, ſed ſolius miſericordiæ. Quo evidenter apparet, quam temerè aſſeras, & quod *nullum eſt opus bonum ſine amore Dei*, & quod tantus error authoritate Scripturæ, & conſenſione SS. PP. firmatur.

11 Rurſum audiendus eſt Chryſoſtomus de charitate ab Apoſtolo commendata hæc ſubiungens. *Super omnia autem hæc, charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis. Hoc eſt autem quod vult dicere. Illa nihil proſunt. Diſſoluuntur enim illa omnia, niſi fiant cum charitate. Ipſa omnia illa conſtringit. Quodcumque bonum dixeris, ſi ea abſit, nihil eſt, ſed diffluit.* Hæc eſt etiam orthodoxa doctrina Paulo, & Chryſoſtomo digna: quod videlicet ea condonatio, & alia opera quæ ſine charitate fiunt, nihil proſunt, meritoria non ſunt æternæ vitæ: & quamvis bona ſint, adeò languida, & ſterili bonitate ſunt prædita, vt diſſolvantur, diffluant, & tanquam ſtipulæ evaneſcant, aut veluti exſiccatum fœnum cui cecidit flos, areſcant, quia nimirùm potius non ſunt mala, quam bona opera, ideſt, non ſimpliciter talia, aut perfecta, quia facta ſine charitate, quæ ſola eſt vinculum perfectionis.

Chryſoſt. ibi.

12 De quo tria, & conſentanea adhibet exempla. *Quomodo in navi*, inquit, *etiam ſi magna ſint inſtrumenta, & non ſint quæ eam ſuccingant tabulata, nihil prodeſt: & in domo, ſi non ſint contignationes: & in corpore etiam ſi magna ſint oſſa, non ſint autem ligamenta, nihil iuvat. Cuiuſmodicumque enim quiſpiam bona habeat opera, & rectè facta, evaneſcunt omnia, niſi ſit charitas .... Vinculum autem eſt complexus, & comprehenſio eorum quæ perfectionem efficiunt, tanquam radix.* Quid clariùs, & congruentiùs? Vnde mòx Paulus præſcribit ordinationem operum per charitatem, dicens. *Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, &c.* *Idem ibi.*

13 Hoc luculentiſsimo teſtimonio palàm confirmantur quæcumque diximus ad præcedentes, dicemuſque ad ſequentes de hac materia propoſitiones. Quo ad præſentem attinet, vtraque pars illius eo ſolo de falſitate, & errore manifeſte convincitur: cum per illud aperte habeatur,

tur, quod & ſunt, & fieri poſſunt opera bona ſine amore Dei: vnde, & evidens fit, amorem noſtri quo tunc ea opera fiunt, non eſſe illum ſine quo nullum peccatum eſt: ergo alius, à quo peccata, eſt ille qui ab Apoſtolo, & Chryſoſtomo, concupiſcentia mala, mala cupiditas, expreſſa nempe ſuæ malitiæ nomenclatura appellatur.

14 Nec meliùs conſonant teſtimonia quæ Anonymus pro ſuo Queſnellio allegat, vt mirer quod non ſimiliter vocaverit in eius auxilium reluctantem Chryſoſtomum. Non enim minùs refragatur S. Auguſtinus in his ipſis libris quos citat Anonymus, omittens aliàs, & præter morem, adnotare loca, ſeu capitula ex quibus teſtimonia deſumit, quæ iterum damus. Ubi enim ait: *Apoſtolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium eſſe cupiditatem, admonet vtique intelligi radicem bonorum omnium charitatem*, agit contra Pelagium negantem neceſsitatem gratiæ, vt homo benè operetur, & vt poſsit benè operari, eo quod aiebat ille, habet homo inſitam à Deo, *Poſsibilitatem vtriuſque partis, velut quamdam radicem fructiferam atque fœcundam, quæ poſſit ad proprij cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum*; id eſt, quæ tam nos facit bona poſſe, quam mala.

De Grat. Chriſti, cap. 18.

15 Hæc Pelagius, de quo etiam nemo dubitat quod cenſuerit, ea opera bona quæ exiſtimabat fieri per prædictam poſsibilitatem inſitam, aut poteſtatem naturalem hominis, eſſe meritoria. Id quippè clamant cunctæ paginæ Auguſtini, & in hoc ipſo loco ait, ea opera eſſe Pelagio *fructus bonos*, à radice ſcilicet iuxta ipſum *fructifera*: inſuper clariùs poſtea hanc vim meritoriam eis operibus à Pelagio attributam, verbis ipſius maniſeſtiſsimè probat. Qua propter, non vtcumque bona aſſerebat Pelagius opera quæ à radice naturalis arbitrij, ſiue alia gratia Dei, prodibant, ſed ſimpliciter bona, ſed perfecta, vtpotè meritoria.

16 Contra quem S. Auguſtinus pugnans pro Gratia, & charitate, verba ab Anonymo excerpta, & plura adhuc alia, habet, vt evincat quod homo, *Non ſe ex malo bonum per ſeipſum facit, ſed ex illo, & per illum, & in illo qui ſemper eſt bonus. nec tantum vt arbor ſit bona, ſed etiam vt faciat fructus bonos eadem gratia neceſſarium eſt vt adiuvetur, ſine qua boni aliquid facere, non poteſt.* Boni, ſcilicet,

Ibi. c. 19.

licèt, ſimplicitèr talis, boni perfecti, meritorij, fructuoſi, non ſterilis. Ergo in hoc ſenſu ab Auguſtino expreſſo, & à Pelagio intento, veriſsimè ille affirmat debere intelligi ex Apoſtolo, radicem bonorum omnium, nempe quæ ſunt fructuoſa, & meritoria, eſſe charitatem.

17 Iam manifeſtum eſt quod his operibus, quæ directe contrariantur, ſunt opera demeritoria, & prava: non autem ea quæ nec bona ſimplicitèr, nec mala, nec meritoria, nec demeritoria ſunt: & conſequentèr radix aliorum, quæ comparatur vt adverſa cum radice illorum quæ ſunt bona ſimplicitèr, debet eſſe ac dici radix mala; vt enim opponuntur fructus, opponuntur & arbores. Quocircà cupiditas quæ radix eſt malorum, contrapoſita charitati quæ radix eſt bonorum, debet eſſe, & intelligi cupiditas non quæcumque, ſed præcise, & determinate mala, & vitioſa, quæ videlicèt ſit radix malorum. non autem illa quæ ſit radix, ſeu origo operum nec malorum, nec ſimplicitèr bonorum, qualia ſunt opera purè non meritoria, ſeu quamvis bona, non fructuoſa, non vtilia ad ſalutem.

18 De qua cupiditate palam eſt non loqui S. Auguſtinum loco ab Anonymo laudato: tùm quia hæc non contraponitur charitati, tum quia non eſt radix malorum omnium. Et quamvis abſolutè dicat radicem horum eſſe *cupiditatem*, ſine vllo addito iſtam determinante, ſibi intelligendum eſt neceſſario *cupiditatem malam*, & vitioſam, quoniam huius opera expreſſe dicit eſſe mala; alterius autem, ſunt non mala, radiceſque vtrorumque ex fructibus earum cognoſcendæ, & diſtinguendæ ſunt.

19 Ipſe S. Auguſtinus clariſsimis verbis explicat ſe intelligere cupiditatem malam, & vitioſam, illam de qua ait, eſſe radicem malorum omnium, & quam contraponit charitati radici bonorum omnium. *Aliud enim*, inquit, *eſt charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum, tantùmque inter ſe differunt, quantùm virtus, & vitium. Sed planè illa poſsibilitas* (de qua Pelagius) *vtriuſque radicis eſt capax, quia non ſolum poteſt homo habere charitatem quæ ſit arbor bona, ſed poteſt etiam cupiditatem quæ ſit arbor mala.* Ergo de cupiditate loquitur, quæ vitioſa radix, quæ arbor mala determinatè eſt. Eam rurſus deſignat dicens: *Cupiditas hominis quæ vitium eſt, ho-* Ibi.c.20.

minem habet Authorem, ſic denotans hac ipſa modificatione, aliam eſſe hominis cupiditatem quæ vitium non eſt, quæ non hominem, ſed Deum habet Authorem, quæ proinde non eſt radix malorum, quia deſideria quorum radix eſt, rerum nempe licite conceſſarum, & ſi defectu charitatis non ſint vtilia ad ſalutem, mala autem non ſunt, nec nociva.

20 Id niſi fallor, præſignificavit Apoſtolus eo ipſo loco allegato ab Auguſtino. Ait quippe. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Ubi, quamvis cupiditatem abſolute pronunciet, evidens eſt de cupiditate mala ſermonem eſſe, tum quia ſola iſta radix eſt avaritiæ, & aliorum pravorum effectuum quos recenſet; tùm quia deſideria illius non ſolum appellat inutilia, ſed nociva, veluti intendens ſignificare diſtinctas cupiditates, aliam ſcilicet, non malam, cuius deſideria ſint tantum inutilia ad ſalutem, ſed non nociva: aliam verò perverſam de qua loquitur, cuius deſideria nedum inutilia, ſed adeò nociva ſunt, *Quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.*

1. ad Tim. c. 6. 9.

21 Procùl itaque eſt ſenſus S. Auguſtini in laudato teſtimonio, à ſenſu Queſnellij in præſenti propoſitione, & adeo procul, vt a nobis omnino ſiet palàm confirmans quæcumque, ex ipſo etiam, hactenus diximus contra theſes præcedentes. Nec ſanè alitèr ſine conſtantiæ ſuę iniuria, intelligi debet, quin nec poteſt. Ut neque etiam in ſecunda eiuſdem allegatione ab Anonymo, vbi dicit, quod *non eſt fructus bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.* Nam quis hæc audiens non illicò concipit ſermonem eſſe, de operibus ad ſalutem fructuoſis, & ſimplicitèr bonis? Ex quo, & quis colligere poterit, quod Auguſtinus neget eſſe, aut fieri poſſe, alia opera non quidem fructuoſa ad ſalutem, non ſimplicitèr bona, quæ non a radice charitatis ſurgant? Profectò nemo niſi Anonymus, aut Hexaplorum Author, qui nolunt primum tametſi patentiſſimum, intelligere, vt poſtremum tametſi falſiſſimum, dedocant, contortis licet ſuæ pervicaciæ funibus tractum.

De Spir. & Litt. cap. 14.

22 Simile etiam eſt illud Innocentij aſſerentis de charitate, quod *ſola non pec-*

cat. Ac ſi Pontifex exceptione iſta de charitate, peccantes faciat non iam cupiditatem ſolam, ſed & alias virtutes, ipſamque fidem, ſpem ipſam, quæ in peccatore ſine charitate manent. Eritque propterea, & non ex vno capite, peccatum, actus quo peccator ſperat a Deo, & veniam peccati commiſsi, & auxilium ad non deinceps peccandum; tum quia ille eſt actus ſpei ſine charitate, quæ *ſola non peccat*: tum quia eſt actus concupiſcentiæ, quæ ſemper peccatrix eſt, iuxta Queſnellium. Hæc, aliaque abſurda devorare tenetur Anonymus volens quod Innocentius pro ſuo Queſnellio eis verbis quid amplius dicat, quam quod ait Apoſtolus: *Charitas non agit perperam*.

1. Cor. 3. 4.

23 Nec validiùs illi parat præſidium ſuis reflexionibus, quamvis ad formam argumentorum redactis, & ſyllogiſtica ſtructura compoſitis. Ohe, quanti roboris illa, quanta vi, & efficacia vrgent, & vndique premunt! Me profectò, vel invitum cogunt vt Scholaſticum quamvis Janſeniſtis inviſum, agam, vtque redeam ad pugnas, ſeu velitationes quibus quondam in Salmantina Academia diutino tempore, nec forsàm omninò infœliciter, operam dedi, vt ſi fortè aliquam valeam invenire, & aptare diſtinctiunculam, quæ tantorum argumentorum aculeos exarmare, aut minimùs, obtundere poſsit. Primum ergo hoc ſyllogiſmo conſtat. *Cupiditas eſt amor noſtri; ſed iuxta S. Auguſtinum illa eſt radix omnium malorum: ergo nullum eſt peccatum ſine amore noſtri*.

24 Non hanc porrò expectabam ex præmiſsis conſequentiam, ſed iſtam. *Ergo amor noſtri eſt cauſa omnium malorum*. Verùm quia ſertaſſis idem met eſt conſequens, ad præmiſſas redeo; & modo maiori vel conceſſa, vel permiſſa, ſolùm minorem & placet, & licet ita diſtinguere: *Iuxta S. Auguſtinum, illa cupiditas*, quæ mala eſt, quæ rea concupiſcentis præponit Chriſto, quæ illis illigatur, & tanquam vltimo fini adhæret, quæ fundamentum Chriſtus deſtruit, ac vno verbo, cupiditas perverſa, & deordinata, *eſt cauſa omnium malorum*, concedo. Cupiditas rerum licitè conceſſarum, moderata, & prædictis pravis notionibus carens, nego minorem: Diſtinctio iſta tota eſt Auguſtini, & àn illa ſola corruat funditùs argumentum captioſum, & ipſi Auguſtino planè iniurioſum? Caput iudicet, vel cerebro vacuum.

Eo-

25 Eodem conatu intendit Anonymus ſecundum, hoc enthimemate contentū. *Charitas eſt radix cunctorum bonorum operum: ergo nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.* Quod cum ineptè concludat id ipſum quod aſſumit; palliatum inſuper dogmate errorem, ſimulatam veritate falſitatem, & aſſumit, & concludit. Charitas namque eſt amor Dei: atque idem prorsùs eſt illam eſſe radicem cunctorum bonorum operum, & nullum eſſe opus bonum ſine amore Dei. Quod ſi eodem modo forent idem, opus eſſe bonum, & opus eſſe vitæ æternæ meritorium, vtcumque ſuſtineri poterat inepta argumentatio, quam alias vna etiam diſtinctio, nempè operis boni, & operis meritorij, fallaciſsimam demonſtrat.

26 Simillima his, ſeu prorsùs eadem, ſunt argumenta omnia Janſeniſtarum, fucoſa nimirùm, & ſola verſutia irretita. Verbis namque verum in ſpecie ſonantibus, orthodoxum ſimulant ſenſum, ſub quo errores ſuos tanquam pillulas auro obductas incautis offerunt, ne ſi ſimplicitèr illos exponerent, de ſtultitia arguerentur, vel ab ijs, quibus venenum palam deglutiendum offerrent. Turpiorem verò notam, ſe-diuſque nomen pervicacia, & aſtutia ſua dignum, impegit olim ſimilibus Anonymo veteratoribus, B. Petrus Damiani, dicens: *Qui nimirum, ſi hoc ſimplicitèr, prout ſibi videretur exprimerent, ſtulti, vel hebetes meritò dicerentur: ſed quoniam .... id procacitèr aſtruunt, & quibuſdam cavillationum, argumentorumque verſutijs pertinacitèr allegare contendunt, non immeritò, quod inviti dicimus, hæreticorum nomen incurrunt.* Lib. 1. Epiſt. 13.

27 Hæc ille, qui & eis verbis adhortatur Summum Eccleſiæ Paſtorem Alexandrum II. vt adverſus homines iſtos, & pro cauſa Fidei, cuius irrefragabilis eſt aſſertor, & Iudex, inſurgat: quibus & non gravavor ego gratulari SS. D. Clementi XI. quod tam diligentèr, & eadem prorsùs infallibilitate, fidei cenſor ſimul & vindex, ſua Conſtitutione ea præſtiterit modò remedia ad errores Queſnellij vitandos, quæ ab Alexandro tunc apponenda deſiderabantur. *His itaque Prædicatoribus Satanæ, & Apoſtolis Anti-Chriſti, Tu Venerabilis Pater, cœleſtis eloquij gladio præcinctus occurre, & tanquam alter Ieſue Amalechitas oppugnantes Iſraël, evaginato Canonici rigoris mucrone proſterne. Tol-*

las

latur è medio quantocyus tartarea amaritudinis aconitum, nè, quod abſit, ferale venenum faucibus inſtuat parvulorum. Tuis præterea manibus talis aromati i pigmenti quibuſque languentibus propinetur antidotus, qui & venenati erroris tollat illuviem, & ſanæ, atque ſinceræ fidei reſtituat ſanitatem.

XLVI. PROPOS. COND.

Cupiditas, aut charitas, vſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Matth. 5.28. *La Cupidité ou la Charité renden l' vſage des ſens bon, ou mauvais.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Epiſt. 41. SANCT. Paulinus. *Quinque ſenſibus omnes præditi ſumus, per quos, aut vitam recipimus, aut mortem. De ipſis enim dolens Propheta dicit: Mors introivit per feneſtras veſtras.* Sic ille: non autem mihi loco notato, de quo infra.

Cont. Iul. lib. 4. c. 3. S. Auguſtinus. *Amor fruendi quibuſcuinque creaturis ſine amore Creatoris, non eſt a Deo .... Per hunc amorem Creatoris benè quiſque vtitur etiam creaturis.* Hæc ſunt eius verba, non quæ immutata, vt videbimus, allegant Author Hexaplorum, & Anonymus, qui & nullas hic reflexiones, ſed ſequentem notulam ad ea loca addidit.

Vide S. Auguſtinum, lib. 4. contra Julianum, cap. 14.

Ubi mirabili præciſione diſtinguit quidquid boni, aut mali reperitur in ſenſibus.

ANIMADVERSIONES.

1 IN hac propoſitione Queſnellius vt nihil novum, aut in præcedentibus non à ſe dictum, aſſerit, nihil etiam non æquè abſonum enuntiat; idem namque eſt ope-

opera omnia (quo nomine externa exercitia ſenſuum maximè ſignificantur) à cupiditate, & non à charitate facta, mala eſſe; & malum, ſeu bonum eſſe, ex cupiditate, aut charitate, ſenſuum vſum. Quapropter iſta, eodem modo ac aliæ, adverſatur Patribus hactenus contra illas allegatis: atque æqua ratione falſitas, & abſurditas iſtius, eorumdem ſententijs, & exemplis aductis, evincitur, & refellitur.

2 Quam vlteriùs apertiſsimè reprobat celeberrimum illud pronunciatum cunctis ferè SS. PP. familiare. *Non nocet ſenſus, vbi non eſt conſenſus.* Quod neceſſariò intelligendum eſt, de ſenſuum vſu per cupiditatem imperato: quia ſi charitas ad illud moveat, non ſane nocet, ſed potius adiuvat, & ei conſenſus debetur. Si igitur non nocet vſus ſenſus quem cupiditas movet, dummodò non adhibeatur conſenſus, manifeſtum eſt, quod cum ſeparari poſsint ſenſus, & conſenſus, dari poteſt vſus ſenſuum ex cupiditate qui malus non ſit; nam quod ſemper malum eſt, ſemper nocivum eſt.

3 S. Bernardus eo effato vtens, id equidem ita eſſe affirmat, & faciendum docet, inquiens. *Si verò aliquem motum ad id quod non debet, vel quomodo non debet moveri ſenſerit, non conſentiat, ſed illicò reſiſtat. Nam ſolus conſenſus reos nos facit etiam ſi aliquid impediat nè opera ſubſequantur .... Non nocet ſenſus, vbi non eſt conſenſus.* Hæc ille, & alibi ubiò loquens de vſu ſenſuum quem moveat cupiditas, non quæcumque, ſed prava, nempè movens *ad id quod non debet, vel quomodo non debet*; cui tamen ſi illicò reſiſtatur, ſi ei non adhibeatur conſenſus, non nocet, non malus eſt vſus. Quo apparet quam adverſa ſit ſententiæ S. Bernardi hæc abſoluta propoſitio Queſnellij, quæ adhuc de vſu indeliberato, & involuntario ſenſuum quos moveat cupiditas, etiam prava, hac ipſa eiuſdem, & cunctis accepta doctrina, demonſtratur falſiſsima.

Tract. de inter. domo, c. 19.

4 Si autèm moveat ſenſus hominis cupiditas, quæ prava non ſit, ſcilicet movens *ad id quod non debet*, ſeu ad illicita, & prohibita, nec perverſa ſit, nempe movens *quomodo non debet*, ſeu vt eis rebus fruatur tanquam vltimo fine: ſed imò ita ſit moderata, quod moveat ſenſus ad res licitè conceſſas, & ad eas dumtaxat vtendum: de hac, inquam, cupiditate, & de vſu ſenſuum per illam, ſeu de iſto-

rum

rum operibus, tam longè abeſt vt S. Bernardus eis vllam malitiam, vti Queſnellius, attribuat, quod potiùs multis, & expreſſe docet bona eſſe perfectaque fieri poſſe per gratiam, & converſionem ad Deum, quæ fit ordinatione charitatis.

5 Deſcribens namque triplicem hominis bonitatem, aliam generalem ex creatione, aliam ſpecialem liberi arbitrij, ſubiungit. *Quod ſi duobus bis bonis accedat, & tertium, converſio ſcilicet ad creatorem, reputabitur non immeritò perfectè bona. Bona nimirum in neceſſitate, meliora in ſuo genere, optima ex ſui ordinatione ad Deum.* In quibus neceſſario intelligi debent etiam vſus ſenſuum hominis, ſeu opera eius, ad propoſitum S. Bernardi diſtinguentis ibidèm, opera hominis naturalia, ex vita ſenſitiva communi cum pecoribus; opera rationalia, ex libero arbitrio, & opera meritoria, ex gratia, & charitate. Tribus namque his modis, aut generibus, homines ſenſibus vtimur.

Tract. de Grat. & lib. arb.

6 S. Auguſtinus multis etiam, & diſſertè prædicat eſſe dona Dei ſenſus exteriores hominis, & tot oblectamenta quæ Deus ſingulis apta creavit. *Magnum fuit & hoc*, inquit, *quod ad eorumdem ſenſuum meorum oblectamenta ſingula ſenſibus ſingulis convenientia creavit Deus, multa pulchrè lucentia, canore mulcentia, ſuaveolentia, dulce ſapientia, tactu placentia: ob hoc enim providentia Creatoris tam diverſas qualitates rebus indidit, vt omnes ſenſus hominis ſua oblectamenta inveniant.* Qui ergo damnare audeat vſum moderatum ſenſuum, qui circa huiuſmodi oblectamenta, non alioqui prohibita, ita haberi poteſt, vt proveniat non præcisè à charitate referente illa ad Deum, ſed quandoque etiam à cupiditate non prava, non deordinata, ſed quæ in eis obiectis modicam quærere, ſeu honeſtam intendat capere delectationem?

Lib. 2. Medit. cap. 11.

7 Non equidèm qui id damnet conformatur, ſed potiùs adverſatur, & apertiſſimè Sancto Auguſtino alibi luculenter docenti, quomodo licitè, aut illicitè poſſint ſenſus delectari obiectis ſenſibilibus? Et quænam ex iſtis licita, quænam ſint illicita? Cuius verba, vt omninò cohærentia cum reliquis omnibus teſtimonijs, ex eodem, & ad hanc rem ipſam hucuſquè allegatis, manifeſtè repugnant huic, & alijs Queſnellij propoſitionibus. Primò nam-

nam que ſupponit non eſſe anteponenda Deo vlla delectabilia: *Prius eſt*, inquit, *ut tibi iuſtitia non præponantur omnia quæ delectant.* Ubi obſervandum, quod non dicit, iuſtitiæ, ſeu Dei amorem, eſſe ſemper, & vbique poſitive præponendum cunctis delectabilibus, quod Queſnellius vult, vt concupiſcentia illorum ſit licita. Sat ergo eſt Auguſtino, quod illa Deo non præponantur.

Ser. 17. de Verb. Apoſt.

8 Illa ſcilicet delectabilia ſenſuum quæ non prohibita, ſed licita ſunt, quæ & ſtatim ab illicitis, & prohibitis diſtinguit. *Quid eſt*, ait, *quod dixi, ut inter omnia quæ delectant, plus te delectet ipſa iuſtitia? Non ut alia non delectent, ſed prius ipſa delectet. Delectant enim quædam naturalitèr infirmitatem noſtram, ut cibus, ut potus delectant eſurientes, atque ſitientes: ut nos delectat lux .... Delectat canora vox, & ſuaviſſima cantilena, delectat odor bonus, delectant etiam tactum noſtrum quæcumque pertinent ad carnis aliquam voluptatem: & hæc omnia quæ nos delectant in ſenſibus corporis, aliqua licita ſunt.* Notandum, quod cum dicit quod iſta, & delectant, & delectent, prius tamen Deus, aut iuſtitia, ſat indicat ſe approbare vſum ſenſuum ex cupiditate circa licita. Si namque intenderet illum debere eſſe ex amore Dei, ſeu iuſtitiæ, non diſtingueret delectationem de iſta, à delectatione de alijs, quæ eadem prorsùs cum prima foret; cum idem ſit delectari in ijs propter Deum, ac delectari in Deo.

9 Quod ampliùs declarat cum enumeratis ſingulis, ſingulorum ſenſuum, delectationibus licitis, & illicitis, ſubiungit: *Videtis ergo chariſſimi etiam in iſtis corporis ſenſibus licitas eſſe, & illicitas delectationes. Iuſtitia ſic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, & ei delectationi quâ licitè delectaris præpone iuſtitiam.* Loquitur igitur de delectationibus ſenſuum motis, ſeu imperatis, non à charitate, ſed à cupiditate, vt quas vincendas per delectationem in Deo, docet, & eis præponendam iſtam dicit: dicentique expreſse illas licitas eſſe, evidentèr contradicit Queſnellius aſfirmans omnem vſum ſenſuum ex cupiditate, malam eſſe.

10 Et ne fortaſse pro ipſo contendat Anonymus, quod cum S. Auguſtinus monet, aut iubet, præponendam iuſtitiam ijs licitis ſenſuum delectationibus, videtur velle ſempèr, & neceſſariò anteponen-

dam eſſe charitatem, & amorem Dei, vt aliæ delectationes ſenſuum ſint licitę, ſciendum, quod hæc commentatio minimè congruit illius verbis, quibus primò, & vnicè ſupponit, quod vt delectationes de obiectis non prohibitis ſint licitæ, tantùm requiritur quod illæ non præponantur amori iuſtitiæ. Quod quam diverſum ſit ab eo, quod amor iuſtitiæ debeat ſemper illis poſitivè præponi, vt volunt Janſeniſtæ, ſat & abundè manet in ſuperioribus demonſtratum, & contrarium ex ipſo S. Auguſtino, & alijs SS. PP. ſtabilitum.

11 Deindè. Neque ille ſenſus cohærere poteſt cum intento Auguſtini comparantis delectationes ſenſuum quas appellat licitas, cum delectatione iuſtitiæ, ſeu de Deo per charitatem dilecto. Nulla namque foret comparatio, atque ineptè permitteret ſumendam ex ſenſibilibus licitam delectationem, ſi vellet hanc tantùm eſſe licitam, quia ſupponeret charitatem illam imperantem : quoniam hoc ſenſu non forent diverſa extrema comparata, cum idem prorsus ſit, delectari de aliquo propter Deum, & delectari de Deo, iuxta illud: *Propter quod unumquodque tale, illud magis.* Atque ineptè permitteret ſenſibus ſumere ex ſuis obiectis delectationem, quam ideò tantum exiſtimaret licitam, quia proveniret ex ſuppoſita delectatione d. Deo dilecto per charitatem.

12 Tandem. Legitimus ſenſus, & intentio S. Auguſtini, non aliunde melius quam ex verbis ipſius, & in eodem loco colligitur, qui & inſuper talis eſt, vt totam, & intimiùs de re iſta quęſtionem abſolvat, & ſimul abſonos Queſnellij, & Janſeniſtarum ſenſus aperiat. Cum namque ait, præponendam eſſe iuſtitiam rebus delectabilibus etiam licitis, præferendam delectationem de Deo, delectationibus ſenſuum : id ipſe ita explicat, quod propoſito certamine inter vtrumque, ſi optio daretur inter iſta invicem præponenda, quodnam erit alteri præferendum? *Exemplum*, inquit, *huius certaminis proponamus .... Utrum quis ſic delectetur iuſtitia, vt eam cæteris ad hos ſenſus corporis pertinentibus delectationibus anteponat?* Propoſitiſque varijs de his, & de iuſtitia, comparationibus, addit : *Appende iuſtitiam, & iniquitatem.* Ac demùm : *Invenimus forſitàm aliquos qui præponant iuſtitiæ delectationem, voluptatibus, & delectationi corporis ſui.*

In

13 In hac igitur oblata optione, ſeu conflictu, aut potius tentatione, vbi de quo alteri præponendo, certamen ſit; vera, & ſaniſsima eſt ſententia S. Auguſtini, quod, ſcilicet, ſemper præferenda eſt delectatio de Deo, & de iuſtitia, delectationibus etiam licitis ſenſuum: quandoquidèm ſi illæ illi præponantur, iam non licitæ, ſed illicitæ, & turpiſsimæ erunt: quod apprimè conſonat alijs ſupra ex eodem allatis. Et hoc modo habetur charitas verè prædominans, non quidèm in ſenſu Janſeniſtico, ſed in orthodoxo, & planè Theologico Cum nimirum habens charitatem, ita erga Deum habitualitèr affectus eſt, vt ſi eligendum foret carere eius amore, vel alijs quibuslibet, & quamlibet licitis amoribus, & delectationibus, mallet his omnibus, quam illo privari.

14 Ita ſpiritualis ille amans, egregiuſque amoris ſcriptor S. Saleſius, illius prædominium, & excellentiam ſupra alios explicat, & exemplis aliandè aptiſsimis demonſtrat, qualiter vnus amor quamvis intentione minor, quia appretiativè maior, vincat alios, licet intenſiores, & tenerrimos. In hoc ergo ſenſu præponendam eſſe ſemper delectationem iuſtitiæ, præferendum eſſe amorem Dei omnibus alijs delectationibus, & amoribus, ex cupiditate licita naſcentibus, docet ſibi vbiquè conſtans S. Auguſtinus, & præſertim loco laudato, vbi totus illius ſermo eſt de hac explicata, ex inſtituto certamine, antelatione amoris Dei ſupra alios, charitatis ſupra cupiditatem licitam: non autem de alia quam Queſnellius, & Janſeniſtæ omnes, poſt Baium, comminiſcuntur.

Lib. 10. cap. 5. & 7.

15 Ut igitur vſus ſenſuum ex cupiditate damnari non poſsit tanquam ſemper malus, ſat ſit authoritas Auguſtini illum permittentis ea cautione, primò, & ſemper tenenda, quod delectabilia non ſint prohibita, & quod delectatio ex illis ſumenda, ſit moderata: atque ita, vel tantum negativè ordinata, quod delectationi de Deo ex eius amore, non præponantur omnia quæ delectant. De vtroque adhibet exempla, pluri maque de ſingulis ſenſibus in primo ſermone laudato, quorum vnum eſt: *Delectant coniugales complexus, delectant etiam meretricum. Hoc illicitè, illud licitè. Utraque delectatio ex cupiditate eſt; ſed prior licita, quia de re conceſſa; poſterior illicita, quia de re prohibita.*

Ser. 17. de Verb. Apoſt.

16 Aliud ſecundæ partis

cautionis adhibendæ exemplum, affert in eadem prorsùs materia, quod quamvis continuatum, & conſutú verbis quæ pro Queſnellio allegat Anonymus, illud omnino tacuit, & alias ſententiam ipſam ita immutavit, vt cum male eam recitat, non Auguſtini, ſed ſua ſit. Sic namque eum Gallicè loquentem facit: *Par l' amour du Createur, chacun vſe bien des creatures, ſans l' amour du Createur, perſonne n' vſe bien des creatures.* Quod Latinè eſt: *Ob amorem Creatoris, vnuſquiſque benè vtitur creaturis: ſine amore Creatoris nemo vtitur benè creaturis.*

*Anonymus.

17 Alitèr Hexaplorum *Author ita Gallicè ſententiam affert: *On n' vſe bien des creatures que par la charité, & quiconque n' a pas cette vertu, ne peut manquer d' en faire mauvais vſage.* Id eſt, *nullus eſt vſus bonus creaturarum niſi per charitatem; & qui hanc non habet virtutem, non poteſt non facere malum de ipſis vſum.* Hæc iſte, atque illa Anonymus, tanquam propria Auguſtini, & ore ipſius pronunciata allegant, adnotantes ad marginem locum, in quo lecto, ac perlecto, nec ſemèl, aut perfunctoriè, ſed ſæpiùs, & accurate, nequaquam illa invenire potui, nec mirum, non quidem extant; ſed iſta dumtaxàt in fine capitis habet. *Amor fruendi quibuſcumque creaturis, ſine amore Creatoris, non eſt a Deo. Amor autem Dei quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo Patre per Ieſum-Chriſtum cum Spiritu Sancto: per hunc amorem Creatoris benè quiſque vtitur etiã creaturis.*

*Author Hexap.

Cont. Iul. lib. 4. c. 3.

18 Quanta verò ſit iſtorum verborum ab alijs diſtantia, quanta in vtriſque ſenſuum differentia, viderit qui vtraque, vel tantum legat, & comparet. Utque appareat, etiam mediocriter doctis, perversè præoccupatum iudicium, & refractarius animus iſtorum hominum, quærentes, & invenire ſe putantes, apud SS. PP. ſuis deliramentis patrocinium; ſat erit obſervare quod cum S. Auguſtinus expreſsè ait, & quidem rectè, non eſſe à Deo amorem *fruendi* creaturis, iſti verbum callidè permutant, eoque ut dicat, non eſſe a Deo amorem *utendi* creaturis, qui non ſit charitatis; nulla de verbo *fruendi* mentione facta: quo ſenſum illius omninò depravant, & ad confirmationem erroris Queſnellij ſervire faciunt: ac ſi vtrumque iniquè confunderet S. D. à quo alioqui cuncti Patres, & ſapientes, didicerunt condemnare amorem illum tantum,

quo

quo quis *fruitur vtendis*, & *vtitur fruendis*: non autem illum, quo quis fruitur fruendis, & vtendis vtitur.

19 Hinc potiùs contra Queſnellium militat Auguſtinus. Fruitio enim propriè loquendo, de fine, aut circa finem eſt: nam qui aliquo frui vult, in eo ſui amoris finem, & quærit, & ponit. Cumque ſolus Deus ſit bonum ſummum, & beatificum, cuius tantum amore frui licet, ex eo tantum poteſt quis bene vti creaturis etiam ad fruendum illis in Deo, nam ita bonum beatificum appellantur & ipſæ, ab Auguſtino. Qui autem non amans Deum, frui vult creaturis, amor hanc fruitionem, ſeu delectationem imperans, non eſt certè a Deo, malus ille eſt, vt in præpoſterum finem ordinatus, ex eo quod amor fruendi creaturis ſine Deo, hoc ipſo ſe gerit circa illas, tanquam ſi forent finis vltimus, & bonum beatificum; ex quo ille perverſus, & illicitus eſt.

20 De quo ſequens affert continuò Auguſtinus exemplum, a nobis antea promiſſum, quod præiactam ſuę mentis explicationem confirmat. Verbaque cum prioribus connexa, ſunt iſta: *Per hunc amorem Creatoris benè quiſque vtitur etiam creaturis. Hoc ergo amore opus eſt, vt bonum beatificum ſit & pudicitia coniugalis, vt ſit eius intentio quando vtitur coniugis carne, non in voluptate libidinis, ſed in voluntate propagationis.* En iuxta Auguſtinum in creatura aliquid boni beatifici, quando ſcilicet illam quis amat propter Deum, eaque vtitur, non vt ea ſola fruatur, ſed ad fruendum Deo. Qui amor tàm bonus eſt, & meritorius beatitudinis, ex imperante amore Dei, vt contrarius eſt perverſus. Et de vtroque, vt ex connexione contextus liquet, eſt totus ſenſus Auguſtini in hoc teſtimonio.

21 Audi rurſùs illum hæc circa eandem rem, & de eodem exemplo ſubiungentem. *Si autem vicerit* (voluptas) *& propter ſe ipſam, non propter filios propagandos fieri aliquid extorſerit, & voluntas veniale peccatum ſit propter nuptias Chriſtianas.* In his profectò alium ſenſus vſum circa creaturam deſignat, & ex longe diverſo amore creaturæ procedentem, quem nec bonum Queſnellius dicet, quia non eſt charitatis: ſed nec poteſt dicere illum malum, & illicitum quia etiam ſi ſit concupiſcentiæ, & delectationem ex creatura quærat, non intendit frui creatura tan-

quam

quam vltimo fine, ſed tantummodò vti, vt loquitur Auguſtinus. Eſt igitur amor non malus, vſuſque ſenſus medius inter perverſum, & perfectum, quamvis aliquandò ex immodica delectatione ſit veniale peccatum.

22 Qui itaque hac cautione vtatur ſenſibus, vt non quærat oblectamenta illorum in rebus prohibitis, v.g. delectationem tactus in amplexibus meretricis: neque ita vtatur licitis, vt eis frui velit tanquam vltimo fine, & immoderata delectatione: is profectò vſum ſenſuum habebit non malum, quamvis nec bonum ſimpliciter, ſeu meritorium: ſed inter vtrumque medium, procedentem, vel imperatum, non à charitate, non etiam a cupiditate perverſa, quoniam ſupponi debet neque relatus ad Deum, neque ordinatus in finem præpoſterum. Neceſſe ergo eſt, quod vſum prædictum faciat cupiditas inter vtramque media, & conſequentèr non mala. Neceſſeque eſt fateri hanc eſſe conſtantem S. Auguſtini mentem, doctrina ſua adeo conſonam, iactiſque principijs clariſsimè explicatam, quæ & theſibus Queſnellianis apertè repugnat.

23 Neque vbi in ſua notula Anonymus illum laudat diſcernentem diſſertè quid quid in vſu ſenſuum mali, aut boni eſt, quidquam habet quod dictis adverſetur; imò cuncta ſic conſonant, vt videantur vnius tantum argumenti, aut propoſiti materiam eſſe. Laudat quippè ibi, & generatim, & ſiggillatim de ſingulis ſenſibus, omnes illorum vſus, qui aut ex vivacitate, aut ex vtilitate, aut ex neceſſitate habentur: eoſque tantum condemnat quos libido facit, & impellit, & accedente voluntatis conſenſu; quos, nimirum, imperat concupiſcentia rebellans adverſus ſpiritum, quæ & eos movet propter ipſam voluptatem tanquam propter finem vltimum. Idque explicat ipſomet exemplo laudato, dicens: *Hoc malo quantum attinet ad eius partem qua ſibi ſexus vterque miſcetur, benè vtuntur nuptiæ cum coniuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam.* *Libr. 4. cont. Iul. cap. 14.*

24 Et quidem admirabili præciſione, qua debebat vti Queſnellius, vtitur Auguſtinus, diſtinguens vſum innocentem ſenſuum, ab vſu nocentiſsimo, videlicèt ſenſum videndi in oculis à libidine ſentiendi, neque id ſolummodò ex mente propria, ſed ex Chriſti Dom. ſententia. Ita enim habet, & corripit ſecùs ſa-

facientes. *Non enim ait Dominus, Qui viderit mulierem, ſed qui viderit ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Ecce* (Queſnelliſta) *ſenſum videndi, à libidine ſentiendi, ſi pervicax non ſis, breviter, apertèque diſcrevit.* Ergo omni ſpe ſuffragij pro ſuo Queſnellio, ex hoc etiam loco Auguſtini, fruſtratur Anonymus.

25 Nec minùs ab eo S. Paulinus abludit, cuius teſtimonium ex eius Epiſtola ad Sanctum, & Amandum, quæ in editione Antuerpienſi quatuor, non inſcribitur eo numero ſupra ab Anonymo, & forsàn ex recentiore editione Pariſienſi numeranti eius Epiſtolas alitèr, ſervato annorum ordine, notato. Sed ea apud me eſt vigeſima ſexta, vbi explicans parabolam Virginum, ea verba habet quæ neque etiam nimis fidelitèr Anonymus, & Hexaplorum Author Gallico vertunt ſermone, & aliàs truncatum exſcribunt teſtimonium, quod quia integrè allegatum, ſententiam prorſus diverſam Paulini manifeſtat, oportet illud, tametſi longiuſculum, in corruptum audire.

An. 1622. Ep. 41.

26 *In vtroque*, inquit, *Virginum genere quinque ponuntur, vt intelligatur ad ſenſus hominis integritatem, aut corruptionem referri: nam quinque ſenſibus omnes prædi- ti ſumus, per quos aut vitam recipimus, aut mortem. De ipſis enim dolens Propheta dicit: Mors introivit per feneſtras veſtras. Quas obſtruamus timore Dei, et ad omnes iſtius mundi formas, & voces, ſurdi ſimus, & cæci: ſepiamus aures noſtras ſpinis contra linguam nequam, & illecebroſa modulamina: avertamus oculos noſtros, ne videant vanitatem: obſtruamus & nares noſtras, ne de corruptione huius ſæculi mortis odorem trahamus: neque per guſtum illicem gulæ morbus irrepat, & concupiſcentiarum cibis continentiæ robur enervet: neque mollibus veſtimentis corpori blandiamur, nec carneos tactus, & amplexus illicitos delicatis male palpata teguminibus membra diſquatiant.*

27 Quis rogo audiens hos ſingulorum ſenſuum, non vſus, ſed abuſus, à Paulino deſcriptos, non illicò cognoſcit ipſum loqui de actibus ex obiecto pravis, atque prohibitis, à nefaria cupiditate ſimiliter execranda natis? Etenim lingua nequam, & illecebroſa modulamina reſpectu aurium; vanitas reſpectu oculorum; odor mortis de corruptione mundi reſpectu na-

rium;

rium; morbus gulæ reſpectu guſtus; ac tandem amplexus illiciti reſpectu tactus, obiecta ſunt intrinſece mala, circa quæ omnis ſenſuum vſus perverſus eſt, & concupiſcentia fit ex conſenſu depravata, quæ per ſenſuum feneſtras peccatum, & per peccatum mortem introducit.

28 Hanc itaque cupiditatem, hoſque pravos vſus, ſeu imò abuſus ſenſuum, damnat, & meritò hoc teſtimonio S. Paulinus, atque verbis ita conceptis, & expreſsis, quæ præciſe, & ſiggillatim deſignant obiecta intrinſece mala, & illicita. Et tamen inſignis præſtigiator Anonymus, ibi ad invenit, & glorioſe oſtendit damnatos alios ſenſuum vſus qui ſui tantum cerebri, & Queſnellianæ imaginationis phantaſmata eſſe poſſunt, qui nimirùm circa obiecta licita ſe gerentes, non immoderatè, neque à cupiditate deordinata orti, ex ſententia reprobentur à Paulino, eo tantùm, quia non à charitate proveniunt, quamvis nec de abſentia iſtius, nec de ſuæ relationis defectu, ad illorum malitiam, & turpitudinem demonſtrandam, meminerit ipſe.

29 Cuius propterea ad eos, & de eis oportuniora ſunt ſequentia verba. *Sine dubio hæretici qui doctrinas Dæmoniorum, & ſequuntur, & promunt, conceptis ab eorum ſpiritu adinventionibus, quæ non viderunt phantaſmata quaſi viſa fingentes, & peſtiferis diſputationibus in corda male credula ſeminantes; hi ſunt qui non tenent caput, id eſt, Chriſtum fontem veritatis.* Ep. 43.

XLVII. PROP. COND.

Obedientia legis debet profluere ex fonte, & hic fons eſt charitas: Quando Dei Amor eſt illius principium interius, & Dei gloria eius finis, tunc purum eſt quod apparet exteriùs, alioqui non eſt niſi Hypocriſis, aut falſa iuſtitia.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

Matth. 23. 26.

La obſervance à la loi doit couler de ſource, cette ſource c' eſt la charite. Quand l' amour de Dieu en eſt le principe interieur, & ſa gloire la fin, le dehors eſt net; ſans cela, ce n' eſt qu' hypocriſie, ou fauſſe juſtice.

P. Queſnellius hanc facit reflexionem ſuper hæc Chriſti verba. *Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis, ut fiat id quod de foris eſt mundum.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De dono perſev. cap. 16.

SANCT. Auguſtinus. *Prævenit etiam*, Gratia, *charitatem, qua vna Deo veraciter, & ſuaviter obeditur.*

Contr. duas Ep. Pelag. lib. 3.

Idem. *Sic eos littera occidit, aut apertè etiam ſibi reos, non faciendo quod præcipit, aut putando ſe facere quod ſpiritali, quę ex Deo eſt, non faciunt charitate. Ita remanent aut apertè iniqui, aut fallacitèr iuſti.*

REFLEXIONES ANONYMI.

SI Deo veracitèr non obeditur niſi per charitatem: ergo obedientia non orta ex charitate poteſt appellari hypocriſis, quoniam illa non eſt niſi fallax obedientia. Cuiuſmodi ſunt hypocritæ, quos pluribus in locis repræſentat S. Gregorius Magnus. *Superna diſpenſatio*, inquit, *largitur huic* (hypocritæ) *dona operis, & ſortem denegat hæreditatis.*

Moral. li. 8. cap. 48.

* * *

ANIMADVERSIONES.

1 PLenam profectò hypocriſi, quam hæc propoſitio damnat, ipſa ſe oſtentat: totamque ſui architecti fraudulentam ſimulationem apprimè imitatur. Non enim tantùm duplicibus, ſed triplicibus veſtita, quæ media pars illius eſt, ſententiam veram, piam, orthodoxam continet, ſed ita inter duas extremas partes compreſſam, & connexam, vt à vitioſis, & iam damnatis extremis depravata, vnum cum illis, & abſurdiſsimum ſenſum inſpiret, & inſtillet.

2 Prima illius pars eſt. *Obedientia legis debet profluere ex fonte, & hic fons eſt charitas*: quæ eadem prorsùs eſt, ac illa inter Baianas damnata: *Prop. 16.* *Non eſt verè legis obedientia, quæ fit ſine charitate*. *& in Bul. Leonis.* Poſtrema pars eſt: *Quod illa alioqui non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa iuſtitia.* Hæc autem fuit Lutheri propoſitio damnata primò à Sede Apoſtolica, & iterum per Tridentinum. *Seſſ. 14. cap. 4.* Inter iſtas hæc malè comprehenſa, & ſanè veritas Catholica, dignaque divinæ charitatis excellentia reperitur. *Quando Dei amor eſt illius* (obedientiæ) *principium interius, & Dei gloria eius finis, tunc purum eſt quod apparet exterius.*

3 En ſententiam in ſe veram, atque, vt videtur, zelo amoris Dei, ac pietate plenam! Et hanc a Queſnellio Eccleſia non audit, reprobat, damnat? Utique, & meritò, quia ex venenatis extremis, quibus colligatur, contaminata, ad vnum cū ipſis virulentum ſenſum ſub plauſibili colore inſpirandum deſervit. Hac namquè hypocriſi hæretici, & ſe, & ſuos veſtiunt errores, indigni propterea qui ab Eccleſia audiantur, iuxta ſententiam S. Gregorij. *Heretici*, inquit, *cum perverſa de fide aſſerunt, nonnulla contra antiquum hoſtem ſubtilia de carnis tentationibus loquuntur.... Sed Sancta Eccleſia audire ab his ſubtilia de tentationibus non vult, quia dum vera quædam de converſatione aſſerunt, ad falſa perfidiæ perducunt.* *Moral. li. 7. cap. 14.*

4 Non debent propterea audiri neque Queſnellius hanc propoſitionem perfidiæ plenam, & pietate veſtitam enuntians, neque Anonymus eam veluti SS. PP. acceptam defendens: iureque per Sacram Conſtitutionem *VNIGENITUS*, damnatur, quæ con-

contra aliam eiuſdem S. Sedis Conſtitutionem, & contra decreta, Canoneſque Tridentini, errores priſcùm proſcriptos, novo, & fraudulento condimento, vt ſapidi fiant, reparare molitur: cuius quo ad vtramque extremam partem falſitas, & abſurditas, vel ex eo tantùm patet, quod vitioſam aſſerit omnem obedientiam præceptorum Dei, totam ſuæ legis obſervantiam, ex quacumque alia virtute, quæ non ſit charitas, provenientem, vel à quavis alia imperatam.

5 Quod perindè eſt ac cunctas virtutes alias, ſeù Theologicas, ſeù morales, ſeù infuſas, ſeù acquiſitas, veluti vitia damnare, eaſque ita prorsùs exitiales æſtimare, quæ hominem non quomodolibet ſceleratum, ſed flagitioſiſsimum, nempe hypocritam, & ipſarum virtutum deturpatorem faciant. Quid iam de tot præconijs quibus Sacra Scriptura, quibuſque SS. PP. incunctantèr, & paſsim virtutes extollunt, virtuoſos laudant, atque ad totius vitæ honeſtatem homines vehementèr provocant, adhortantur? Equidèm, qui de ſingularibus virtutibus ſcripſere, vt *de Fide*, *de Continentia*, *de Patientia*, *&c.* incaſſum laboravere: niſi forſam dicat Janſeniſta eos intendiſſe docere Hypocriſim, aut homines formare hypocritas.

6 Totum, & elegantiſsimum S. Ambroſij opus *de officijs*, diris iam devovendum, igni addicendum erit, vt quo Sanctiſsimus Author ſatagit homines inducere ad ea virtutum ſingularum opera, quæ cum dicuntur officia, nequaquam omnia poſſunt probari Queſnellio, & Janſeniſtis, qui non ibi invenient charitatem proprium ſuum finem omnibus præſcribentem, quare & illa de hypocriſi damnabunt, nempè abutentes, vt ſolent, ea ſententia Auguſtini, *Quia non actibus, ſed finibus penſantur officia.* *Cont. Iu. lib. 4. c. 3.*

7 At potiùs quam Queſnellio, fidem debemus S. Ambroſio dicenti, iſta virtutum officia, & eſſe media, & eſſe perfecta, hæc, inquam, quæ faciunt legis, & mandatorum obedientiam, vt ex ſequentibus liquet. *Officium autem omne*, inquit, *aut medium, aut perfectum eſt .... Habemus etenim in Evangelio dixiſſe Dominum: Si vis in vitam æternam venire, ſerva mandata. Dicit ille, Quæ? Ieſus autem dixit illi: Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum, non falſum teſtimonium dices: honora Patrem, & Matrem,* *Lib. 1. de Offic. cap. 11.* *Math. 19.*

trem', & diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Hæc ſunt media officia quibus aliquid deeſt.

8 Legem totam ijs deſcribit Ambroſius, eiuſdemque obſervantiam per officia quibus aliquid deeſt, quæ tantum media ſunt, non perfecta, ſcilicet, quæ licet ex proprijs virtutibus orta, non tamèn profluunt ex fonte charitatis, neque ad iſtius finem ordinantur, alioqui nihil illis deeſſet, & perfecta forent officia. Unde ſubiungit: *Denique dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi à iuventute mea. Quid adhuc mihi deeſt? Ait illi Ieſus: Si vis perfectus eſſe, vade, vende bona tua, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo, & veni ſequere me. Et ſupra habet ſcriptum, ubi diligendos inimicos ... Hoc nos facere debemus, ſi volumus perfecti eſſe....Hoc eſt igitur perfectum officium.*

9 Ita Ambroſius, ſignificans, & quidem verbis Chriſti Domini, quod cum hæc poſtrema officia, non niſi ob amorem Dei fiant, non niſi ex fonte charitatis profluant, quod præſertim de amore inimicorum manifeſtum eſt; idcircò illa perfecta officia ſunt, ea nimirùm perfectione, qua, obedientia legis meritoria ſalutis eſt, per opera ita à charitate valorata quæ ſunt æternæ vitæ pretium, ut non obſcure innuunt verba illa: *Habebis theſaurum in Cœlo.*

10 Qua ordinatione deficiente, & contraria non appoſita, opera illa ſunt inter meritum, & demeritum media, ideſt, non ſunt meritoria vitæ æternæ, quia non profluunt ex charitate ea ad tantum premium ordinante: non ſunt itèm peccata, quia nec fiunt perverſa præpoſteri finis intentione. Unde ex illis coaleſcit obedientia legis, non quidem perfecta, ſeu meritoria; ſed ne quidem mala, falſa, & hypocriſi vitiata.

11 Ut namque quis reipſa adimpleat legem obediens omnibus eius mandatis (excepto præcepto charitatis) minimè neceſſarium eſt, quod opera legis faciat ex intentione, & motivo charitatis. Quod Queſnellius hac propoſitione, & ſimilitèr ſuis Baiani, & Janſeniſtæ contendunt: quorum error multis, & ineluctabilibus argumentis refellitur, quibus & contraria veritas nervosè firmatur. Quæ quia ſæpiùs iam, nec perfunctoriè attigimus, ſat modo erit illa breviter, & per anacephalæoſim inſinuare.

12 Primò. Namque hoc ipſum teſtimonium proximè laudatum, id non obſcurè innuit iuxta expoſitionem Am-

Ambroſij. Cum enim ibi referantur ſiggillatìm præcepta legis, ſeu Decalogi, ab illo adoleſcente ſervanda, tunc tamen vnius, & maximè mandati dilectionis Dei, nulla fit mentio, quando ſcilicèt, de operibus, ſeu officijs medijs, non de perfectis, ſermo erat: & tamen dictum fuit adoleſcenti, quod illis operibus obſervaturus erat legem. Ergo quia ad iſtius obſervantiam ponendam quoad ea præcepta, neceſſaria non ſunt opera ex charitate profluentia.

13 Secundò. Id ipſum adeò aperte ſignificatur alijs Scripturæ teſtimonijs nuper

Pag. 154 n. 140. Pag. 158 n. 154. Pag. 180 n. 2.

allatis, vt illis, de ſuperædificante lignum, fœnum, & ſtipulam, de Gentibus ea quæ ſunt legis facientibus; & de his qui quæ carnis ſunt ſapiunt, & quorum ſapientia legi Dei non eſt ſubiecta, & alijs adhùc, quæ adiunctis expoſitionibus SS. PP. planè evincunt reipſa, & non prava ſimulatione, obedire legi, qui prædictis operibus legis præcepta adimplent.

14 Tertiò. Quotquot SS. PP. à nobis allegati contra propoſitiones contentas

Pag. 201 n. 37. & 41. & ſeq.

ſub titulo *de Timore*, laudant tanquam bonum, & vtilem ſervilem timorem, explicantes ſimul loca Scripturæ de iſto ibi, & alibi adducta: Similiterque Tridentinum approbans illum, quemadmodùm & actus fidei, & ſpei, in

Pag. 116 n. 126.

peccatore qui iuſtificari deſiderat animo, & propoſito adimplendi legem Dei, & divinis mandatis obtemperandi: proculdubiò cenſent, atque ſua authoritate ſtatuunt ſentiendum ab omnibus, quod prædicta opera, non alioqui profluentia ex charitate nondum infuſa, efficiunt reipſa legis obſervantiam, & præceptorum quæ tunc maximè vrgent, obedientiam. Quinimò Concilium anathemate percellit affirmantes ea facere hominem hypocritam.

15 Quartò. Ut obligatio obſervandi divinam legem, & obediendi Dei mandatis generaliſsima, ac ſemper, & cunctis vrgens eſt, vtpote comprehendens omnia, & ſingula præcepta affirmativa, & negativa: ſimiliter, & neceſſariò ſemper, & in omnibus, vrgens foret obligatio diligendi Deum per charitatem, ſi ad legis obedientiam in cunctis ſuis præceptis, neceſſarium eſſet, vt vult Queſnellius, quod omnia opera adimplentis legem profluant ex charitate. At hoc perindè eſt ac affirmare, quod modus charitatis cadit ſub præcepto, contra expreſſam ſententiam S. Thomæ, ſupra laudatam.

Pag. 170 n. 190.

Eſtque

Eſtque inſuper legi addere legem aliam, eamque graviſsimam, & obſervatu difficillimam, de ordinatione omnium operum per charitatem: quæ nullibi, neque apud Apoſtolum extat, vt ibi diximus. N.193.

16 Quintò, & hinc mira connexione abſurditatum, & errorum cohærentia, ſequitur inevitabilitèr, quod lex Dei ſit impoſsibilis adimpleri, & quod Deus impoſsibilia hominibus iubeat. Quis namque, ſive infidelis, ſivè Judæus, ſivè Chriſtianus peccator, potens erit obſervare legem, adimplere præcepta Dei, per opera quæ quamtumvis eliciantur ex motivo ſingularium virtutum, & ad ſingula præcepta exequenda, numquam erunt, aut eſſe poterunt illorum adimpletiones, ſed potius tranſgreſsiones; facientes hominem non obedientem, ſed hypocritam, & violatorem legis de Modo charitatis, quem alioqui ſuis operibus adhibere non poteſt, deſtitutus charitate infuſa per peccatum amiſſa? Quarè novo figmento tranſgreſſor erit, ſed inculpabilis, quia impotens legem adimplere.

17 Et ſi forte Novatores recurrant ad poſsibilitatem, vel potentiam antecedentem peccatum, ſeù perſonale, ſeù originale, dicentes, eam impotentiam eſſe peccatori imputandam, qui ſi nó peccaret, poterat legem adimplere per charitatem, & idcircò ſemper eſſe illi hanc adimpletionem poſsibilem, & tranſgreſsionem ex voluntaria impotentia culpabilem.

18 Si, inquam, id reſpondeant, quod modo diſcutere, & refellere non vacat, ſaltèm neceſſe eſt alitèr diſcurrant de lege, ſeu præcepto quo tenetur peccator ſe convertere ad Deum. Hoc enim quemadmodùm obligat ſuppoſito peccato, neceſſariò etiam ſupponit in peccatore potentiam non ſolum antecedentem peccatum, ſed conſequentem, quia videlicèt, eſt potentia ad ponendum opus converſionis, & contritionis de peccato neceſſariò præſuppoſito. Ergo ſi vt opus iſtud ſit vera obedientia prædictæ legis, & non ſit falſa iuſtitia, debet profluere ex charitate, vt vult Queſnellius, ſequitur inevitabilitèr, quod peccator tunc charitate deſtitutus, ſit impotens hoc præceptum adimplere, ſitque ſimul reus tranſgreſsionis, ſibi aliàs neceſſariæ.

19 Ita porrò Queſnellius, & eius diſcipuli, ex errore errorem concludentes, adſtruunt Deum impoſsibilia iubere, & impoſsibilem eſſe, divi-

divinæ legis obſervantiam in veteri fœdere, quia in eo non dabatur hominibus gratia, qua illis poſsibilis fieret. Atque item in novo, dùm iuſtis etiam conantibus, & volentibus, ſunt impoſsibilia aliqua Dei præcepta ſecundum præſentes quas habent vires, quia deeſt illis gratia Dei, qua poſsibilia fiant, vt inquit in ſua prima propoſitione Janſenius. Qua proptèr omnes iſti Novatores Deum effingunt malignum legislatorem, exactoremque iniquum circa homines fatali neceſsitate inobedientes; vt qui, ſi infideles, & impij ſint, minimè valent legem adimplere defectu gratiæ, & charitatis, iuxta Baium: ſi iuſti, defectu auxilij neceſsitantis iuxta Janſenium: & iuxta Queſnellium, defectu vel gratiæ, vel auxilij, vel influxus charitatis.

20 Qui etiam, ac ſi ſingula præcepta forent de Deo ſolummodò diligendo, inobedientiam dicit, tranſgreſsioneſque æſtimat totius legis ſeù veteris, ſeù novæ; alia quarumcumque virtutū opera, ſi amorem Dei non ſpirent, ſi propter ipſum, & ex eius charitate, non fiant. Hoc equidem quamvis perfectionis materia ſit, ſingulorum præceptorum materia propria, & expreſsè intenta non eſt: ſed neque ita apertè intenta, & proprijſsima, qualis eſt obedientia, quam tota ipſa lex, ſingulaque eius præcepta ſubditis iniungunt, quamque Legislator ſemper intendit, deſideratque.

21 Et nihilominùs, quia ſingula præcepta non ſunt de obediendo, ſed de ponendis operibus per ea præſcriptis: propterea non obligant vt opus fiat quia præcipitur, quæ obedientia dicitur formalis; ſed vt fiat opus quod præcipitur, quæ obedientia dicitur materialis. Unde quemadmodùm non tenetur adimplens legem, ea opera elicere ex influxu ſpeciali virtutis obedientiæ, quamvis id perfectiùs foret; ſimilitèr, aut potiori ratione, vt quis obediat legi Dei, & præceptis quæ non ſunt de dilectione ipſius, non tenetur opera iniuncta facere ex charitate, quamvis hoc alias perfectiùs foret, perfectioremque redderet obedientiam.

22 Sed opus non eſt pluribus ad redarguendam hanc propoſitionem, cuius falſitatem evincunt quæcumque contra propoſitiones ſub titulo *de Timore*, atque ad præcedentes ſub præſenti Titulo, allata ſunt. Et quamvis præterea ſufficiat teſtimonium ſupra laudatum S. Ambroſij, vt

vt numquam illa SS. PP. grata cenſeri poſsit, ne adhùc nobis Anonymus opponat S. Auguſtinum, audiat ipſum, vel ſemel affirmantem obedientiam, & impletionem legis fieri per opera quæ eius præcepta præſcribunt. *Impletur ergo lex, inquit, vel cum fiunt quæ iuſ præcepta ſunt, vel cum exhibentur quæ iuſ promiſſa ſunt.* In quibus cum nihil de charitate dicat, haudubie non aliam cenſet neceſſariam ad impletionem legis quam vel definit, vel ſaltem deſcribit.

Lib. 1. contr. Fauſt. cap.

23 At ſæpè, fateor, docet, legem non niſi per charitatem impleri, quod maximè facit exponens illa verba. *Plenitudo legis eſt dilectio.* Et *in his duobus mandatis vniverſa lex pendet.* Et ſimilia. Verum tunc intelligendus eſt, quemadmodùm, & ipſa Scriptura, vt alibi videbimus, de obedientia legis ſimpliciter perfecta, nempe meritoria Beatitudinis, & ſalutis fructuoſa; quod ibi palam, & conceptis exprimit verbis. Neque decebat vt de lege divina a Chriſtianis obſervanda aliter loquerentur vel Sacra Pagina, vel S. Auguſtinus, & reliqui Eccleſiæ Patres, niſi commendata perfectiori, & iocundiori obedientia, quæ fit per amorem.

Ad Rom. 13. Matth. 22.

24 Idque perſpicuè patet ex Auguſtini expoſitione ad ea verba quibus Apoſtolus dicens: *Qui diligit proximum, legem impleuit*; & enumeratis ſigillatim legis præceptis, eorumque obſervantiam ex charitate commendans, ita concluſit: *Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* Ad quæ Auguſtinus: *Quod autem dicit. Qui enim diligit proximum legem impleuit: Oſtendit conſummationem legis in dilectione poſitam, ideſt in charitate. Unde & Dominus in illis duobus præceptis totam legem pendere dicit, & omnes Prophetas, ideſt, in dilectione Dei, & proximi .... Inde eſt & illud eiuſdem Apoſtoli: Plenitudo autem legis eſt charitas. Et illud: Finis autem præcepti eſt charitas.* Cuncta itaque de hac re teſtimonia ſub hac vna expoſitione comprehendit: quod nempè, per illa ſignificatur legis conſummationem fieri per charitatem: quod perindè eſt, ac non quamcumque obedientiam fieri, ſed tantum factam conſummari, & fieri perfectam ex charitate. Quod & ſat innuit ipſe Apoſtolus cum ait, charitatem eſſe legis plenitudinem.

In Expoſ. Epiſt. ad Rom.

25 Hinc defenſio iſtius propoſitionis ab Anonymo ex Sancto Auguſtino petita,

inep-

ineptiſsima eſt, cum nullo ex teſtimonijs adductis dicat S. Doct. vel levitèr inſinuet, obedientiam legis debere profluere ex charitate, vt obedientia ſit, vel ne ſit hypocriſis: quod Queſnellius indubitantèr affirmat. Cum namque in priori loco ait, quod, *vna charitate Deo veracitèr, & ſuavitèr obeditur*, manifeſtat ſe loqui, de obedientia ſimplicitèr perfecta, plena, conſummata, & meritoria, quæ & ab amore fit ſuavis, & iuxta phraſim Auguſtini alibi notatam, vera dicitur, quia per charitatem in Deum ordinata. Per quod tamen non ſibi contrariatur cum nulla facta charitatis mentione affirmat etiam, *legem impleri, cum fiunt quæ ibi præcepta ſunt*, quod reverà eſt obedire, quamvis non obedientia perfecta.

Pag. 316. num. 17.

26 In poſteriori loco ab Anonymo adducto, nihil prorsùs habet S. Auguſtinus quod poſsit favere Queſnellio, aut ſenſui ſuæ propoſitionis reſpondeat. Ibi namque contra hæreſim Pelagianam agens, ſuos increpat Sectatores de eo, quod putabant ſe legem implere perſolam litteram docentem, & ſine ſpiritu legis adiuvante. Quamobrem, ait, ſic eos littera occidit, vt remaneant, aut apertè iniqui, aut fallacitèr iuſti; Idque vt optimè congruit ad refutandos qui dicerent, poſſe legem adimpleri ſine auxilio divinæ gratiæ; impertinens prorsùs eſt ad patrocinium dicentium, non poſſe legem adimpleri abſque eo quod tota legis obedientia profluat ex charitate.

27 Quarè Anonymus parum, vt exiſtimo, his ſuffragijs confidens, ad verba S. Gregorij confugit, ſed tam inepta reflexione, vt non advertat ſententiam Gregorij, aut pugnare fronte adverſa cum propoſitione Queſnellij, aut ne ita pugnet, operæ pretium eſſe (quod hi Novatores avide facient) immane abſurdum deglutire. Cum enim dicat S. Gregorius, Deum largire hypocritæ dona operum, & denegare ſortem hæreditatis; apertiſsimè ſignificat, opera iſta, vel non eſſe mala, & hypocriſis labe turpia, vtpote quæ Dei dona dicuntur, & ipſe largitur: vel aſſerendum cum blaſphemia in Deum, & contumelia in Gregorium, quod iſte docuerit eſſe dona, & largitiones Dei opera prava, & hypocriſi deformata.

28 Si tamèn id renuat devorare Anonymus, oportet vt, pertinacia depoſita, primum eligat, diſcatque me-

lioribus uti reflexionibus, ne allegans inconſultò, & temere SS. PP. vel adverſos ſuæ cauſæ teſtes producat, vel eos nefaria loquentes inducat. Audiatque legitimum S. Gregorij ſenſum, ex toto illo loco enucleatum ut nobis faventem, Queſnellio palàm contradicentem. Etenim in eo capite quatuor numeros complectente iuxta editionem accuratam Monachorum S. Mauri qua utor, agit S. Gregorius de hypocrita comparato ſcirpo inter lapides, qui affectans laudes, & admirationem hominum, opera virtutum facit, prava tamen, aut mala, ex vanæ gloriæ deſiderio, & præpoſteri finis intentione. Ad quod vitium vitandum monet ut opera teneantur occulta.

Lib 8. in cap 7. Iob.c.48. num.81.

Num.82 & 83.

29 Nam quamvis perfectorum ſit ſua bona opera oſtendere ad ſolam laudem Dei, propria contempta: infirmi autem qui eam *perfectè contemnendo non ſuperant, reſtat neceſſe eſt, ut bonum quod operantur, abſcondant.* Iam hic notanda venit differentia operis perfecti quia factum ex charitate, ab opere non ita perfecto quia non ex charitate, non autèm proptereà malo, ſed bono, abſcondendo tamen, ne ſi foris oſtendatur, appetitus laudis ſubrepat, & opus quod adhuc poterat ordinari in Deum, ſuperveniente vana gloria, ad præpoſterum finem referatur, ut ſæpè accidit, quare ſubiungit: *Sæpe vero in oſtenſione operis, auctoris patefacere gloriam cupiunt, ſed excepti favoribus, in laudis propriæ cupiditatem rapiuntur.*

Ibi.n.84.

30 Ita iſti ſiunt hypocritæ, qui anteà benè operantes quamvis nondum perfecti, & merentes, erant. Tuncque primò opera ſua, dona Dei, largitiones ipſius fuerunt, quia nondùm facti hypocritę, quamvis nec tunc per charitatem operantes, opera non mala, ſed bona fecere: quæ poſteà homo cupiditate humanæ laudis factus hypocrita, depravat, meretarque forte hæreditatis privari. Atque ita, *Superna diſpenſatio largitur huic dona operis, & ſortem denegat hæreditatis, operandi munera cumulat, & tamen vitam operantis ignorat:* *quia* (nota cauſalem) *cum perceptum munus ad laudem propriam trahitur, in conſpectu lucis intimæ umbra elationis obſcuratur.* Hæc S. Gregorius.

Ibidem.

31 Qui adhuc veram de re iſta doctrinam, & ſententiam alibi ſequentibus exprimit. *Aliud eſt eleemoſynam ex præcepto facere: atque aliud*

Lib 1. in Exech. Hom. 10. num. 31.

aliud ex charitate. Ex præcepto enim facere bonum, incoantium eſt: ex charitate autem facere bonum, perfectorum, qui non ſolum quia iubetur, faciunt, ſed etiam diligunt, faciendo quod iubetur. Non ergo eſt hypocrita, neque talis habetur à S. Gregorio, qui obedit, & non ex charitate; ſed quamvis perfectus non ſit, tamen reipſa obediens eſt: vnde ſubiungit. *Mandata enim Dei pro iuſſione facere, ſervientis, & obedientis eſt, diligendo autem facere, obedientis, & amantis eſt.*

32 Quæ vt apprimè cohærent ſenſui orthodoxo, & ex alijs SS. PP. hactenùs illuſtrato, patentiſsimè impugnant Janſeniſticum, & Queſnellianum in cunctis de hac re propoſitionibus expreſſum, atque in præcedentibus ſub alijs titulis contentum. Nec minùs manifeſtum eſt, quod cum Anonymus, & Hexaplorum Author audent ſuum Queſnelium defendere, eiuſque errores ab æquiſsimo iudicio, & iuſta cenſura per S. Conſtitutionem *Vnigenitus* latis, vindicare, intentato contra illum patrocinio Sanctorum Eccleſiæ Patrum, venerando iſtorum nomine, & authoritate perfide abutuntur, nimirum, ſenſui illorum aperto, & candido, ſenſus ſuos perverſos, & doloſos obtegentes, eo conſilio, vt cum alijs ſapientiores videri amant, vere ſapientes Chriſtiana ſimplicitate illudant, quo incautos decipiant, & perdant, facti plurimis duplicitatibus hypocritæ. Eos ſignificantèr, & ad vivum ſequentibus repræſentat, & corripit ipſe Sanctus Gregorius.

33 *Utinàm Hypocritis ſua perditio ſola ſufficeret, & nequaquam perverſa coram ſtudia ardentèr alios ad vitam duplicitatis inſtigarent. Hoc namque vniuſcuiuſque proprium eſſe ſolet, vt qualis ipſe fuerit, tales ſibi coniungi, & alios velit, diverſitatem vitæ refugiat, atque hoc imitandum imprimat, quod amat. Unde & apud hypocritarum ſenſum ſimplicitas omnis in crimine eſt. Apertas quippè mentes dijudicant, & puritatem cordis hebetudinem appellant: omneſque quos ſibi adhærere cupiunt, à ſimplicitatis itinere divertunt, & quaſi expulſa inſipientia, eos erudiſſe ſe æſtimant, in quibus puritatem mentis, ideſt arcem ſapientiæ debellant.* *Vbi ſup. cap. 43.*

L. & LIV. PROPOS. COND.

Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus charitatis non eſt ille qui clamat.

Sola charitas eſt quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Rom. 8. 15. *C'eſt en vain qu'on crie à Dieu, mon Pere, ſi ce n'eſt point l'eſprit de charité qui crie.*

II. Cor. 13. 1. *La charité eſt la langue du cœur, c'eſt elle ſeule qui parle à Dieu, c'eſt elle ſeule que Dieu entend.*

REFLEXIONES ANONYMI.

VIdetur ſufficere ad juſtificandam priorem P. Queſnellij propoſitionem, ſi referantur verba occaſione quorum illam affirmat: *Non enim accepiſtis*, inquit S. Paulus, *ſpiritum ſervitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater.)*

In Epiſtola ad Galatas legimus, *ſpiritum clamantem:* unde apparet poſſe diverſimode dici; quod hic ſpiritus clamat, & quod nos per hunc ſpiritum clamamus.

Itaque ſpiritus adoptionis contrarius ſpiritui ſervitutis, & timoris, eſt ſpiritus charitatis quem nos accepimus. An ergo credere debemus, nos magna lucraturos, ſi relicto ſpiritu charitatis, clamemus ad Deum in ſpiritu ſervitutis?

Propoſitio LIV. non minùs juſtificatur textu S. Pauli, cauſa cujus enuntiatur: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans .... nihil ſum .... nihil mihi prodeſt.* Igitur evidens eſt, quod tunc fruſtra ego clamarem ad Deum, neque ipſe audiret, quamvis ſermone Angelorum loquerer.

LI.

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

In Pſal. 118. Conc. 19. SANCT. Auguſtinus. *Cum ad Deum oramus, corde clamandum eſt.*

In Pſal. 37. Idem. *Continuum deſiderium tuum, continua vox tua eſt, Tacebis, ſi amare deſtiteris. Frigus charitatis, ſilentium cordis eſt: flagrantia charitatis, clamor cordis eſt.* Ita apud Anonymum, & Authorem Hexaplorum, ſine vlla interpunctione.

In Pſal. 149. Idem. *Quam multi enim ſonant voce, & corde muti ſunt.*

ANIMADVERSIONES.

1 HAS duas propoſitiones ſimùl, & ſub vna copulatas defenſione habet Anonymus, qui & ſuas reflexiones præpoſuit teſtimonijs S. Auguſtini; forsàn quia præferenda merito cenſuit quæ ipſi placuit ex Apoſtolo advocare. Sed neutra prorsùs authoritate, malè alioqui vſurpata, vindicari poſſunt à rectiſsima damnatione, propoſitiones quæ palam ſibi adverſas, & repugnantes habent Scripturæ, Conciliorum, & PP. Eccleſiæ ſententias.

2 Ante quarum allegationes præoculis habendum eſt, quod ſæpiſsimè hactenùs dictum, & ex SS. PP. abundè probatum, non oportet cum Lectoris nauſea inculcare, videlicèt, quod quemadmodùm bona ſunt opera hominis, etiam infidelis, aut impij, facta ex obiecto honeſto, & non turpi fine, neque alia prava circumſtancia depravata, quamvis non ſint perfecta, ideſt meritoria de condigno gratiæ, & ſalutis; ſimilitèr voces, clamores, deſideria, affectus peccatoris quamlibet inſignis, recta tendentis ad Deum, vel quem timet, vel à quo ſuorum peccatorum veniam ſperat, boni actus, & affectus ſunt, vtileſque, quamvis prodeant non ex charitate, ſed ex amore proprio, non alioqui perversè ordinato. De quo ſupra. *Pag. 119.*

3 Quamvis verò actus iſti non ita ſint perfecti ex charitate, vt mereantur de condigno gratiam, & ſalutem; ſunt tamèn ob bonitatem, & honeſtatem quam ex obiecto, & principijs ſuis trahunt;

hunt, nempè, ex rectâ ratione, & auxilijs divinis, diſpoſitiones congruæ ad gratiam, & charitatem; eoque ordine congruentes, quem ex Tridentino ibi tradidimus. Quapropter tantam, ac ſemper optandam peccatoribus vtilitatem aſſerunt, vt ſint aptæ impetrationes ſingulariſsimi beneficij ſuæ iuſtificationis, & reconciliationis cum Deo per gratiam, & charitatem. Pag. 311 n. 141

4 Hos actus, clamores iſtos, damnat in his duabus propoſitionibus Queſnellius, & iure damnatos propugnat Anonymus, dicentque fruſtraneos eſſe, & ad Dei aures minimè pervenientes, quia non eos emittit ſpiritus charitatis, quam ſolam Deus audit, & quæ ſola Deo loquitur. Quod & teſtimonijs Apoſtoli, & Auguſtini ſatagit confirmare Anonymus. Sed quam diverſo ſenſu loquantur, apparebit, poſtquam demonſtraverimus irreconciliabilem repugnantiam verborum, & ſenſus Queſnellij, cum ſenſu, & verbis Scripturæ, Tridentini, & SS. PP.

5 Etenim cum Deus peccatores alloquens ait: *Convertimini ad me, & convertar ad vos*: manifeſtat profectò ardentiſſimum deſiderium vocatum, clamorum, precum, & gemituum illorum, quibus ad ipſum convertantur; ad ipſum inquam, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt convertatur, & vivat. At evidens eſt, clamores iſtos, preces, gemitus, voces, quibus tunc peccator obediens Deo, ad ipſum convertitur, non emitti à ſpiritu charitatis, alioqui Deus non ſe convertendum, ſed iam converſum ad peccatores diceret, vt qui maximè ad nos convertitur amore ſuo erga nos, & ſpiritus ſui amoris, quo verè vivimus, donatione. Non igitur eſt hic ſpiritus charitatis qui tunc clamat, cum clamores iſti ad eum ſpiritum charitatis quo vivamus impetrandum ſupponantur. Zachar. 1. 3.

6 Quid iam tum? Fruſtra nè clamat peccator ad Deum, qui ad largiendum ipſi ſpiritum charitatis iubet vt clamet? Et ſic clamantem tunc non audiet qui fideliſsimus in promiſsis ſuis ait: *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum?* Ipſe qui tantam ſuæ exauditionis ſpem peccatori præbet, vt fidenſiſsimè dicat iſte: *In quacumque die invocavero te, exaudi me, imò, & citò exaudi me*, iuxta S. Auguſtinum aientem. *Ideò citò exaudi me, quia do tibi me, quod petam.* Quod poſtea explicans ſequentia addit, à Queſnelliſtis audienda. *Multi-* Pſal. 90. 15. Pſal. 117. 5. In eum Pſal.

tiplicabis inquit in anima mea virtutem. Expreſſum votum, expreſſum deſiderium, ab omni confuſione circunciſum. Si diceret, Multiplicabis me: terrena neſcio quæ cogitares. Addidit, in anima mea. Rurſus, ne in anima vitia cogitares, addidit virtutem. Nihil eſt quod amplius à Deo deſideres, ſi vis bona, & vera fronte dicere: Cito exaudi me.

7 Si Queſnellius, & Anonymus cogitant peccatorem tunc ad Deum clamantem, petere multiplicationem vitiorum, vt audactèr dicunt, pravos, & vitioſos eſſe actus, & clamores ipſius qui non ſunt à ſpiritu charitatis, falluntur plane: nam quod tunc petit, clamatque edoctus à Deo dicente, *Convertimini ad me*, eſt, vt det illi ſpiritum charitatis, largiatur virtutem, quo ſingulari nomine charitas ipſa, vel apud Queſnellium, ſignificatur. Quamvis ergo non tunc ex ipſa charitate clamet, bona tamen, non prava fronte; vera, non fallaci clamat, & fiducialitèr exaudiri poſtulat.

8 Fruſtranè clamat, qui vt ſpiritum charitatis, ſpiritum adoptionis filiorum accipiat, ita clamat? Fruſtrà, quia non exaudiet qui ipſum clamare iubet? Imò potiùs fruſtrà iuberet ita clamare, qui clamores nequaquam à ſe audiendos, nec clamantem exaudiendum decerneret. Profectò, illuſorem hominum facit Deum, qui tale de Deo & cogitat, & affirmat. Illuſamque ſomniat ab ipſo ſuam Eccleſiam, quæ inter ſuarum Litaniarum preces, has Rogationes habet: *Peccatores, te rogamus audi nos: Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris: Ut mentes noſtras ad Cœleſtia deſideria erigas, te rogamus audi nos.* Quæ voces ſunt, in plurimis fidelibus, votaque, animæ deſiderantis, & nondum habentis ſpiritum charitatis; quam fruſtrà Eccleſia, ſi credamus Queſnellio, hos clamores doceret: fruſtraque peccator ab illa edoctus, clamaret: *Pater de Cœlis Deus, miſerere nobis*: &c. *Chriſte exaudi nos.* ſi ſpiritus charitatis non eſt ille qui clamat: ſi neque propterea à Deo exaudiendus eſt.

9 Deum ſemper paratiſſimum, promptiſſimumque ad audiendum quemcumque ad ſe clamantem, invocantemque nomen eius, totis ſuis paginis perſonat Sacra Scriptura. Cuius illuſtris textus ob multiplicem de hoc expreſsionem, eſt ille. *In tribulatione mea invocabo Dominum, & ad Deum meum* 2. Reg. cap. 22. 7.

cla-

clamabo, & exaudiet de Templo Sancto ſuo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures eius. Id porrò affirmat, qui paulo antè Deum ipſum

Ibid. 5. alloquens, ait: *Salvator meus de iniquitate liberabis me.* Nimirùm, vt alibi, ſed ad rem ipſam, aiebat S. Auguſtinus:

In Pſal. 54. *Satagentis ſollicitè in tribulatione poſiti, verba ſunt iſta. Orat multa patiens, de malo liberari deſiderans.*

10 Dummodò itaque peccator deſiderans ab iniquitate ſua liberari, mundari, clamet ad Deum, quamvis non ſpiritu charitatis, ſed ſpiritu cordis tribulati, humiliati, contriti, petens creari in ſe cor mundum, ſpiritum rectum innovari, ſpiritu principali confirmari, & ſpiritu ſancto, ſeu ſanctificationis, & amoris non deſtitui, vocem hanc haudubie Deus exaudiet, & clamor ille veniet ad aures eius, quia, teſte Regio

Pſal. 50. peccatore clamante: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet.* Satiſque ſint hæc duo teſtimonia ex Pſalmo, & libro Regum ad confutandas per Scripturam has duas propoſitiones Queſnellij, quia, vt de his ipſis locis inquit Au-

In Pſal. 50. guſtinus: *Vtraque Scriptura Canonica eſt, vtrique ſine vlla dubitatione à Chriſtianis fides adhibenda eſt.*

11 Hoc eodem ſenſu, atque exactiſsima verborum etiam conformitate, loquitur Tridentinū, dicens: *Certe qui* Seſſ. 14. *illorum Sanctorum clamores* cap. 4. *conſideraverit: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & alios huiuſmodi generis, facilè intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe.* Erunt ne propterea fruſtranei clamores iſti à Tridentino laudati, qui ex nullo amore, ſed imò ex odio manant, non à ſpiritu charitatis, ſed à ſpiritu tribulationis emittuntur? Non ſanè ſecum compatitur amaritudinē tantam, Sanctus Amor, qui eſt conſolator animæ, dulce refrigerium.

12 Quod ſi adhùc contra Tridentinum contendat Queſnellius, & propugnet Anonymus, fruſtraneos eſſe clamores iſtos, neque ad aures Dei pervenire: dicant neceſſe eſt, vt dicunt, inutiles eſſe, neque valere cum alijs actibus peccatorem diſponere ad iuſtificationem, neque ad Dei gratiam impetrandam.

Ve-

Verum ſubeant, vt item neceſſe eſt, anathematiſmum ab eodem Concilio pronuntiatum: *Si quis dixerit .... non eſſe verum, & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam .... anathema ſit.* Aſt non mirum, quamvis nefarium, quod Anonymus, & alij pro ſuo Queſnellio, adhuc vtramque propoſitionem contra Tridentinum tueantur, qui nuper in libello cui titulus: *Devotio Peccatoris*, auſi ſunt de nimia indulgentia arguere Patrem Prodigi, Deum ſcilicet, quod illum ſpiritu tribulato clamantem: *Pater peccavi*, ſtatim, & clementèr audierit.

Can. 5.

13 Non ita profectò SS. PP. (vt iam ad illos veniamus) qui vt vidimus contra Propoſ. *de Diſciplina pœnitentiæ*, laudant in Patre clementiam, & promptam cum illo clamante, & Patrem ipſum invocante, reconciliationem. Quam & nobis ad exemplum proponit S. Ambroſius, dicens: *Cavendum eſt, ne nos ei reconciliationis faciamus moram, quam non fecit Pater. Facile reconciliatur, quando impensè rogatur. Et ideò diſcamus, quali Pater obſecratione ſit ambiendus.* Nempe invocato nomine Patris.

Pag. 77. num. 49. & Pag. 24. n. 7.

Lib. 7. in Luc. cap. 15.

14 At opponit Queſnellius. Non niſi fruſtrà, Patrem invocavit, qui amiſſo per peccatum ſpiritu adoptionis filiorum quem accepit, & à quo vox illa *Pater* pronuntianda erat, iam non eſt dignus, vt ipſe ait, vocari filius ſuus, ſed vnus potiùs ex mercenarijs ſervis, qui ſpiritu ſervitutis timent Deum, tanquam Dominum durum, imperioſum, intractabilem. Verùm obmuteſcat os impudicum auſcultans S. Chryſologum, hæc Queſnellio reſpondentem in perſona miſeri filij exorantis Patrem. *Qua fiducia? Qua confidentia? Qua ſpe? Illa qua Pater eſt. Ego perdidi quod erat filij, ille quod Patris eſt, non amiſit .... Urgentur Patris viſcera iterum filium genitura per veniam. Ibo ad Patrem reus .... Et dicam illi: Pater peccavi in Cælum, & coram te. Confeſſio Patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo.*

Serm. 2. de Prod.

15 En vt non fruſtrà peccator clamat ad Deum *Pater mi*, quamvis tunc non ſpiritu adoptionis filij, ſeu charitatis, ſed ſpiritu pœnitudinis, clamet. Nam non ſolam charitatis, ſed & pœnitentiæ vocem Deus audit, ad iterum peccatori ſpiritum charitatis quem amiſit, donandum, ad iterum illum gignendum per veniam. Et quia omninò cer-

tum eſt, Deum audire peccatores ita clamantes, colligit Auguſtinus, contraria expreſsè Queſnellio ſententia, peccatores non fruſtra clamare, dicens: *Nam & peccatores exaudit Deus: ſi enim peccatores Deus non exaudiret, fruſtrà ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens, diceret: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Hæc Auguſtinus, cui neſcio, an auderet reſpondere Queſnellius, Publicanum illum, & conſequentèr omnes peccatores clamantes, in quorum omnium exemplum ille trahitur, habuiſſe tum iam ſpiritum charitatis.

Tract. 44 in Joan.

16 Sed quia Anonymus totam ſui Queſnellij defenſionem conſtruere laborat ſententijs Sancti Auguſtini ex Commentarijs eiuſdem in Pſalmos, antequam eas ſuo legitimo ſenſui reſtituam, placet integram vnius Pſalmi expoſitionem eiuſdem contra ſtatuere. Eſtque Pſalmus iſte Graduum, & aſcenſionum quas alibi ex Auguſtino explicuimus, nempe à timore, vſque ad amorem; à convalle plorationis, vſque ad montem pacis, illeque incipit: *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Ubi S. Auguſtinus: *Vox hæc aſcendentis eſt ... Clamavit de profundo Ionas, de ventre Ceti: erat non ſolum ſub fluctibus, verumetiam in viſceribus belluæ, nec tamen illud corpus, & illi fluctus interclaſerunt orationem ne perveniret ad Deum, & venter beſtiæ non potuit tenere vocem deprecantis. Penetravit omnia, dirupit omnia, pervenit ad aures Dei.*

Pſ. 129.

Pag. 137 n. 149.

17 Videamus iam ſi clamor iſte qui tot obſtacula ſuperavit, emiſſus fuit à ſpiritu charitatis, vt ad aures Dei perveniret? Non equidèm, & tamen pervenit. Vox peccatoris erat clamantis de profundo peccatorum ſuorum, deſiderantis & ſperantis ab eis liberari. *Unde clamat? De profundo. Quis eſt ergo qui clamat? Peccator. Et qua ſpe clamat? Quia qui venit ſolvere peccata, dedit ſpem etiam in profundo poſito peccatori .... Ecce aperuit de quo profundo clamaret: clamat enim ſub molibus, & fluctibus iniquitatum ſuarum. Circumſpexit ſe, circunſpexit vitam ſuam: vidit illam undique flagitijs, & facinoribus coopertam. Quacumque reſpexit, nihil in ſe bonum invenit, nihil illi iuſtitiæ ſerenum potuit occurrere.*

18 Quamvis ex his ſat apertè colligatur peccatorem iſtum nō clamaſſe tunc ſpiritu cha-

charitatis, ſed ſpiritu timoris, & amaritudinis, adhùc manifeſtiùs id exprimit S. Auguſtinus ſubiungens. *Cum tanta, & tam multa peccata undique, & catervas ſcelerum ſuorum videret, tanquam expaveſcens exclamavit.* Non itaque fuit charitatis clamor iſte, ſed pavoris, ſed timoris, vel de turpitudine, & multitudine peccatorum, vel etiam de pœnis promeritis: nam & poſteà idem S. Doctor exhortans cunctos peccatores exemplo iſtius, inquit: *Si contemnebas minus peccatum, vel pœna magnitudine deterrere.* Quo evidens etiam eſt, S. Auguſtinum non reprobare, ſed imò ſemper probare timorem honeſtum ſervilem, quem multis ex ipſo, & alijs SS.PP. atque ex Tridentino, bonum, & ad iuſtificationem vtilem demonſtravimus contra primam, & reliquas Queſnellianas propoſitiones ſub titulo *de Timore.* Cunctiſque ibi dictis, apprimè conſonant iſta.

Ibidem.

19 Inſuper, quod nec potuerit clamor iſte emitti à charitate, colligitur patenter ex his quæ idem S. Auguſtinus addit, & quibus ſimul indicat totum ſyſtema iuſtificationis peccatoris ſe diſponentis per actus, timoris, ſpei, fiduciæ in meritis Chriſti, & inchoati amoris, vt tandem per charitatem cum gratia habituali habitantem, remittantur ei, & deleantur peccata. *Vidit enim,* inquit, *propè totam vitam humanam circumlatrari peccatis ſuis, accuſare omnes conſcientias cogitationibus ſuis, non inveniri cor caſtum præſumens de ſua iuſtitia.* Ubi cor caſtum non invenitur, certè non eſt, neque eſſe poteſt amor caſtus, ſeu ſpiritus charitatis qui clamet.

Pag. 150 n. 18.

20 Clamavit tamen expaveſcens circùlatrantia peccata, accuſationem conſcientiæ, cor timens, ſed iam ſpe erectum, & præſumens: *Si ergo cor caſtum non poteſt inveniri quod præſumat de ſua iuſtitia, præſumat omnium cor de miſericordia Dei, & dicat Deo.* En iam in peccatore vocem aliam ab ſpiritu ſpei, qua incipit ſuus timor à ſervilitate depurari. Eius autem ſpes de miſericordia Dei, meritis Chriſti innititur, hac fiducia ſperat. *Quæ autem ſpes eſt? Quoniam apud te propitiatio eſt. Et quæ eſt iſta propitiatio niſi ſacrificium? Et quod eſt ſacrificium, niſi quod pro nobis oblatum eſt? Sanguis innocens fuſus delevit omnia peccata nocentium.*

21 Igitur a timore iudicij primo clamante, ad ſpem

 mi-

miſericordiæ ſic peccator erigitur: *Nam ſi non eſſet apud te propitiatio, ſi iudex ſolum eſſe velles, & miſericors eſſe nolles.... quis ſtaret in iudicio tuo? Spes ergo una eſt, Quoniam eſt apud te propitiatio* Hinc aſcendit peccator ad fiduciam ob paſsionem Chriſti, qui pro ipſo factus eſt ſacrificium propitiatorium: & exindè explicat Auguſtinus, quomodo ſit apud Deum propitiatio tanquam lex qua vult iudicare peccatorem confugientem, aſcendentemque per hos gradus ad ipſum. *Eſt ergo lex miſericordia Dei, lex propitiationis Dei, diſtincta à littera legis data Iudæis: Illa timoris fuit: eſt alia lex charitatis. Lex charitatis dat veniam peccatis, delet præterita.* Sed ad hoc opus eſt adhùc, inquit Auguſtinus, quod peccator concordet cum Deo ſibi adverſario. *Concordas autem*, ait, *cum ceperis te delectari facere quod dicit ſermo Dei*. Hæc inchoata delectatio eſt profectò amor initialis, quo poſito: *Iam qui erat adverſarius, fit amicus*, totaque timoris ſervilitas per illum evanuit, quia charitas foras mittit timorem. *Sic finita via, non erit qui tradat te iudici.*

22 Ignoſcat Lector, quod longiuſculè expenderim tam illuſtre S. Auguſtini teſtimonium, nimirùm ad confirmandam iterùm orthodoxam doctrinam ſtatutam a Tridentino circa iuſtificationem peccatoris per Sacramentum Pœnitentiæ re, aut voto ſuſceptum: quia & iterum eam inſidiosè adoritur his duabus propoſitionibus Queſnellius, cuius incurſiones audet Anonymus authoritate S. Auguſtini ſuſtinere: cuius proindè mens, & ſententia, vel hoc ſolo teſtimonio demonſtratur conatibus ſuis omnino repugnans, atque præfatis propoſitionibus ſic adverſa, ut qui conceptis verbis docet, non fruſtra clamare nos ad Deum, etiam ſi non ſit ſpiritus charitatis qui clamat, & non ſolam eſſe charitatem quæ Deo loquitur, nec quam ſolam Deus audit.

23 Videndum iam ſi quæ Anonymus ex eodem S.D. in contrarium allegat, intelligi queant in ſenſu æquè explorato, & quem ipſe pro Queſnellio deſiderat. Primum autem non alium præfefert, niſi quem ibi expreſsè intendit Auguſtinus, & verba ipſa ſignificant, ſcilicet, Deo eſſe orandum, non ore ſolum, ſed corde, & mente, quod idem eſt, ut communitèr dicitur, *attentè, & devotè*, vel ut P. S. Benedictus ait, ſic ut

mẽbs noſtra concordet voci noſtrę. *Sivè ergo*, inquit ibi S. Auguſtinus, *cum voce carnis, quando id opus eſt, ſivè cum ſilentio ad Deum oramus, corde clamandum eſt. Eſt autem clamor cordis, magna cogitationis intentio .... Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur.* At iſta quid ad Queſnellij propoſitum? Nihil prorſus, niſi imò contra: cum optimè ſtet clamor cordis nondùm amantis, ſed tribulati, cum magna cogitationis intentione.

In Reg. cap. 19.

In Pſal. 118. conc. 29.

24 Secundum teſtimonium, ita ſtat integrum apud S. Auguſtinum. *Continuum deſiderium tuum, continua vox tua eſt. Tacebis, ſi amare deſtiteris, quia tacuerunt de quibus dictum eſt, Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Frigus charitatis, ſilentium cordis eſt: flagrantia charitatis, clamor cordis eſt.* Anonymus autem, & Author Hexaplorum, expungunt verba illa: *Quia tacuerunt de quibus dictum eſt, Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum*, ac ſi non forent Auguſtini, & de Scriptura, verba, quæ neque punctis à ſe interpolata notare voluerunt vt videlicet, traherent quæ ſuperſunt, tanquam vnam, & integram componentia ſententiam ad erroneum ſenſum, vel Auguſtino repugnante.

In Pſal. 37.

25 Illa namque quæ omittunt, important expreſſam cauſam tacendi ex frigore charitatis, & ſimul cauſam illius frigoris ex abundantia iniquitatis. Utramque cauſam denotant apertè particulæ illæ, *Quia*, & *Quoniam*, quę aliundè ita conſtringunt totum verborum contextum, vt ſenſus ſit: Ideò quis tacet, quia frigeſcit in illo charitas; & ideò frigeſcit in eo charitas, quoniam abundat iniquitas. Quod ita verum eſt, ac eſt verum illud *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes*, de his qui toto cordis deſiderio terrena expetunt, terreniſque adhærent, & illigantur, de quibus alibi: *Recedentes a te, in terra ſcribentur.* In iis, & in ſimilibus, charitas per iniqua deſideria omnino frigeſcit, & ab eiuſmodi charitatis frigore, muti corde redduntur.

Thren. 2.

Hier. 17.

26 A quo ſenſu eſt prorsùs alienus, quem ex mutilata ſententia Auguſtini eruit Anonymus, nimirum, quod minimè loquuntur ad Deum, ſed imò tacent, qui ex corde non flagrante charitate vota ad ipſum, & deſideria emittunt, quia, videlicet, non niſi ſo-

ſolius charitatis deſiderium, & vox, pervenit ad Deum: aliudque quamvis non ſit deſiderium fruendi rebus terrenis, quamvis non ſit deſiderium recedendi a Deo: quin etiam, quamvis ſit deſiderium accedendi ad ipſum, & habendi charitatem, quale eſt in peccatore deſiderante ſuam iuſtificationem ex timore, ex ſpe, ex fiducia, hoc inquam deſiderium, vox non eſt quæ à Deo audiatur, ſed potius ſilentium cordis eſt ex frigore charitatis.

27 Ita Queſnellius, ſed non ita Auguſtinus, quidquid contendat Anonymus verba eius ſupprimens, & teſtimonium deformans, vt extorqueat ſenſum ab invito: qui adhuc alibi hortatur peccatorem, vt exemplo Davidis, clamet ad Deum gemitibus, clamet voce ſpei, invocet nomen Domini ex tribulatione, & dolore. *Vtilis quædam eſt tribulatio .... Tribulationem inveni, & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi .... Quiſquis peccaſti.... audi David gementem .... Audi eum clamantem, & ſimul clama, audi gementem, & congemiſce .... Si tibi non potuit intercludi peccatum, ſpes veniæ non intercludatur.* (In Pſal. 50.)

28 Quod tandem in vltimo teſtimonio Auguſtinus dicat: *Quam multi ſonant voce, & corde muti ſunt*, nihil pro Queſnellio facit; quia id dicit, corripiens eos qui ore tantum Canticum intonant, & opus non faciunt, nec pè ad illud: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* At plurimum contra Queſnellium totus iſte Pſalmus, qui etiam graduum eſt, perſonat. Incipit namque cis verbis. *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me.* (Pſ. 119.) Ut conſtet Deum audire vocem clamantis etiam de tribulatione, id eſt, non ſolum vocem charitatis, ſed & vocem timoris: nam timor eſt primus gradus vnde peccator tribulatus incipit, adiuvante Deo, aſcendere ad gratiam, & charitatem. Ex quo gradu, & clamat, & auditur à Deo, ait Auguſtinus. *Unde illum exaudivit? Ut iam conſtitueret eum ad gradus aſcendendi, & quia iam aſcenſurus eſt, exauditur.* Itane Anonyme, favet tuo Queſnellio Auguſtinus? Nimirùm, vt & tibi Sacra Scriptura ſuis textibus abutenti in tuis reflexionibus, quemadmodum & in ſuis Queſnellius.

29 Quod namque Apoſtolus dicat: Nos non accepiſſe ſpiritum ſervitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis in quo clamamus, *Pater*, non

non excuſat Queſnellium affirmantem fruſtrà clamare ad Deum *Pater mi*, qui ſpiritu charitatis non clamat, neque item ſuffragatur Anonymo eius defenſionem exindè machinanti. Nam vtrumque accuſat, & caſtigat S. Auguſtinus dicens: *Cavere debemus ne nos arbitremur non accepiſſe ſpiritum timoris Dei, quod ſine dubio magnum eſt Dei donum .... De quo dicit ipſe Dominus Chriſtus: Eum timete qui habet poteſtatem, & animam, & corpus perdere in gehennam.*

De Grat. & liber. arb. cap. 18.

30. Rursùs alibi docet eumdem eſſe ſpiritum ſervitutis, & adoptionis, Quos Queſnellius, & Anonymus non ſolum diſtinguere, ſed & ſeparare tentant, ita vt primus Iudæorum, poſtremus Chriſtianorum ſit. *Si alius eſſet*, inquit Auguſtinus, *non diceret Apoſtolus*, iterum: *Idem ergo ſpiritus*. Poſtmodum docet quod ſpiritu iſto clamamus *Abba Pater*: non quidem ſpiritu charitatis magnæ, & habitualitèr prædominantis, quod volunt Queſnellius, & Janſeniſtæ, ſed cuiuſcumque charitatis quamlibet parvæ, etiam recèns natæ: *Non modo quæritur*, ait, *quanta ſit ipſa charitas, vtrum magna, an parva, an mediocris? Utrum vel ſit quæro. Si nata eſt, latendo creſcit, creſcendo perficietur .... Hac clamamus Abba Pater.* Ex quibus apertè colligitur, quod etiam ſpiritu timoris clamant peccatores ad Deum.

Ser. 13. de Verb. Apoſt.

31. Cum hac tamen differentia, & obſervanda, & ſæpè dictis conſentanea: quod primo clamant ex timore ſervili, ſed honeſto: hic enim eſt primus gradus aſcendentium, ſive quo peccatores aſcendere incipiunt, tuncque clamant non *Pater mi*, ſed *Domine*, nempe vt David, *Ad Dominum cum tribularer clamavi*: quia ſcilicèt clamant ad Deum iudicem, quem tribulati, & timent, & reverentur. Poſteà tamen erecti, & aſcendentes ſuperiorem, & proximiorem gradum ſpei, & fiduciæ veniæ per merita Chriſti, clamant etiam ex timore, ſed iam filiali: quia qui antea ſervilis erat, depuratus jam à ſervilitate, fit filialis, & initialis amor, vocemque illam emittit *Pater mi*, propriam filij timentis, habentisque iam inchoatam, ſeu recens natam charitatem. Atque ita textus Pauli manet nova luce, & Queſnellio adverſa illuſtratus, ſed apprimè conformi cum doctrina Tridentini, & SS. PP. ſupra adductorum, maximè Auguſtini, qui iterum, & aperte illam tradit

Pag. 219 n. 101. Antiq. edit. 120 cap. 18.

in

in ſua Epiſtola ad Honoratum.

32 Secundum teſtimonium Apoſtoli commendantis charitatem, voceſque iſtius ſupra ſermones, ac linguas hominum, & Angelorum; quemadmodum non probat Deum non audire Angelicas laudes, vel ſurdum fieri cum ipſum laudarent aſtra matutina, vocibus etiam contradiſtinctis ab Apoſtolo à vocibus charitatis; ita etiam nec probat, quod Deus non audit alias voces, alios clamores qui non ſunt a charitate. Et quidem propoſitum Apoſtoli, totuſque ibidem contextus, ſi attentè conſiderentur, manifeſte contrariantur ſenſui Queſnellij, & ſimul perſpicue confirmant quæcumque contra ipſum hactenus diximus.

33 Quod evincam ſola eius mentis expoſitione, non alioqui mea, ſed magni illius Interpretis Chryſoſtomi. Poſtquam enim Apoſtolus Corinthios docuit de ſpiritualibus donis, ſeu chariſmatibus,
1. ad Cor. 12.
quas gratias, & virtutes, *Operatur unus, & idem Spiritus dividens ſingulis prout vult*, danturque unicuique ad *utilitatem*: quo manifeſtum ſit, ea opera gratiarum, & virtutum, bona, & utilia eſſe,
Hom. 32.
inquit S. Chryſoſtomus. *Eſt hoc maximè donum Dei, præeſſe, ac curam gerere, & res adminiſtrare ſpirituales. Alioqui autem etiam multa ex iis quæ à nobis rectè, & ex virtute fiunt, appellat dona gratuita.* Haſque ſiggillatim enumeratis, inter quæ, & *genera linguarum* habet, finem imponit capitulo his verbis quæ ad ſequens inchoandum faciunt: *Æmulamini autem chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.*

34 Hæc autem via excellentior charitas eſt, quam laudat, & extollit per comparationem ad ſuperiora chariſmata, & ad genera linguarum, dicens: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Cum itaque hanc viam charitatis dicit excellentiorem, non propterea viam aliarum gratiarum, & virtutum, malam ſine charitate ſignificat, ſed imò bonam, & utilem, ut cum qua charitas non ſolummodò tanquam bona, ſed tanquam excellentior comparatur: & quia illa charitate egent ut perficiantur, ex hoc ipſo bona eſſe, & recta probantur. *Cum charitatis*, ait Chryſoſtomus, *oſtendiſſet excellentiam, ex eo* Hom. 34.
quod & chariſmata, & quæ rectè, & ex virtute geruntur in vita, ea egeant.

35 Ita porrò quæ ante cha-

charitatem erant vtilia, per ipſam fiunt vtiliora: ergo & eadem per ipſam fiunt meliora, ſunt non mala, ſed bona ante charitatem erant. Nimirùm, redduntur meliora, & vtiliora, quia per ipſam ad ſalutem conferunt. Ita Chryſoſtomus:
Hom. 32. *Non dixit maiora, ſed meliora, hoc eſt vtiliora, & quæ conferunt.* Et id etiam innuit idem Apoſtolus dum dicit: *Nihil mihi prodeſt.* Ad quæ Chryſoſtomus: *Atque dicere quidem chariſmata non multum prodeſſe ſi abſit charitas, non eſt mirum.* Quod autem ait, mirandum eſt, & ideò per hyperbolem tantum, & exuperationem dictum affirmat ab Apoſtolo, eſt illud: *Factus ſum velut æs*
Ibi. *ſonans*, & item illud: *Nihil ſum*, ſubiungens: *Quod autem etiam vita perfecta abſque ea nihil poſſit: hoc eſt quod indicat hyperbolem, & exuperationem.*

36 Totus igitur textus iſte Apoſtoli à Chryſoſtomo illuſtratus, contradicit apertè Queſnellio, cum quod ex eo ad ſummùm, & rectè quidem, habetur, eſt, quod qui ſine charitate loquitur ad Deum, linguis, ſcilicèt, aliarum virtutum quas ipſe donat, auditur quidem, quamvis non ideò iure ad ſalutem. Sed fruſtrà non clamat, cum impetrare poſsit, quamvis non condignè mereri, quod petit. Alia autem per hyperbolem, & exuperationem dicta, vt oportuna ſunt ad cauſam generis demonſtrativi agendam, apta forſàm erunt tabulæ Anonymo, vt non iam à ſubſellijs, ſed à Supremo Tribunali, in noſtra iudicium deferre audeat.

LI. PROP. COND.

Fides iuſtificat quando operatur, ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

Att. 13. 39. *Sur ces paroles:* In hoc omnis qui credit iuſtificatur, &c. *La foi Iuſtiſie quand elle opere, mais elle n' opere que par la charitè.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

In Pſal. 31. SANCT. Auguſtinus. *Adhuc dicis* (ò Apoſtole) *Fides quæ per dilectionem operatur. Quomodo hæc quaſi ſecurus ſio, ſi operatus non fuero: hæc autem nec ſpem, nec ipſam fidem videor habere bonam, niſi operatus fuero per dilectionem ..... opus autem fidei dilectio eſt, quia dilectio vacare non poteſt, niſi & mali nihil operetur, & quidquid poteſt boni operetur.*

Libr. de Grat. & lib. arb. Idem. *Fides quæ per dilectionem operatur. Ipſa eſt fides quæ fideles Dei ſeparat ab immundis Dæmonibus, nam & ipſi, ſicut dicit Apoſtolus Iacobus, credunt, & contremiſcunt, ſed non bène operantur.*

NULLAS HIC ANONYMUS REFLEXIONES HABET.

SED Lectorem monet vt videat Sancti Auguſtini Epiſtolam 105. iuxta veterem Editionem, quæ in nova eſt 194.

ANIMADVERSIONES.

1 DUobus erroribus, & palàm invicem pugnantibus hæc propoſitio conſtat, & ex vtroque damnata iam eſt. Quod enim fides iuſtificet quando operatur, error fuit Lutheri, Calvini, & alium Heteredoxorum, qui ad illum ſtabiliendum, tametſi diverſimodè vt Luth. in Epiſt. ad Rom. 1. Calvin. in ant.

vt apud controverſiſtas videri poteſt, abutuntur, vt Queſnellius, teſtimonijs Sacræ Scripturæ, & maximè Apoſtoli.
Seſſ. 6. cap. 8. Contra tamen Sacrum Concilium Tridentinum perſpicuam doctrinam prædictum errorem oppugnantem, Sanctiſsimoſque Canones illum proſcribentes, edidit; docens ſimul, quo ſenſu, & ex perpetuo Eccleſiæ conſenſu, intelligendæ ſunt Sacræ Sententiæ, quæ videntur fidei iuſtificationem attribuere.

2 Quod autem fides non operetur, niſi per charitatem, error alius eſt prædictæ propoſitionis, non item omninò ingratus Luthero, & Calvino: ſed planè Tridentino exoſſus, tum quia in modo quo ad iuſtificationem diſponitur, & præparatur impius, & conſequentèr charitate carens, docet, ipſum excitatum divina gratia fidem concipere, qua libere movetur in Deum, credens vera eſſe quæ divinitus revelata ſunt, qui propterea aſſenſus, opus eſt fidei ſine charitate operantis. Tum etiam quia anathemate percellit dicentes, quod amiſſa per peccatum gratia, ſimul amittitur fides, aut ſi quæ remanet, non eſſe veram fidem. Quod item damnavit Alexander VIII.

Seſſ. 6. cap. 6. — *Ibi. Can. 28.* — *Propoſ. 12.*

3 Itaque propoſitio præſens fat, & evidentèr, demonſtratur digniſsima acri cenſura, & iuſta damnatione ex vtraque parte quibus denuò inſtaurat errores olim proſcriptos. Qui & alias ita invicem pugnant, vt cum affirmat fidem iuſtificare quando operatur, id ipſum deſtruere videatur, cum negat illam operari niſi per charitatem. Etenim, ſi ſenſus foret, fidem eſſe opere ſuo initium iuſtificationis, hoc quod alioqui verum eſt, omninò corruit dum poſteà aſſeritur, illam non operari niſi per charitatem; quoniam opus fidei per charitatem, vt ſupponit in anima iſtam cum gratia infuſam, ſupponit hominem non impium, non iuſtificandum, ſed iuſtum: non incipientem per opus fidei ſuam iuſtificationem; ſed potius hanc probantem, & confirmantem per opus fidei ex charitate iam adepta operantis.

4 Si autem ſenſus ſit, vt eſt, hominem planè, & formaliter iuſtificari per fidem quando illa operatur; id quod alioqui hæreticum eſt, impoſsibile, & prorsus irintelligibile ſine novo errore, redditur per hoc quod adiungitur, ſcilicet, fidem non operari niſi per charitatem: quoniam ad hoc neceſſe eſt, quod charitas præexiſtat cum peca-

catis à quibus iuſtificatur homo per fidem operantem. Nam quemadmodum iuſtificatio per opus fidei, ſupponit fidem quæ operetur; ita & multo potius, iuſtificatio facienda fide operante per charitatem, ſupponit charitatem per quam fides operetur.

5 Ut igitur novum ex antiquis erroribus monſtrum ſua propoſitione Queſnellius fingat, opus eſt novum abſurdum intrudat, quo eius diſcordes partes vtcumque cohærere faciat. Hoc autem ipſiſsimum eſt quod in ſyſtemate de charitate Janſeniſtæ laudant, & probant, quodque iſtos, & Queſnellium docuit antea Michael Bayus, aſſerens, *charitatem perfectam, & ſinceram quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta poſſe eſſe in pœnitentibus ſine remiſsione peccatorum*. Et quod, *charitas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper coniuncta cum remiſsione peccatorum*. His ſolummodò poſſunt conciliari in præfata Queſnelliana propoſitione errores quibus componitur, vt æquè ab eis, & à nexu eorundem abſona, meritò cenſenda ſit execranda.

Propoſ. 31. & 32.

6 Contra quam innumera extant argumenta ex Scriptura, ex Patribus, & ex Theologia, collecta ab his qui viriliter, & ſapienter cum Luthero, Calvino, & reliquis heterodoxis olim pro veritate Catholica decertarunt, quæ quia notiſsima, & cuique aut obvia, aut inventu facilia, apud eos videri poſſunt. Modo ſat è re noſtra erit, demonſtrare ſelectis teſtimonijs SS. PP. quam adverſa ſit ſenſui illorum, & Sacræ Scripturæ, præfata propoſitio, proindeque meritò deteſtanda.

7 Antea autem dignum exiſtimo reflexione, quod cum Queſnellius, & reliqui Janſeniſtæ, ſequuti Bayum, adeò extenuant vires charitatis operantis proprium actum, vt nolint huic concedere remiſsionem peccatorum, & iuſtificationem impij: quam nec charitati quæ ſit plenitudo legis concedit Bayus, ſcilicet, actui proprio dilectionis Dei ſuper omnia, qui finis præcepti eſt, & in quo omnis lex impletur; ſed dumtaxat charitati prædominanti præclarum hunc effectum attribuendum putant: nihilominùs ita in præſenti hanc ipſam charitatem extollunt, tantam ei virtutem, & efficaciam adſcribunt, vt vno opere, non iam ſuo, ſed fidei, per ipſam imperato, peccata remittere, & peccatorem iuſti-

fica-

ficare propugnent. Quod ſane eſt illam infra excellentiam ſuam, & inferiorem fide æſtimare, vt quæ ope fidei facit, quod opere proprio efficere non valet.

8 Non ita prorsùs S. Auguſtinus vbi ab Anonymo laudatur. Ibi namque charitatem iurè prædicat cunctis his teſtimoniis quæ de ea in Sacra Pagina extant, eique, cum perfecta habetur, attribuit ſingulares excellentias ſupra virtutes alias, fidem etiam, & ſpem; harumque perfectionem ab illa eſſe, dicit: non tamen affirmat, charitatem habere hos admirabiles effectus, ſi imperfecta, ſi parva, & incipiens ſit, qualis erat in Petro, quando ſe mortem ſubiturum pro Chriſto dicebat. *Ipſam charitatem*, inquit, *Apoſtolus Petrus nondum habuit quando timore Dominum ter negavit .... Et tamen quamvis parva, & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino : Animam meam pro te ponam.*

De Grat. & liber. arbitr. cap. 17.

Joan. 13. 37.

9 Quo ſuppoſito, vellem mihi dicant Queſnellius, & Anonymus, an putaverit Auguſtinus, Petrum iſta dicentem, & profectò credentem Chriſtum Filium Dei vivi, pro quo morti ſe offerebat, habuiſſe fidem iuſtificantem, quia operantem per charitatem illam quā tunc dicebat, *Animam meam pro te ponam?* Non equidèm id putare poteſt, qui cenſet eam charitatem imperfectam, & parvam fuiſſe, quæ idcircò nequit tribuere iuſtificandi virtutem fidei per illam operanti.

10 Non itaque eſt ſententia S. Auguſtini, quod fides iuſtificat quando operatur, & quando etiam per charitatem operatur. Nam ſi hæc perfecta ſit, aut ſupponit in ſubiecto iuſtitiam, aut illam præſtat formalitèr per ſe, & per gratiam, non per opus fidei: vt præſtat alios admirabiles effectus quos charitati tantum perfectæ adſcribunt Scriptura, & Auguſtinus. Si autem charitas imperfecta ſit, parva, ſeu incipiens, qualis erat tunc in Petro, teſte eodem Auguſtino, etiam ſi illa donum Dei ſit, collatum eſt tamen non ad tunc iuſtificandum per eam, aut per fidem operantem, ſed tunc tantum datur ad præparandum peccatorem ad iuſtificationem per gratiam, & charitatem perfectam operandam, iuxta alibi dicta. *Et quis*, inquit S. Auguſtinus, *iſtam etſi parvam dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem?*

Pag. 138 n. 144.

11 Hic eſt ſenſus verè orthodoxus, & S. Auguſtini

propriùs, dignuſque eiuſdem in teſtimonijs ipſis quæ citat Anonymus. Nam quæ habet
Vbi ſup. cap. 7. in hoc ipſo loco, ſive accipiantur de fide cum charitate imperfecta præparante ad iuſtificationem, ſive de fide operante per charitatem in iuſto, manifeſtum eſt, quod neutra eſt fides illa qua Dæmones credunt, & contremiſcunt: quam eſſe omninò diſtinctam à fide, vel qua fideles præparantur, vel qua operantur, eſt per ſe evidens, & oſtenſum
Pag. 105 num. 51. alibi ex ipſo Auguſtino, & ex Ruperto.

12 Aliud S. Auguſtini teſtimonium multo magis adhuc diſtat à propoſitione Queſnellij. Nam eo loci vo-
In Pſal. 31. lens S. Doctor explicare Apoſtolum dicentem:
Ad Rom. 3. 28. *Arbitramur iuſtificari hominem* per fidem ſine operibus legis: cum
Ad Gal. 5. 6. alibi dicat quod *In Chriſto ſolummodo valet, Fides quæ per charitatem operatur* comparans iſta velati oppoſita, ea affert quæ Anonymus allegat; ſed quæ neque vel apparentèr ſuffragium vllum ferunt Queſnellio, quoniam ſenſus Auguſtini dubitantis ex collatione vtriuſque textus, eſt iſte: Quomodo fides ſine operibus iuſtificat, ſi fides quæ ſola valet, eſt quæ per dilectionem operatur?

13 Id autem non niſi ſenſu nimis coacto, imò extorto, & penitùs contra intentum Apoſtoli, & Auguſtini adacto, deſervire poteſt ad confirmandum quod fides iuſtificat quando operatur, & quod ipſa non operatur niſi per charitatem. Nam Apoſtolus in priori teſtimonio ſolum intendit, quod opera, non fidei, ſed legis veteris; externa ſcilicet, v.g. circunciſionem, de qua ibi agit, non iuſtificant hominem: Auguſtinuſque vult, opera viribus proprijs, & ſine gratia Dei elicita, non poſſe iuſtificare, quod ibi eſt argumentum illius contra Pelagium.

14 Itèm, quod Apoſtolus poſtremo teſtimonio intendit, docetque, eſt, neque circunciſionem, neque alia legis opera in Chriſto valere, aut prodeſſe, ſed ſola fides quæ per charitatem operatur. Unde ait: *Si circuncidamini Chriſtus vobis nihil proderit.* S. Auguſtinus conſequenter etiam docet, neque opera propria, neque fidem ipſam ſine charitate prodeſſe, ſcilicet, ad ita promerendum apud Deum, vt *Fides deputetur ad iuſtitiam.* Quare vtriuſque ſenſus, & propoſitum, paucis comprehenſum eſt. Neque opera legis, aut propria, ſine fide, & gratia, iuſtificare hominem: neque fidem

fidem ipſam, aut opera iſtius ſine charitate, eſſe ita meritoria ſalutis, vt iſta iure, & de condigno illis debeatur.

15 Hæc autem ipſa ſua, & perſpicua veritate, toto, vt dicitur, Cœlo diſtant à falſiſsimis pronuntiatis Queſnellij, qui aſſirmans fidem iuſtificare quando operatur, proprio verborum ſenſu ſignificat, quod opera quæcumque, etiam legis veteris, ſi fiant cum fide Chriſti, iuſtificant: contra ſenſum etiam obvium verborum Apoſtoli, atque Auguſtini, qui neque ibi contra Pelagium agit de his operibus elicitis ſola gratia collata ad credendum; neque vnquàm docuit fidem operantem iuſtificare formalitèr, ſed dumtaxàt eſſe initium iuſtificationis, vt mòx videbimus.

16 Item, cum Queſnellius aſſerit fidem non niſi per charitatem operari, quo ſignificat, opera fidei ſemper per charitatem formata, iuſtificare: id nullatenùs confirmari poteſt ex Apoſtolo, & Auguſtino; quoniam dicentes, ſolam fidem quæ per charitatem operatur, *valere*, & *prodeſſe*, proprio iſtorum verborum ſenſu ſignificant, nulla opera, neque actus, vel aſſenſus fidei, habere ſine charitate valorem, & condignitatem ad ſalutem, & vitam æternam, ſic nimirùm, vt prædicta opera, & fides deputentur operanti, & credenti ad iuſtitiam, vel vt per illa mereatur de condigno iuſtificationem, poſsitque reſpectu æternæ vitæ dicere cum ipſo Apoſtolo: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex.* 2. ad Timot. cap. 4. 8.

17 Hic igitur eſt manifeſtus ſenſus Apoſtoli, & Auguſtini, veriſsimus, & orthodoxus, palàmque diverſus à Queſnelliano, quin & illi planè adverſus. Nam hoc ipſo quod ambo ſemper, & conſtanti ſententia dicant, nulla opera, nec fidem ipſam, valere, prodeſſe ad promerendam condignè iuſtificationem, & beatitudinem; ſat apertè ſignificant dari opera, dari fidem, quæ dum operatur non iuſtificat, & conſequentèr quæ ſine charitate operatur, contra Queſnellium abſolutè, & temere pronuntiantem: *Fides iuſtificat quando operatur, ſed ipſa non operatur niſi per charitatem.*

18 Ita proculdubiò contra ipſum ſentiunt Paulus, & Auguſtinus, his ipſis teſtimonijs pro eo ab Authore Hexaplorum, & Anonymo, conductis, quorum delibatus ſenſus ei planè adverſatur. Idtameq

men adhùc demonſtrandum eſt, alijs eorumdem, & aliorum SS. PP. ſententijs, quæ vt appareant invicé apprimè cohærentes, & Catholicam veramque doctrinam confirmantes, oportet iſtam brevitèr explicatam antea præmittere.

19 Fides ergo ſupernaturalis, quæ non niſi peccato infidelitatis deperditur, & qua Deus ſingulari miſericordia erga impium quamvis indignum, qui ea, vt gratia, charitate, ac reliquis donis privari meruit, ſpoliari noluit, vt nimirùm via illi pateret ad reſipiſcendum, & pœnitentiam agendam; non certò otioſa, ſeù ad nihil operandum relicta eſt in ipſo: alioqui fruſtranea prorsùs foret benigniſsima hæc Dei providentia, quæ fidem ſui ad nihil agendum, ad nihil credendum vellet in peccatore manere. Ergo relicta eſt illi fides, vt per nobiliorem ſui potentiam, & turpitèr peccato fœdatam, perfectiorique eiuſdem in tali ſtatu actu erga excellentiſsimum obiectum, nempè Deum, ſe gerat, agnoſcens ſibi iratum, inimicum, averſumque peccato ſuo feciſſe, quem maximè colere, & obedire tanquam Dominum debuerat, atque vt Patrem pijſsimum, & munificentiſsimum benefactorem amare.

20 Hæc eſt fidei prima in peccatore operatio, ad quam alias omnini deſunt auxilia Dei nolentis vnquam peccatoris mortem, volentiſque ſempèr, ac seriò, vt convertatur, & vivat, eique, Deo aſsiduè adiuvante, non difficultèr ſuccedunt alij actus propriæ confuſionis, concuſionis ex timore concepto, amaritudinis animæ, deteſtationis peccatorum, ſpei in miſericordia, & meritis Chriſti, contritioniſque cum voto, aut ſuſceptione Sacramenti, quibus tandèm Deus annuit largiens peccatori cum charitate gratiam ſanctificantem. His enim actibus, ſeu operationibus, præparatur peccator ad iuſtificationem, & hæc eſt iſtius ſeries ſupra a Tridentino, & PP. deſcripta, & commendata. *Pag. 138 n. 144.*

21 Cuius profectò fides ſua prima operatione initium eſt. Eam enim inchoat ex parte peccatoris, quam Deus ex parte ſua priùs, & gratìs incepit, fidem conſervans, & auxilia quibus peccator operetur conferens. Sic porrò fides iuſtificat quando operatur, ſcilicèt, eſt initium iuſtificationis, inchoat illam, incipit ad eam præparare. Non iuſtificat

ficat ipſa, vt abſolutè enuntiat Queſnellius, qui neque alitèr vlla benignitate intelligi poteſt, quoniam addens: *Sed ipſa non operatur niſi per charitatem*, apertè ſignificat, illam non inchoare, ſed perficere, ſed conſummare iuſtificationem, eſſeque veram formam iſtius, vt gratia ſanctificans, à qua eſt inſeparabilis charitas; contra Tridentinum aſſerens hanc eſſe vnicam iuſtificationis formam. Seſſ. 6. cap. 7.

22 Non igitur in hoc ſenſu poteſt abſque errore dici quod fides iuſtificat quando operatur. Atque novo etiam errore contendit Anonymus, quod in eo ſenſu intelligi debent, vel Scriptura, vel Patres, vt faveant Queſnellio, ſiquidè contradicit Tridentino aienti: *Cum verò Apoſtolus dicit iuſtificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit: vt ſcilicet, per fidem ideò iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis..* Seſſ. 6. cap. 8.

23 Rursùs, ipſe, ſuuſque Queſnellius dum aſſerunt, fidem quæ operando iuſtificat, non operari niſi per charitatem, refragantur Tridentino ſubiungenti: *Gratis autem* Ibid. *iuſtificari ideò dicamur, quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ſivè fides, ſivè opera, ipſam iuſtificationis gratiam promerentur.* Nam cum certum ſit, quod opera per charitatem formata, & per gratiam conſequentèr dignificata, ſunt meritoria de condigno augmenti gratiæ, & gloriæ, manifeſtum proindè fit, quod cum Concilium ait, opera quæcumque, etiam fidei, quæ præcedunt iuſtificationem, non promereri gratiam, ſentit profectò, & ſentiendum docet, quod fides quandoque operatur ſine charitate, nempè cum præcedit iuſtificationem, vt præparatio, vt initium, non vt forma.

24 Id quod Apoſtolus, ne quidèm obſcurè innuit, dicens: *Accedentem ad Deum oportet credere*, tunc nimirùm, quando incipit accedere, & converti, non tantum cum iam perfectè accedit, aut converſus eſt. Ita namque eſt initium iuſtificationis, quod perſpicuè exprimit S. Auguſtinus. *Poteſt*, inquit, *fieri rectum, quod in ſe fuit pravum cor hominis. Ut autem cum Deo ſit, & per hoc rectum eſſe poſſit, accedit ad eum non pede, ſed fide .... Voluntas igitur quæ eſt in corde recto paratur à Domino fide præ-* Ad Hebr. 11. In Pſal. 77.

credente, qua acceditur ad Deum directum, vt cor fiat rectum. Quæ fides, præveniente, & vocante miſericordia Dei, per obedientiã ſuſcitatur, & applicare incipit ad Deum cor vt dirigatur. Non potuit ſane tradi expreſsius iuſtificationis ordo, & initium, vt à Concilio explicatur. Nec poteſt, clarius perverſa Queſnellij theſis demonſtrari Auguſtino adverſa.

25 Verùm adhuc Anonymo debeo inſigne aliud eiuſdem S. D. teſtimonium æque Tridentino conſonum. Quippè in ea ipſa Epiſtola quam nobis legendam commendat, & quæ locupletiſsimus ſuæ adverſus Pelagianos doctrinæ epilogus eſt, ea habet Auguſtinus quæ veramque partem propoſitionis Queſnellij, ſic apertè oppugnant, vt Anonymus eam laudans, ex animo contra Queſnellium agens exiſtimari poſſit. Præmiſſo namque quod gratis datur impio gratia qua iuſtificatur, vt affirmat Concilium: quia, *Percipiendæ huius gratiæ merita nulla præcedunt, quoniam meritis impij non gratia, ſed pœna debetur.* Neque ad id verificandum ſufficere ſi dicatur, quod gratia quæ datur ſine meritis, eſt gratia creationis, quo Pelagius callide vitavit damnationem in Concilio Palæſtino.

Epiſtol. 105.

26 Hoc inquam præmiſſo, pergit S. Auguſtinus explicare totam iuſtificationis impij ſeriem, dicens. *Poſſunt* (Pelagiani) *quidem dicere remiſsionem peccatorum eſſe gratiam quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti poſſunt peccatores? Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritum fidei: qua fide ille dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui ſe humiliat, exaltabitur. Reſtat igitur, vt ipſam fidem vnde omnis iuſtitia ſumit initium .... non humano, quo iſti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec nullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque ſunt merita, ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis cogitamus.*

27 Ita Tridentino præluxit Auguſtinus, docens exemplo etiam Publicani (vt neque Sacræ Scripturæ authoritas deſit) quod fides inchoat iuſtificationem impij; non autem ipſa iuſtificat. Sic verò eſt initium illius, vt nullum,

neque ab ipſa fide, præcedat opus quod ſit condignum iuſtificationis meritum, vel cui iſta debeatur. Igitur & tunc operatur fides, & per charitatem tunc non operatur; niſi fingere placeat Queſnellio opus charitatis non meritorium. Quo ergo ſpiritu tunc fides operatur? Spiritu hauddubiè timoris honeſti, ſpiritu contrito, & humiliato, quo Publicanus ille credebat, ſperabat, exorabat peccatorum remiſsionem.

28 Tot actibus præparatur peccator ad iuſtificationem, cuius integram diſpoſitionem inchoat fides, quæ nec formaliter, vt cenſet Queſnellius, neque adhùc ſtrictè meritoriè, iuſtificat; alias iuſtificatio non foret gratuita. Sed tamen aliquale meritum, non rigoroſum, ſed quod dici ſolet de congruo, eſt ipſa fides, componens cum reliquis præparationibus integram diſpoſitionem, ſcilicet, contritionem aptam, & neceſſariam non ad merendum, defecta charitatis, ſed dumtaxat ad impetrandam remiſsionem, vt Concilium, in hoc etiam ſenſu, & verbis cohærens Auguſtino, ait de illa: *Fuiſſe quovis tempore neceſſariam ad impetrandam veniam peccatorum.* Quia autem pura impetratio, vt non

Seſſ. 14. cap. 4.

eſt verum meritum, nullum item ius fundat, ſeu habet ad id quod impetrat, adhuc ea ſuppoſita, iuſtificatio eſt gratioſa, & indebita.

29 Peccatori iam hoc modo, ſeu his actibus diſpoſito, peccata remittuntur per gratiam, & charitatem gratis a Deo infuſas, & ipſi donatas, quibus iuſtus efficitur: nam vt ait Apoſtolus: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Cuius primus effectus eſt remiſsio peccati: ſecundus, non ſecundarius quaſi minus nobilis, ſed potiſsimus, & cui prior veluti ad parandam mundam habitationem deſeruit, eſt reddere hominem iuſtum, ſanctum, Deo gratum, & amicum, per inhabitantem Spiritum Sanctum, donis ſuis, & præſertim charitate, quæ ſua caracteriſtica proprietas eſt, ad eum miſſum, venientemque, & ſecum afferentem potiora auxilia gratiæ, quibus voluntas iam ſanata placidius ſinit ſe adiuvare ad bene deinceps vivendum, & perſeverandum, prout oportet ad ſalutem æternam comparandam.

Ad Rom. 3. 24.

30 Non noſtra, quamvis alioqui fidei, & ſententiæ noſtræ propria, hæc ſunt; ſed S. Auguſtini vbi ſupra dicentis: *Deindè, poſt remiſsionem peccatorum, niſi mundatam domum*

Num. 26

Lll2

mum habitet Spiritus Sanctus, nonnè cum alijs ſeptem redit ſpiritus immundus, & erunt noviſſima hominis illius peiora, quam erant prima? Ut autem habitet Spiritus Sanctus, nonne ubi vult ſpirat, & charitas Dei ſine qua nemo vivit, diffunditur in cordibus noſtris, non a nobis, ſed per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis? Hanc enim fidem Apoſtolus definivit.

31 Cuncta vera, & Theologica dogmata de iuſtificatione peccatoris, per fidem, perque alias proprias diſpoſitiones inchoanda, & per gratiam, & charitatem perficienda, comprehendit S. Auguſtinus his, & præcedentibus verbis. Cui & adeo conformatur Tridentinum, vt totam ſenſum, & integras ex illo ſententias, vbi de re iſta agit, ex illo deſumpſiſſe videatur; vt proinde gratias referam Anonymo, qui tam locupletem Auguſtini locum indigitavit, & vnde ſic Queſnellij propoſitio illi repugnans, ac ſimul falſa, & impia manifeſtè evincitur: vt quæ affirmat fidem, nedùm eſſe opere ſuo initium iuſtificationis, ſed & iuſtificare: itemque, eam operari tunc per charitatem, nondum per inhabitantem Spiritum Sanctum diffuſam.

Seſſ. 6. cap. 6. 7. 8. & 10

32 Nec tam abſurda poſitio apparere poteſt vtcumque conſtans, niſi quam plurimis erroribus, neque etiam cohærentibus referta. Primò, quod fides cum operatur iuſtificat: vnde numquam opere ſuo præparat tantum ad iuſtificationem: ſitque alias, & intelligitur facta iuſtificatio, non facta, aut non intellecta præparatione. Secundò, quod opus fidei iuſtificantis, nō fidei, ſed charitatis opus eſt: quare nō iā fides, ſed charitas eſt quæ iuſtificat. Tertiò, quod fides non operatur niſi per charitatem: vnde quando fides opere ſuo inchoat iuſtificationem, iam adeſt charitas per quam operatur. Quartò, quod charitas ſupponitur diffuſa, vt per illam fides operetur: at non diffuſa per Spiritum Sanctum inhabitantem, qui non niſi poſt remiſsionem peccatorum inhabitat; hoc enim propriè ſignificat *manere*, vtque idem S. Auguſtinus alibi ait: *Erit Spiritus Sanctus in eis vt maneat, non manebit vt ſit: prius eſt enim eſſe alicubi, quam manere.* *Tract. 77 in Ioan.*

33 Quamvis namque Spiritus Sanctus, qui vbi vult ſpirat, ſit ipſe qui inſpirat peccatori ſuam converſionem, & pœnitentiam, ita enim cuius vult miſeretur, ipſeque *1. ad Cor. 12.* totam peccatoris præparationem prævenit, quia eſt ſpiri-

tus

tùs fidei, timoris, conſilij, pietatis, &c. non eſt tamen diffundens in cordibus charitatem, niſi cum inhabitat, & manet. *Omnia hæc*, inquit S. Auguſtinus, *operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens propria vnicuique prout vult: quia ſpiritus vbi vult ſpirat; ſed quod fatendum eſt, aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans, adiuvat vt ſint fideles, inhabitans adiuvat iam fideles.*

Vbi ſup.

34 Docet itaque Auguſtinus, quod Spiritus Sanctus cum prævenit converſionem peccatoris, illum adiuvat vt credat, ita enim eius iuſtificatio per fidem operantem inchoatur. Tunc tamen nondum eſt inhabitans, aut manens, & proinde conſequenter, nec diffundens charitatem. Quare tunc fides operatur, ſed tamen nec iuſtificat, neque operatur per charitatem. Cum autem poſt fidem, & reliquas præparationes, fit peccatorum remiſsio, & iuſtificatio, tunc charitas diffunditur per Spiritum Sanctum inhabitantem, & manentem, deincepſque poteſt iuſtus cum adiutorio Dei credere fide per charitatem operante. Hoc quamvis Auguſtinus fatendum cenſeat, diffitetur tamen Queſnellius contrarium petulantèr enuntians.

35 Nec minus contradicit alijs SS. PP. eodem modo loquentibus, quorum pauca allegare ſufficiat. S. Ambroſius, ſeu Hilarius Diaconus, inquit: *Ad iuſtificationem enim datur* (Spiritus Sanctus) *vt adiutorio ſuo iuſtificet .... Signum enim iuſtificationis hoc eſt in homine, vt per id quod inhabitat in eo iuſtificatus appareat eſſe Filius Dei.*

In Ep. ad Rom. 8. 10.

36 S. Chryſoſtomus ſæpiſsimè, & præſertim in Comment. ad Epiſt. Pauli, docet fidem inchoare iuſtificationem, & ſanctificationem quam conſummat charitas, fidemque ita laudat: *Fides gloriam inchoat .... illa fundamentum ponit.... illa dat principium.... illa initia creaulitatis aggreditur.* Hæc ſunt eius de fide encomia: non quod iuſtificat, vt ait Queſnellius, quod ſolius charitatis cum gratia proprium eſt, ſine qua, opera illa, propria fidei ſunt, & a Spiritu Sancto donata, ſed non tunc perfecta, & meritoria. *Omnia enim*, inquit, *quæ Spiritus Sanctus devotis, aut impartit, aut donat, aut charitate perficiuntur, aut ſine charitate effectum nullum ſortiuntur*, ideſt meritorium ſalutis.

Serm. de Fid. ſpe, & Char.

37 S. Theodoretus nomine ſponſi loquens cum ſpon-

ſponſa, ideſt cum anima, inquit, *Venies, atque pervenies ab initio fidei, a capite Sanir & Hermon .... Sic autem venies, & pervenies, quoniam ad me non per incredulitatem, vt primus homo .... iter facere cœpiſti, ſed per fidem, quæ quidem fides, vt caput, principium eſt ad virtutem.* Poſteaque animam ſic venientem, & pervenientem copulatam Deo per charitatem, & ipſi deſponſatam dicit: *Propter voluntarium autem charitatis vinculum, atque vnionem ſpiritus, deſponſata es mihi.*

Lib. 1. in Cant. Cant.

38 S. Gregorius Magnus crebro, & expreſſiſſime tradit hunc eundem modum quo iuſtificatur peccator incipiens per fidem operantem tunc ſine charitate, vt demum fiat iuſtus per gratiam, & charitatem, quibus deinceps meritorie operetur. Hocque iuſtificationis initium a fide, non ſpiritu amoris operante, ſed ſolummodo ſpiritu timoris, anxietatis, & amaritudinis animi, quibus peccatores ad iuſtitiam, & charitatem præparantur, ita perſpicue deſcribit, vt videatur Tridentinum ſua dogmata de re iſta verbis S. Gregorij ſtatuiſſe.

In Libris Moral.

39 *Cum vero*, inquit, *audire perverſi verbum prædicationis cœperint, quæ ſint ſupplicia æterna cognoſcere, qui terror iudicij, quam ſubitis examinatio de ſingulis quibuſque peccatis; illico contremiſcere, implentur gemitibus, & non ſe capientibus, ſuſpirijs anxiantur, atque magno pavore concuſſi, in luctu, & fletibus erumpunt .... Qui enim prius quieti tacebant in vulnere, tacti poſtmodum manu medicinæ cum dolore redeunt ad ſalutem.* Inchoat ergo converſionem fides, non iuſtificat; operatur, & non per charitatem; ſed iſtam ita præcedit, vt margo thalamum, qua pulchra comparatione vtitur S. Gregorius dicens: *Quid ergo per marginem ante thalamos, niſi fides exprimitur, quia niſi prius ipſa teneatur, nullo modo ad ſpiritalem amorem pertingitur. Non enim charitas fidem, ſed fides charitatem præcedit.*

Lib. 1. in Ezech. Hom. 10. 11.

Lib. 2. in Ezech. Hom. 4. 13.

40 S. Bernardus id ipſum apertiſsime explicat, dicens: *Primum itaque ſyncera radix ſanctæ fidei in terra humano cordis plantatur, cui inſeretur ramuſculus ille ſanctæ arboris, id eſt timor Domini qui dicitur initium ſapientiæ. Cum hoc incipit, & cum iſto aſcendit vſque ad plenitudinem luminis. Cumque fides plenè adulta fuerit, velut quædam magna eſt arbor;*

Libr. de Ord. Vitæ

bor, diverſa in ſe habens poma, ex quibus reficitur anima plena Deo: & tunc adhæret ei timor ille caſtus, & ſanctus, æternæ charitatis, qui permanet in ſæculum ſæculi. Hæc eſt enim fides illa quæ per dilectionem operatur, vt homo nova creaturâ efficiatur. Hæc ille non minùs opportunè, quàm conſentanea etiam Concilio, & reliquis Patribus.

41 Mitto plurima aliorum, apud quos omnes nihil ſolemniùs, nihil decantatius, quàm quod fides eſt introductoria charitatis, quod ſufficit, ne cenſeri poſsit eis grata, ſed imò habenda ſit omnino contraria, propoſitio præſens. Nam ei ſenſu, & verbis contradicentes, totam ſimul doctrinam Tridentini, quam Queſnellius parvipendit, manifeſtè præfirmant, ſimulque confulciant quæcumque ex eodem Concilio, & PP. adverſus theſes *de Timore*, & quæ circa iuſtificationem peccatoris ibi, & ad præcedentem propoſitionem attulimus; cuncta enim ab his teſtimonijs novam lucem accipiunt. Quia namque Queſnellius tenacem conſequentiam in ijs erroribus mordicùs ſervat; nos etiam conſonis ſemper ſententijs Scripturæ, Conciliorum, & Patrum eius confutationi inſiſtimus. Etenim vt olim Eunomius apud S. Cyrillum,

Queſnellius, *Eadem ſæpiùs ad decipiendos ſimpliciores clamat.* *Libr. 2 Theſ. c. 2.*

LII. PROPOS. COND.

Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquã in ſuo germine, & ſemine. Sed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Act. 10. 43. *Tous les autres moiens du ſalut ſont renfermez dans la foi, comme dans leur germe, & leur ſemence. Mais ce n'eſt pas une foi ſans amour, & ſans confiance.*

NOTULA ANONYMI.

LOCA SS. PP. oſtendunt quam ſtrictim fides, amor, ſpes, ſeu fiducia, quas P. Queſnellius in hac propoſitione recolligit, inter ſe connectantur.

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De Incar. & Grat. cap. 19. & 20. SANCT. Fulgentius. *Quomodo autem Chriſtus in ſuis formari poteſt, niſi quomodo in eis habitare incipit, ideſt, per fidem? .... Dum ergo reformamur, renovamur, & in eo quo renovamur, vivificamur. Vita autem noſtra à fide ſumit initium quia juſtus ex fide vivit.*

De Incar. & Grat. art. 18. Petrus Diaconus. *Sine hac igitur gratia poteſt quidem cogitare, & deſiderare humana, non autem poteſt cogitare, aut velle, ſeu deſiderare divina: quorum primum eſt, & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo, ſive omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum.*

Ad Monim. lib. 2 cap. 9. S. Fulgentius. *Simon Magus credidit, & Baptiſmi Sacramentum accepit: nam & Dæmones dum credunt, & contremiſcunt videntur habere fidem; ſed nihil eis prodeſt, quia non habent charitatem.*

Epiſtol. 120. S. Auguſtinus. *Pia fides ſine ſpe, & ſine charitate eſſe non vult. Sic igitur homo fidelis debet credere quod nondum videt, vt viſionem & ſperet, & amet.*

Enchir. cap. 8. Idem. *Proinde, nec amor ſine ſpe eſt, nec ſine amore ſpes, neque vtrumque ſine fide.* ANI-

ANIMADVERSIONES.

1 NON aliò collimat hæc integra propoſitio, nõ aliud intentat, niſi fatale excidium fidei, per quodlibet peccatum mortale, ſivè in quocumque peccatore, etiam non infidelis. Cum namque gratia, & charitas, amittantur per peccatum mortale, ſi fides continens ſalutis recuperandæ media, non eſt, aut non exiſtit, abſque amore, colligitur neceſſariò, quod pereunte per peccatum amore, & illa pereat. At, vt vel ex hoc tantum ſit digna execratione propoſitio, ſufficit quod per Tridentinum his verbis damnetur. *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva: aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.* *Seſſ. 6. Can. 28.*

2 Interque damnatas ab Alexandro VIII. hæc extat, vel eadem, vel ſimillima propoſitio. *Prop. 12.* *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiam ſi videantur credere, non eſt fides divina, ſed humana.* Qua, rogo, via poteſt effugere Queſnellius anathema Concilij, & damnationem Alexandri? Non alia profecto, niſi horrenda illa de charitate prædominante Janſeniſtica doctrina, qua propugnet non amitti charitatem, non deficere omnem amorem, per vnum, vel aliud peccatum læthale, niſi cum perverſa cupiditas ſit quam plurimis peccatis adverſus charitatem prædominans. Quare non amiſſa totalitèr charitate per peccatum mortale, non deficiente tunc omni amore, non deficit fides. Unde ne propoſitio præſens iure damnetur, inſtauranda ſunt proſcripta Janſeniſtica dogmata; quibus innititur.

3 Verum hæc, & abſurdior cauſa defenſio, alijs, & dignis cenſeris condemnata, vt iam vidimus, non adhuc ſufficit vt Queſnellius, & Janſeniſtæ valeant eludere anathema Concilij, quoniam verbis illis: *Si quis dixerit amiſſa per peccatum Gratia*, aut manifeſtè definit, aut potius tanquam iam a ſe definitum ſupponit, gratiam, & conſequenter charitatem ab ipſa inſeparabilem, per peccatum quodlibet mortale totalitèr amitti. Nam antea, *Adverſus hominum quorumdam callida* *Seſſ. 6. cap. 15.*

ingenia (veluti his verbis commonſtrans Janſeniſtas) docuerat, *quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iuſtificationis gratiam amitti.* Rurſus: *Si quis dixerit .... nullo alio peccato quamtumvis gravi, & enormi .... ſemel acceptam gratiam amitti, anathema ſit.* Mala itaque cauſa, peiuſque eiuſdem patrocinium, non niſi conculcato Tridentino ſuſtineri poſſunt.

Can. 27.

4 Prior inſuper pars propoſitionis ſenſum prorſus falſum, & intolerandum, vt repugnans orthodoxæ doctrinæ, & SS. PP. continet. Nam quamvis verum ſit, quod fides eſt, *initium*, *radix*, & *fundamentum* ſalutis, quod ijs maximè expreſsionibus docent Concilium, & PP. ſignificantes peccatorem per fidem inchoare ſuam converſionem, iuſtificationem, & renovationem, vt ex ipſis contra præced. Propoſ. ſtatutum eſt; nihilominus aliquid amplius, maiuſve, & idcircò abſonum eſt, quod præſeferunt verba ipſa Queſnellij dicentis: *Omnia alia ſalutis media contineri in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine.* Qui ne cum Concilio, & Patribus loquatur, mavult Fidem appellare *ſemen*, & *germen*, quam radicem, fundamentum, initium ſalutis.

5 Sed enimverò ſingularitas adeo in verbis ſtudioſa, non niſi abſurdum ſenſum inſtillare poterat. Nam vt poſsit eſſe verum, quod omnia alia ſalutis media contineantur in fide, tanquam in ſemine, & germine; opus eſt, & prorſus neceſſarium, quod cuncta alia, ſeu quæcumque ſint media ad ſalutem, contineantur in fide, præter ipſam ſolam fidem; quippè id ſignificant vniverſali, & obvio ſenſu ſuo verba illa: *Omnia alia.* Iam ergo neceſſum eſt, vel quod in fide contineantur tanquam in ſemine, & germine, ea quæ neceſſariò præcedunt ipſam fidem, vt ſunt gratia divina ad credendum, pia voluntatis affectio, & auxilium Dei ad iſtam: vel dicendum, quod hæc nequaquam ſunt ad ſalutem media.

6 Alterum namque, aut alterum, inevitabilitèr ſequitur ex poſitione Queſnellij, & vtrumque planè abſonum eſt. Quod enim in fide contineatur tanquam in ſemine, & germine, gratia qua Deus prævenit hominem ad credendum, affectioque voluntatis, vel moventis, vel imperantis aſſenſum, ac tandèm auxilium quo pia iſta affectio

eaçi

excitatur, tam ingens chymęra eſt, ac ſi dicatur, germen ipſum fidei, nempe gratiam, in fide tanquam in germine eſſe; & ſemen fecundum fidei, nempè auxilium, in præexiſtente iam fide contineri: vt nimirùm germinet fides gratiam virentem, potentem, & facientem ſemen eiuſdem gratiæ. Quin, & germinet ſeipſammet fidem, vt quæ cum ſit, iuxta Queſnellium, ſuæ cauſæ, & principij origo, neceſſe etiam eſt, vt & ſui ipſius origo, & principium ſit.

7 Quamobrèm ſuam propriam Queſnellius facit cauſalem illam Pelagianam: *Ideò accepimus gratiam, quia credimus*, odioſam Apoſtolo dicenti: *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt*, proptereàque ſæpiùs refutatam ab Auguſtino aiente: *Ergo ſpiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando ut poſſimus facere quæ iubentur.* Neque illius tantùm, ſed omnium SS. PP. conſtans aſſertio, & decantata doctrina eſt, quod gratia prævenit, præceditque fidem. Quapropter potiùs ipſa germen eſt fidei, quam fides gratiæ.

Ad Epheſ. 2. 8.

Lib. de Grat. & lib. arb. cap. 7. & 14.

8 Idemque Catholicè cenſendum de pia affectione ad credendum, & de auxilio divino ad eam requiſito. Illa namque ſic præſupponitur exacta ad fidem, vt a qua, vel maximè, vel vnicè meritorius, ſeu impetratorius evadit aſſenſus. Unde S. Auguſtinus inquit: *Magnum meritum habuit fides eorum, cui fidei comparandæ, cor tantum admoverant pium.* Nec niſi ex dono Dei, & eius auxilio, haberi poteſt quod ita cor pium admoveatur, vt affectu ſuo voluntas intellectum permoveat ad aſſenſum, vt idem S. D. expreſsè affirmat teſtimonio etiam Apoſtoli, dicens: *Iam quidem de fide, hoc eſt de voluntate credentis, uſque adeo eam demonſtravi ad gratiam pertinere, ut Apoſtolus non diceret. Miſericordiam conſecutus ſum, quia fidelis eram; ſed diceret: Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem.*

Serm. 18 de Verb. Dom.

De Grat. & liber. arb. cap. 14.

9 Queſnellius autem propoſitione ſua longè alias cauſales, & contrarias Apoſtolo, & Auguſtino enuntiat. Scilicèt: Nos ſalvari, non Gratia præveniente fidem, ſed fide germinante gratiam. Neque ſpiritus gratiæ facit vt habeamus fidem; ſed imò fides facit vt habeamus gratiam, cuius nempe ſemen eſt. Nec rurſus cor pium ad fidem

comparandam admovetur; ſed potius fides iam comparata præhabet divinum auxilium quo admovetur cor, præhabetque piam affectionem, & voluntatem credendi, quibus comparanda eſt. Ita planè Queſnelius contradicit Apoſtolo, & Auguſtino.

10 Si tamen ſequelam adeo abſonam fugiens, alterum, & neceſſarium ſupradicti dilemmatis extremum amplectatur, dicens: Neque adiutorium Dei quo admovetur cor ad credendum, neque pia hæc voluntatis affectio, neque demùm auxilium quo quis credit, eſſe media ad ſalutem; propterea que minime ſignificari hac Queſnelliana propoſitione, quod iſta contineantur in fide, tanquam in ſemine, & germine. Si id, inquam, dicat Queſnellius (vel Anonymus pro eo) aliud nec minus horrendum tuebitur abſurdum, pugnans etiam adverſa fronte cum Scriptura, Tridentino, & Patribus.

11 Verba namque illa: *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, palam ſignificant eſſe media neceſſaria ad converſionem, iuſtificationem, & ſalutem, divinam gratiam prævenientem, vocantem, excitantem, adiuvantem; eiuſque effectus, nempè, motionem cordis, ſeu piam voluntatis affectionem, fidemque, quibus peccator liberè incipit ſe convertere, totumque ſuæ iuſtificationis, & ſanctis negotium: quod ex prædicto textu docet, definitque Tridentinum.

12 Nimirum: *Iuſtificationis exordium à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione.* Item: *Per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum ſe diſponantur.* Rurſùs: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem .... Neque ſine gratia Dei movere ſe ad iuſtitiam libera ſua voluntate poſſit*: quia iuxta illud: *Converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur.* Tandem: *Diſponuntur ad ipſam iuſtitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum credentes, &c.* Seſſ. 6. cap 5. Ibi, c. 6.

13 Non poteſt ſanè præciſiùs, & expreſsiùs tradi, quam propriiſsima media ſint ad ſalutem, omninò neceſſaria, & fidem ipſam præcedentia, gratia præveniens, vocans, excitans, adiuvans, & eiuſdem primus effectus, qui eſt motio, & affectio cordis, & voluntatis ad credendum: ut non, niſi deſpecto Concilio, ſuſtineri valeat propoſi-

tio quæ affirmans omnia ſalutis media contineri in fide tanquam in germine, & ſemine, hoc ipſo cenſet, vel quod prædicta gratia, ſuuſque laudatus effectus, non præveniunt, aut præcedunt fidem; vel quod non ſunt ad ſalutem media. Utrumque autem, vel alterutrum qui dicat, neceſſe eſt hanc ſuſtineat Canonicam

Seſſ. 6. Can. 3. ſententiam: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet ut ei iuſtificationis gratia conferatur: anathema ſit.*

14 Concilio præivit S. Auguſtinus rem totam luculentiſsimè exponens duabus inſtitutis quæſtionibus: quarum

De Spir. & Litt. cap. 30. prior eſt: *Utrum fides ipſa in qua ſalutis, vel ad ſalutem .... eſſe videtur exordium, in noſtra conſtituta ſit poteſtate?* Quam definit docens, eam in noſtra eſſe poteſtate, non à nobis, ſed à Deo, nimirum auxilio ſuo dante poteſtatem ad aſſenſum, ita tamen (quod ex hinc notatum à Queſnello, & Janſeniſtis volumus) ut quamvis à Deo ſit auxilium, quo poſſumus credere, non verò tale eſt, ut illo, non liberè, ſed neceſſariò credamus: *Cum poteſtas datur*, inquit Auguſtinus, *non neceſſitas utique imponitur.* Cui & conſonat Tridentinum dicens: *Liberè moventur in Deum credentes* *Ubi ſupr.* ſed præventi, ac *excitati divina gratia, & adiuti*: ita porrò Auguſtinus: *Ut credamus*, inquit, *Deus dedit*. Rurſùs ait: *Quia & hoc acceperunt: dedit enim poteſtatem ille unicus filios Dei fieri credentibus in nomine eius, eoſque admonuit, petere quærere, pulſare ut accipiant, & inveniant.* Et hæc de prima quæſtione.

15 Altera quam exagitat eſt: *Utrum voluntas illa qua credimus etiam ipſi Dei donum ſit?* *Ibid. c. 31.* Quæ procul dubiò procedit de pia affectione qua cor, ſeu voluntas ad credendum admovetur. Cuius partem affirmativam tenet capite ſequenti, multis demonſtrans quod, *Voluntas qua credimus dono Dei tribuitur .... Quia viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus,* *Cap. 34.* *ſivè extrinſecus per Evangelicas exhortationes .... ſivè intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat: neque enim credere poteſt quolibet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui*

credat: profectò, & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius prævenit nos: Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.

16 Illuſtre equidèm eſt teſtimonium illud, locupletiſsimum totius orthodoxæ, & veriſsimæ doctrinæ ad concordiam gratiæ, & libertatis ſpectantis, ideoque expendendum ſuo loco contra Queſnellum inſtaurantem famoſas de hac re propoſitiones Janſenij: ſed quo etiam præſens Queſnelliana theſis demonſtratur quo ad vtramque partem, & falſa, & non minùs quam Tridentino, S. Auguſtino adverſa.

17 Ut namque Gratia vocationis Dei, quia prævenit piam affectionem, & voluntatem credendi, non poteſt in iſta contineri tanquam in ſemine, & germine: vtque hæc voluntas credendi quia præcedit auxilium requiſitum ad poteſtatem proximam credendi, & ad fidem ipſam, vel aſſenſum, non poteſt in actu iſto, & in eo auxilio, tanquam in germine, & ſemine contineri ſimiliter, & eadem prorſus ratione, neque Gratia ad voluntatem credendi, neque iſta, neque auxilium ad fidem, poſſunt in ipſa fide tanquam in ſemine, & germine contineri; ſiquidem omnia hæc fidem præveniunt, & præcedunt, teſte Auguſtino, ſuntque media omnino neceſſaria ad ſalutem, cuius ipſa fides ex parte peccatoris exordium eſt.

18 Veriùs itaque, & conformiùs Tridentino, & Auguſtino quis aſſereret, fidem quæ eſt exordium ſalutis, contineri tanquam in ſemine, & germine in Gratia adiuvante ad credendum; & veramque in pia voluntate credendi: atque iſtam, ſimul cum illis, contineri tanquam in omnium ſemine, & germine, in prima vocatione Dei, quæ ex miſericordia, & liberalitate ſua, prima radix eſt totius converſionis, & ſalutis peccatorum, iuxta illud: *Converte nos Domine ad te, & convertemur.*

19 Atque hoc quidèm modo, quemadmodùm converſio, & ſalus peccatoris, quæ fit formalitèr per gratiam ſanctificantem, continetur tanquam in ſemine, & germine in prædictis medijs præcedentibus converſionem; ſimilitèr ipſa gratia, & charitas ab ea inſeparabilis, poſſunt dici contentæ tanquam in ſemine, & germine in prædictis medijs, veriùs quàm è con-

contra. Tam longè enim abeſt vt fides extunc iam ſit cum amore, vt dicitur in ſecunda parte propoſitionis Queſnellij.

20 Etenim cum fides, & reliqua media præcedentia iuſtificationem efficiant totalem illam diſpoſitionem, quam Concilium appellat contritionem, & de qua ait, *fuiſſe quovis tempore neceſſariam ad impetrandam veniam peccatorum*: quia illa eſt quoddam meritum, non condignum, ſed pure congruum, ſeu eſt quædam impetratio veniæ, & conſequentèr gratiæ, & charitatis, propterea non incongrue dici poteſt, quod gratia, & charitas continentur in prædicta diſpoſitione, & proinde in fide, & reliquis partibus illam componentibus, tanquam in ſemine, & germine. Non ergo iam tunc fides eſt cum amore, cum nondùm ſit amor germinatus ex fide.

Pag. 128 n. 121.

Seſſ. 14. cap. 4.

21 Diſcurſus iſte non tantum Concilio, ſed & S. Auguſtino cohæret: nam laudato loco ſæpius hanc impetrationem attribuit fidei reſpectu iuſtificationis gratiæ, & charitatis, inquiens: *Iuſtificatio autem ex fide impetratur.* Itèm reſpectu Gratiæ: *Fides impetrat gratiam qua lex impletur*: Ergo & charitatem, quæ ſola eſt adimpletio legis, quod tantopere ponderat Queſnellius. Rurſùs, reſpectu ſpiritus quo iuſtus vivit: *Hæc eſt fides qua impetratur largitas ſpiritus.* Tandèm, reſpectu ipſius charitatis: *Unde ergo iſta dilectio, id eſt charitas, per quam fides operatur, niſi unde illam fides impetravit?* Ergo iuxta Auguſtinum, *Hæc fides qua creditur in eum qui iuſtificat impium*, impetrat iuſtificationem, ſalutem, gratiam, charitatemque ipſam, per quam poſteà eadem fides in homine iam iuſto operatur meritoriè.

De Spir. & Litt.

Cap. 29.

Cap. 30.

Cap. 32.

Ibid.

Ibid.

22 Ut itaque dici poteſt, quod iuſtificatio, gratia, & ſalus peccatoris, quodammodò continentur in fide tanquam in ſemine, & germine, quatenus ſcilicet, inde aliquali meritò (ſi aliquod eſt in impetratione) fidei debentur, ſimilitèr charitas ipſa eodem modo in eadem continetur fide. Nec niſi contradicendo Auguſtino, imò, & cum errore Philoſophico, & Theologico dici poteſt, quod *hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.* Nam id perindè eſt, ac dicere diſpoſitionem ad formam, non eſſe abſque forma præhabita: & impetrationem non eſſe, abſque rei impetratæ poſſeſſione,

ne. Idemque dicendum de fiducia, quæ ſpes confirmata eſt, & in negotio iuſtificationis impij ſubſecuta ad fidem tanquam ex iſta genita, aut germinata, præcedens charitatem, quia iſtius introductoria eſt.

23 Totam hanc ordinatiſsimam ſeriem Queſnellius immutat, & confundit, volens quod fides germinet ea media ſalutis, quæ præcedunt, & germinant fidem; & quod hæc eadem fides ſimul ſit his fructibus onuſta, & ornata, quorum tantùm eſt germen, & quando illorum ſolummodò ſemen eſt. Ita iniquè permiſcet, & confundit, quæ accuratiſsimè Tridentinum diſtinguit, & ſucceſsiva tradit, explicans modum, & media, quibus peccator præparatur ad iuſtificationem, & ſalutem, ſenſu omninò conſono cum dictis ex Auguſtino, omnia prædicta media debito ordine exponente, vt vidimus. Ex quo etiam fideliſsimus eius diſcipulus S. Fulgentius, eadem paucis, ac diſertè, his verbis explicat. *Ut ergo in Deum credere vellemus, ille nobis bonam voluntatem contulit: vt in eum credamus, ipſe fidem nobis donauit, vt illum etiam diligeremus, idem noſtris cordibus per Spiritum Sanctum gratiam ſuæ charitatis infundit.*

Seſſ. 6. cap. 6.

Lib. 1. de Ver. Præd. cap. 18.

24 A bona voluntate credendi, quæ donum Dei eſt, & ex gratia ipſius; ab hac pia affectione erga revelata, quæ ſupponuntur credibilia, vt ſufficientèr propoſita, incipiunt ſalutis media; ad quam ſubſequitur fides, ex dono etiam, & gratia Dei: cui ſuccedit, poſt ſpem, charitas per Spiritum Sanctum cordibus infuſa. Quo ordine fit manifeſtum, quod nec voluntas credendi continetur in fide, ſed imò è contra, nec cum eadem fide tunc ſimul eſt charitas; quemadmodùm nec fides ipſa ſimul eſt tunc cum voluntate credendi; quo, fallacia, & error propoſitionis Queſnellij quoad vtramque partem manifeſta, & reprobata manent.

25 Et ſi fortaſis dicat, vel Anonymus pro eo, voluntatem illam credendi, ſeu piam affectionem, opus eſſe charitatis; vnde hæc ita præexiſtit, vt abſque illa, & amore, nequaquam ſit fides, vt quæ ad piam affectionem ſubſequitur. At hoc effugium præcludit ipſis omninò S. Auguſtinus docens, aliam, & aliunde, eſſe bonam voluntatem credendi: aliamque eſſe, & à fide impetratam, bonam voluntatem factam per chari-

ta-

tatem, & gratiam, atque ita diſtinguenda ſunt principia vtriuſque bonæ voluntatis. *Nam illud*, inquit, *quod dictum eſt, Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate, gratia iam eſt, quam fides impetrat, vt poſsint eſſe hominis opera bona quæ operatur fides per dilectionem.* Et poſt pauca: *Sic credimus vt impetremus hanc gratiam, & aliqua voluntate credimus. De hac quæritur vnde ſit in nobis?*

De Spir. & Litt. cap. 33.

26 Alia ergo eſt Auguſtino voluntas bona ad credendum, & ad quam ſequitur fides impetrans gratiam: alia voluntas bona, qua operamur per charitatem impetratam cum gratia per ipſam fidem, quæ & proindè non eſt ſimul cum fide impetratoria, ſed ad eam ſubſequuta. Unde liquet ex Auguſtino, piam affectionem ad credendum non eſſe charitatis opus. Eſt ergo illa actus proprius, vel cuiuſdam virtutis moralis, quam Theologi hoc nomine *Pia affectio*, deſignant: vel fortaſſe erit actus propriæ inclinationis creaturæ rationalis ad *Verum*, elevatæ, & adiutæ per auxilium ſupernaturale, vt poſsit eſſe affecta erga ſummam, & infallibilem veritatem Dei revelantis.

27 Cuiuſcumque autem principij, aut virtutis, illa ſit actus, quod Theologis Scholaſticis explorandum relinquimus; id mihi indubitatum eſt, ex tam perſpicuo teſtimonio S. Auguſtini, quod non niſi apertè contra illum, poſſunt Queſnelliſtæ cenſere, piam hanc affectionem, & bonam voluntatem credendi, eſſe à charitate, vt indè ſuſtineant fidem quæ ad ipſam piam affectionem ſubſequitur, non abſque charitate eſſe. Contrarium autem expreſſum eſt S. D. prædictis verbis colligentis, bonam voluntatem credendi non eſſe ex charitate, quia fides quæ ad illam conſequitur, impetrat gratiam, & charitatem.

28 Iam quemadmodùm manifeſtum eſt, quod iuxta Auguſtinum, Fides iſta verè tunc eſt abſque charitate; ſimilitèr, nec minori evidentia conſtat, eumdem S. D. agnoviſſe, & probaſſe fidem quam Theologi appellant informem, quam & Queſnellius hac ſua propoſitione maximè negare, aut impugnare intendit, conatu prorsùs temerario, ne quid plus dicam, quia hæreſi ſuffragatur Lutheri aſſerentis, nullam eſſe fidem informem, & propterea negantis Canonicam eſſe Epiſtolam Jacobi, in qua ſæpè dicitur,

Apud Raſſlerſ. art. 14. & 15.

Non quod

Cap. 2. 20. & 26. quod *Fides ſine operibus mortua eſt*, ſcilicet, eſt informis, non viva, à forma propria, & vitali virtutis, nempè à charitate; per quam tantùm formata poteſt illa prodeſſe ad vitam æternam. De ea enim ita mortua, quia informi, ait Ibid. 14. & 16. Jacobus: *Nunquid poterit fides ſalvare eum?* Et rurſus: *Quid proderit?* In quo etiam Seſſ. 6. cap. 7. & 8. ſenſu eadem allegat Tridentinum.

29 A nimia tamen temeritate excuſari non poteſt Queſnellius, dum ſua propo- 3. Sent. diſt. 23. & 24. ſitione nullam relinquit fidem informem, contra ſententiam à Magiſtro, & S. Thoma ſtatu- 2. 2. q. 4. art. 3. & 4. tam, & cunctis Theologis acceptam. Nam ſi fides non eſt abſque amore; etiam quæ remanet in impio, non alioqui infideli, erit ipſo amore formata. Neque itèm poterit ipſa fides infundi baptizato, ponenti obicem, non fidei quam tunc ſincerè profitetur, ſed gratiæ, niſi tunc cum fide infundatur charitas, ne fides aliquando ſit abſque amore. Utrumque ex propoſitione Queſnellij apertè colligitur, & ſimul abſurda exindè ſequuta, iamque inſinuata, coexiſtentiæ charitatis cum peccato mortali, aliaque, contra Theologos omnes, qui vt abſonas haſce conſequentias evitent, fidem abſque amore, & in vtroque eventu informem fatentur.

30 Non minùs temerè audet Anonymus pro Queſnellio SS. PP. adducere, præſertim Auguſtinum, & Fulgentium, quorum ſententiam planè illi adverſam, vt Scripturæ, & veritati conſonam, cui & dogmata Tridentini repugnantia propoſitioni Queſnellij, nedùm ſenſu, ſed & verbis conformantur, vidimus ab eiſdem proprijs teſtimonijs expreſſam. Neque in allegatis ab Anonymo quidquam habent, quod ſi bona fide, & candidè expendatur, dictis non cohæreat.

31 Ante quam id palàm, & verbis eorumdem demonſtrem, oportet adverſus notulam Anonymi, hanc aliam, & veriorem apponere. Quod nempè vbi prædicti Patres, aliique ſtrictè colligatas, aut connexas affirmant fidem, ſpem, & charitatem, ita vt aſſerant priores non eſſe, aut non inveniri, ſine poſtrema, loquuntur apertè de homine iam iuſtificato, ſeu iuſto, & in quo actus prædictarum virtutum, & aliarum, vt per charitatem formati ſunt meritorij de condigno augmenti gratiæ, & vitæ æternæ.

32 Id patentèr ſignificant verba Fulgentij ab Anonymo primo loco adducta,

Cum

De Incar. & Grat. cap. 17. & 18. Cum namque in duobus capitibus præcedentibus tradiderit eamdem omnino doctrinam qua S. Auguſtinus, ſupra laudatus, docet eſſe à Deo per gratiam, & ex eius auxilio fidem, & voluntatem credendi, quibus inchoatur iuſtificatio impij; poſteà in fine capitis ſequentis verba quæ Anonymus exſcribit habet, dicens: Cap. 19. *Quomodo Chriſtus in ſuis formari poteſt, niſi quomodo in eis habitare incipit, id eſt per fidem?*

33 Quibus manifeſtè iam loquitur de homine non antequam iuſtificetur, de quo in prioribus capitibus; ſed de homine iuſto, ſeu dum actu Iuſtificatur; in quo Chriſtus non vtcumque eſt, ſcilicet per ſolam fidem, & ſpem; ſed incipiens habitare, quod ſolummodò fit per gratiam, & charitatem. Idque vltra fit evidens ex his quæ addit: *Dum ergo reformamur, renovamur; & in eo quo renovamur, vivificamur*; quæ apertè indicant effectus expreſsè actuales, formaleſque gratiæ, & charitatis.

34 Eſt igitur teſtimonium de fide iam formata, & proindè ſtrictim colligata charitati: quod minimè opponitur cum eo quod fides qua, dicit in prioribus capitibus, iuſtificationem inchoari, præparare ad illam, & qua incipit Chriſtus formari; nondùm ſit tunc plenè formata, ſed informis, & ſine charitate, vt cuius, ſimul cum voluntate credendi, & alijs diſpoſitionibus, impetratoria eſt, vt inquit S. Auguſtinus, è quo totam hanc doctrinam, ſenſumque hauſit Fulgentius.

35 Teſtimonium Petri Diaconi, quod ſecundo loco, & pro ſecunda parte propoſitionis Queſnellij, allegat Anonymus, neſcio quomodo illi ſuffragari poſsit, aut quid ibi invenerit, quod vel ad ſenſum, vel ad verba etiam propoſitionis conferat. Propoſitum namque, totuſque ſcopus Petri Diaconi eſt probare, quod ſine gratia mediatoris nemo poteſt à peccato liberari, nemo credere, cogitare, velle, & deſiderare res divinas. At quid, rogo, iſta alioqui veriſsima, ad hoc quod fides numquam, aut nuſquam ſine amore eſt? Nihil prorsùs, niſi Anonymus velit amorem ſolum eſſe gratiam Redemptoris, vel nobis non eſſe neceſſariam, neque aliam gratiam conferri ex meritis Chriſti, niſi amorem tantum.

36 Tertium ex S. Fulgentio teſtimonium quo dicit: Neque Simoni Mago,

Nnn 2 ne-

neque Dæmonibus credentibus, & trementibus, prodeſſe fidem, quia illam ſine charitate habent; tantum probat quod fides non formata charitate, non eſt meritoria de condigno, quod vltro fatemur, vt ſignificatum per illa verba: *Nihil prodeſt*. Imò addo, quod neque eſt impetratoria gratiæ, & charitatis, ſi cum ipſa non adſint aliæ diſpoſitiones, vt ſunt ſpes, fiducia, compunctio, deteſtatio peccati, & timor initialis, ex quibus omnibus coaleſcit illa integra diſpoſitio, quam Concilium appellat *contritionem, neceſſariam ad impetrandam veniam*. Quocirca in impio de reliquis diſpoſitionibus non curante, fides ſola non eſt impetratoria gratiæ, nihilque ad hoc illi prodeſt, vt & nihil profuit Simoni Mago, neque Dæmonibus prodeſt: imo neque ijs vnquam prodeſſe poteſt, quibus aliæ diſpoſitiones ex obduratione ſua ſunt impoſſibiles.

37 Veruntamen ad confuſionem Queſnellij, & Anonymi, omittere nequeo verba quæ S. Fulgentius prædicto teſtimonio ſubiungit, vt in queis ſupponit poſſe eſſe ſine charitate fidem quæ ſit donum Dei, quamvis ea ſic habita non poſſit prodeſſe, ſcilicet ad æternam hæreditatem adquirendam. Verba eius, & verbis ab Anonymo obiectis coniuncta, ſunt ita: *Ubi autem cum fide charitas non eſt, quæcumque dona Spiritus Sancti eſſe poſſe, ipſum verò Spiritum Sanctum eſſe non poſſe: ac per hoc nihil prodeſſe illorum donorum largitatem, ubi ſic aliquod donum Spiritus Sancti habetur, vt ipſe Spiritus non habeatur. Proindè tales, & ſi videntur quorumlibet paternorum donorum participes, non tamen ſunt hæreditatis paternæ conſortes.* Quid clarius? Quid contra Queſnellium expreſſius? Ad Monim. lib. 2. cap. 9.

38 Alia ex S. Auguſtino teſtimonia violentèr nimis trahuntur ab Anonymo in ſuffragium Queſnellij: quoniam in priori loco ex Epiſtola ad Conſentium, non loquitur de fide in peccatore, ſeu quæ in eo ſit iuſtificationis initium: ſed de fide in eodem iam ordinata ad viſionem Dei, & in iſtam ſperandam, & amandam tendente, quæ propterea non eſt abſque ſpe, & charitate, & hominem ſupponit iuſtum.

39 In poſtremo loco Enchiridij, agit ſimilitèr de fide formata, quæ vt ſine ſpe eſſe non valet, neque etiam ſine amore; *neque vtrumque*, ait,

ait, *ſine fide*: quo evidentèr apparet ſe loqui etiam de homine iuſto, in quo ſcilicet ſit charitas, quæ eſſe non poteſt ſine ſpe, & fide. Hæc autem veriſsima ſunt, ſed minimè ad præſens conducentia, vbi de fide quæ eſt initium iuſtificationis, & ſalutis medium, ſermo eſt nobis cum Queſnellio: & de qua ea allegavimus ex Auguſtino quæ cum præſenti propoſitione pugnant aperte. Quarè iſta quibus Anonymus eã ſuffulcire tentat, coacta ſunt, & ex locis importunis, atque eo tantum collecta, vt, invito licet Auguſtino, ſub eius tamen nomine, & apparenti tutela Queſnellium ponat.

40 At non idcircò avertere ab eo poterit iuſtiſsimam damnationis ſententiam, per Clementem XI. Conſtitutione ſua pronuntiatam. Iudex namque Sanctiſsimus, iudicio deſuper dato, & ea qua pollet infallibilitate, optimè diſcernere novit teſtes, & teſtimonia quæ has, & ſimiles cauſas ad eum ſpectantes, vel abſolvunt, vel damnant: cuius & etiam eſt quæ conſona, aut diſſona, quæ apta, aut inepta ſint, probare, vel reprobare. Et vel ex eo maxime eius in re iſta iudicium commendatur incorruptum, quod illud ita SS. PP. ſententijs invenitur cohærens, vt iure poſsit, quod olim S. Leo ad Leonem Auguſtum, dicere. *Ut autem pietas tua cum Venerabilium Patrum prædicationibus nos concordes cognoſcat, aliquantas eorum ſententias huic credidi ſubjiciendas eſſe ſermoni. Quibus ſi digneris, attendere recenſitis, non aliud nos prædicare reperies, quam quod Sancti Patres noſtri toto orbe docuerunt: nec quemquam ab illis, niſi ſolos impios hæreticos diſcrepare.* *Epiſt. 97.*

LVII. PROP. COND.

Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

Matth. 27.5. *Tout manque à un pecheur, quand l'eſperance lui manque, & il n'y à point d'eſperance, où il n'à point d'amour de Dieu.*

REFLEXIONES ANONYMI.

MOtivum proſcribendi propoſitionem iſtam ſtat abſdubio in eo quod expreſsio illa, *totum deeſt*, videtur excludere fidem, atque etiam liberum arbitrium. Sed àn obliviſcimur vulgaris modi loquendi, vel àn placet abolere expreſsiones omnibus familiares? Quando namque aliquis pauper clamet, quod totum illi deeſt, oportebit ei iuxta methodum Conſtitutionis litem movere, & actionem intendere, dicendo: In quacumque ſis neceſsitate egregius impoſtor es, cum habeas & corpus, & animam, & ea quamvis obſoleta, & pannoſa ſegmenta quibus coopertus incedis.

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Ser. 15. in Pſal. Qui hab. SANCT. Bernardus. *Hoc enim eſt totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo qui totum hominem ſalvat.*

Ser. 3. in Annunt. Idem. *Sola nimirum ſpes,* ò Domine, *apud te miſerationis obtinet locum, nec oleum miſericordiæ niſi in vaſe fiduciæ ponis.*

Ser. 1. ſuper Salve Reg. Idem. *Spes ruit ſine fundamento, ſine pabulo moritur, inedia deficit, extinguitur ſine nutrimento, areſcit ſucciſſa radice. Spes enim ſine vita virtutum, & devotionis dulcedine, non eſt ſpes, ſed præſumptio.*

Enchir. 8. S. Auguſtinus. *Spes ſine amore eſſe non poteſt.*

ANI.

ANIMADVERSIONES.

1 NImis frigida, atque inepta excuſatione intendit Anonimus à cenſura, & fulmine Sacræ Conſtitutionis præſentem propoſitionem liberare, quæ, quemadmodùm, & præcedentes, fidem in quocumque peccatore, etiam non infideli, deperditam, & numquam abſque charitate inventam adſtruit: inſuper & hæc, ſpem etiam ſignificat amiſſam in impio, quamvis non deſperante, neque item infideli, nam id ſaltem non exprimit, vt debuerat: quam etiam, numquam abſque charitate recuperatam, vel habitam enunciat, contra Tridentinum clariſsimè ſtatuens, quod peccatores ante iuſtificationem, cum ad iſtam præparantur: *In ſpem eriguntur, fidentes.* Item: *Cum fiducia divinæ miſericordię.* Rursùs: *Cum ſpe venię.* Non itaque peccatori non infideli, nec deſperanti, ſpes deeſt, neque hæc tunc eſt in ipſo nondùm iuſtificato, cum charitatis amore coniuncta.

Seſſ. 6. cap. 6. Seſſ. 14. cap. 4.

2 Sed neque amiſſa ſpe, totum deeſt peccatori, etiam vel deſperanti, vel infideli; quoniam Deus qui neminem vult perire, & qui iugitèr illuminat omnem hominem; ſuis ſemper illuſtrationibus, vocationibus, & innumeris ſuæ potentis gratiæ auxilijs, ſtat ad oſtium, & pulſat, vt ab ipſa etiam deſperatione, ſeu infidelitate, peccator reſurgat: cui proindè non deeſt totum, etiam quando illi ſpes deeſt, niſi ipſe velit tanta Dei dona, & beneficia ſemper fruſtrare, quoniam Deus neminem deſerit, niſi priùs ab ipſo deſeratur.

3 Hæc quæ nulla confirmatione egent, vtpotè certiſsima, in Sacra Scriptura, Concilijs, & SS. PP. milliès decantata, impiam evincunt propoſitionem Queſnellij negantis Deo miſericordiam prævenientem omnes, & quoſcumque peccatores: dum abſolute audet effutire, quod totum deeſt peccatori, cui ſpes deeſt. Quod neque Anonymus auderet confirmare ex S. Bernardo, ſi verba quibus inchoat laudatum ab ipſo ſermonem in Annuntiatione, vel parum perpenderet. Sic namque Deum alloquitur. *Quam dives es in miſericordia, quam magnificus in Iuſtitia, in Gratia, quam munificus Dominus Deus noſter! Non eſt qui ſimilis ſit tibi ammirator copio-* Serm. 3.

ſo-

pioſiſſimè, remunerator æquiſſimè, piiſſimè liberator. Gratis reſpicis humiles, juſtè iudicas Innocentes, miſericorditèr ſalvas etiam peccatores.

4 Profectò ſi Rex, ſi Princeps, aut Vir in humanis potens, ita dives, liberalis, munificus in pauperem, & egenum foret, vt gratia, & muneribus copioſis collatis, poſſet ille, ſi vellet, à miſeria, & egeſtate liberari, irridendus planè foret mendicus, dum ea habens, nolenſque illis vti, clamaret: *Totum mihi deeſt.* Quinimò potius exprobandus Anonymus eſt, qui hoc exemplo, non ſic ad rem, ſed perverse, & dolose compoſito, vtitur, vt iniquitatis arguat Sacram Conſtitutionem meritò damnantem Queſnellium, qui, cui tot dona, & munera Dei ſuppetunt, quibus facere poteſt vt nihil ſibi deſit, totum illi deeſſe ore impudico affirmat.

5 Neque excuſari poteſt vulgari modo, aut formula loquendi Queſnellius, qui verbis preſsè, & ſtrictè ſignificantibus loqui tenetur, cum rem planè Theologicam, atque ad mores, vel dogmata ſpectantem, ad inſtructionemque animorum ordinatam, tradere, & explicare ſtudet, & præſertim agens de proprio, ac legitimo ſenſu Sacræ Scripturæ quam interpretatur. Non enim licet hæc omnia ſubeunti hyperbole, & ponderationibus à vero aberrantibus, vti. Sed neque etiam impunè quis audeat ita temere loquentem excuſare, & maximè SS. PP. exemplo, quod facit Anonymus.

6 Qui nullatenùs ſe ipſum extra culpam ponere poteſt, dum hanc pro ſuo Queſnellio cauſam affert, quam ipſemet Anonymus in verbis SS. PP. vel repellit, vel ſaltèm agnoſcere renuit. Recolenda namque ſunt ſuperiùs dicta, vbi ipſe allegans S. Chryſoſtomum tanquam propoſitionem illam Queſnellij: *Lectio Scripturæ eſt pro omnibus,* probantem, ijs verbis quibus in ſermonibus ſuis ad Scripturæ Lectionem auditores adhortatur, quæ quamvis ſint quædam concionatoribus amplificationes familiares, & per hyperbolem dicta; non tamen ſic ea, ſed tanquam ſententiam rigoroſè expreſſam, ſonantemque, vſurpat Anonymus: hic ipſe nimirùm, qui modò vult benigniore ſenſu explicare Queſnellium, veluti hyperbolicè tantummodò loquentem. *Prop. 5. n. 1. & ſeq.*

7 Veruntamèn alia, ac diverſa prorsùs menſura, & trutina, excipienda, & pendenda ſunt verba SS. PP.

præ-

præſertim quæ concionantes proferunt: & verba Queſnellij, vel alterius privati Authoris, ac maximè cum dogmata fidei, vel morum ſtatuere nititur. Illi enim reverentèr, & benignè exponendi ſunt, ſi alicubi, & præſertim extemporaneè loquentes, ſeu ex facundia, ſeu orationis impetu, aut etiam deſiderio promovendi argumentum quod exagitant, nonnullas in ſpecie difficiles ſententias proferunt: hæc enim, & maior adhuc obſervantia eorumdem debetur authoritati.

8 At verò verba particularis Authoris, qualis eſt Queſnellius, intendentis etiam Canones fidei, & morum, & cum Scriptura ex cerebro ſuo conformatos, edere, ſedulò èxaminanda, perpendendaque ſunt, & in ſenſu quem præſeferunt probanda, aut reprobanda, ne ſcilicet ſub quocumque prætextu, & quacumque vſurpata authoritate, errores palliatos quibus incauti miſerè decipiantur, intrudat.

9 Quare toleranda non eſt frigida hæc excuſatio, quod per hyperbolem loquutus ſit: latet namque, aut imò patet in hyperbole error. Neque vlla eſt, aut erit hæreſis, quæ hac cauſa impunitatem ſibi prætendere non poſsit. Nam ſi Ambroſium contra Arrianos, & Novatianos, ſi Auguſtinum contra Manichæos, & Pelagianos; ſi Leonem contra Eutichianos (vt de alijs taceam) legeris, invenies ſanè illorum hæreticorum errores tot amplificationibus involutos, tanta verborum pompa, & apparatu obductos, vt latens venenum ſimulantes, impugnationes, vel ferè eludant, vel effugiant, de quorum doloſo artificio prædicti SS. PP. crebrò conqueruntur.

10 Iam igitur, quæ ex S. Bernardo allegat pro Queſnellio Anonymus, vt ex eius ſermonibus deprompta, cenſenda ſunt dicta ad ponderationem virtutis ſpei, quam tunc pro argumento habebat, & curabat extollere, cupiens illam ſuis auditoribus per maximè commendare. Nihil ergo mirum, ſi ad id (quod eloquentiæ tantum, non ſententiæ Oratoris, fervori orationis, non definitioni, dandum eſt) dixerit, ſpem eſſe totum meritum hominis, ſolamque illam ad impetrandam Dei miſericordiam valere, & ſine charitate præſumptionem eſſe. Quæ niſi amplificationes ſint, nec dignę Bernardo ſententiæ ſunt, neque alias cohærent cum alijs eiuſdem dictis, & doctrina, vt mòx apparebit.

11 Antea verò, quia Queſnellius pertinaci ſui erroris conſequentia, quem circa fidem in præcedentibus ſuſtinet, circa ſpem etiam in præſenti procedit propoſitione, nolens ſpem dari ſine amore Dei, quemadmodùm contendit non eſſe fidem ſine charitate; & conſequentèr nullum in peccatore, quamvis non infideli, neque deſperante, manere medium, aut modum, quo valeat converti, & pœnitere, nullumque ſupereſſe veſtigium viæ ad ſalutem quam arripiat: quapropter relinquit eum fatalitèr neceſſitatum ad peccandum; licet ſatis ſupra quod ad fidem attinet, demonſtratum ſit quantum impia hæc aſſerta repugnent Sanctis PP. præſertim Auguſtino, idemque neceſſariò cenſendum ſit de ſpe: nihilominùs id ipſum ſigillatim de iſta evincere aggredior.

12 Primò ergo S. Auguſtinus, non obſcurè agnoſcit dari ſpem quæ ſit donum Dei, & virtus Theologica reſpiciens beatitudinem, innixa motivis ſupernaturalibus amoris Dei erga peccatorem, veritatiſque ſuæ in promiſsis, & poteſtatis ad ea adimplenda, compoſita aliàs cum penuria meritorum, & conſequenter cum abſentia charitatis, ſeu amoris peccatoris erga Deum. *Deindè*, inquit, *dedit mihi ſpem eadem obtinendi. Tria inquam ſunt quæ ſic roborant, & confirmant cor meum, vt nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propriæ vilitatis, nulla æſtimatio cœleſtis beatitudinis, de celſitudine ſpei deijcere poſsit. In ea firmitèr radicatur anima mea. Vis ſcire quæ ſint illa? Tria conſidero in quibus ſpes mea tota conſiſtit, ſcilicet, charitatem adoptionis, veritatem promiſsionis, poteſtatem redditionis.* *Medit. cap. 14.*

13 Deindè, quotquot ex SS. PP. parabolam filij Prodigi exponunt, veram eius ſpem in eis verbis, *Surgam, & ibo ad Patrem meum*, agnoſcunt, ponderantque, vt apud S. Petrum Chryſologum videri poteſt, qui non quamcumque ſpem, ſed & fiduciam, ſed & confidentiam habuiſſe Prodigum dicit, teſtimonio alibi adducto, & idcircò hic dumtaxàt inſinuato. At tunc nondùm ille veniam obtinuerat à Patre, nondùm iuſtificatus erat, nondùm acceperat ſtolam primam, & annulum, nondùm ad epulas admiſſus fuerat, quæ omnia gratiam, charitatem, & amicitiam ſignificant, iuxta S. Ambroſium.

Lucæ 15. *Serm. de Prodig.* *Pag. 118 n. 14.* *Lib. 7. in Luc. 15.*

Si-

14 Similitèr nemo eſt qui affirmare audeat latronem in cruce pendentem, dicentemque: *Domine, memento mei dum veneris in Regnum tuum*, hæc protuliſſe abſque ſpe Regni Cœleſtis; nam id palàm docet S. Auguſtinus, dicens: *Quod tunc vix vnus latro ſperavit in cruce*, qui non tunc, ſed poſtea cum dictum ei fuit: *Hodiè mecum eris in Paradyſo*, veniam, gratiam, & charitatem accepit. *Tam citò*, inquit S. Ambroſius, *latroni venia relaxatur, & vberior eſt gratia, quam precatio.*

Lucæ 23

Lib. 20. de Civit. cap. 30.

Lib. 10. in Luc.

15 Mitto plura, nam de his abunde in Sacra Scriptura, & apud PP. vbi de converſione peccatoris agitur. Supradictis namque, vt apertè demonſtratur Scripturæ, & Patribus omninò cohærens Tridentinum dum docet, manere in peccatoribus amiſſa gratia, & charitate, ſpem, qua eriguntur, dum ad iuſtificationem præparantur, manifeſtè proindè evincitur abſurditas, & impietas propoſitionis Queſnellij, ac ſimul procacitas Anonymi, dum alter affirmat, alterque defendit: Totum deeſſe peccatori, cui ſpes deeſt: & quod non eſt ſpes ſine amore Dei. Unde inevitabilitèr ſequitur contra ſenſum Scripturæ, & Patrum, quod in peccatore etiam non infideli, non itèm deſperante, in quo neceſſariò amiſſa eſt charitas, & deeſt amor Dei, deeſt quoque, & ſpes in Deo.

16 Quod inſupèr repugnare manifeſtè ſententijs SS. Bernardi, & Auguſtini, palàm oſtendam, tum vt conſtet, quantum eorum teſtimonijs abutatur Anonymus: cum etiam vt appareat, quod quæ ex Bernardo pro Queſnellio allegat, non niſi per amplificationem ab eo prolata accipi debent, vt diximus; vt quæ ſi rigoroſe vt ſonant intelligantur, male cum alijs conformari poſſunt. Utrumque evincam, præmiſſo vnico argumento, non certè ingrato Queſnellio, qui in peccatore timorem omnem vt perverſum, adverſumque amori Dei, & cum iſto inſęderabilem damnat in ſuis ſub titulo *de Timore, & Amore*, refutatis propoſitionibus.

17 Argumentum autem eſt huiuſmodi. Spes, & fiducia, quæ habenda ſit cum timore peccatorum, vel pœnarum inferni, eſt prorsus ſine amore Dei, ſi credimus Queſnellio reprobanti prædictum timorem, vt cum amore Dei irreconciliabilem; ſed ſpes, aut fiducia quam ex S. Ber-

nardo laudat Anonymus, ea eſt, quæ habenda ſit cum timore peccatorum, vel pœnarum inferni, imò hanc ſpem cum prædicto timore compoſitam S. Doctor commendat: ergo commendat in peccatore ſpem ſine amore: & conſequenter dum ait, totum meritum eſſe in hac ſpe, vel, hanc ſolam obtinere apud Deum locum miſerationis; hyperbolice loquitur, & proptereà benignè accipiendus eſt, vt tantummodò velit, quod ea ſpes ſit cum fide, & reliquis præparationibus peccatoris, initium iuſtificationis, radix totius meriti, & fundamentum miſericordiæ à Deo per gratiam obtinendæ.

18 Diſcurſus per ſe conſtat. Maiorem relinquimus Queſnellio probandam, & minorem firmat ſuis verbis S. Bernardus. *Sola nimirum ſpes, apud te miſerationis obtinet locum, nec oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis. Sed eſt infidelis fiducia, ſolius vtique maledictionis capax, cum videlicet in ſpe peccamus .... Quæ enim fiducia ei qui periculum non attendit? Aut quod ibi timoris remedium, vbi nec timor ſentitur, nec materia ipſa timoris?... Dicat quiſque in pavore ſuo, Vadam ad portas inferi, vt iam non niſi in ſola Dei miſericordia reſpiremus. Hæc vera hominis fiducia à ſe deficientis .... Nec parva itaque ſuppetit nobis, in nobis quidem timoris, in ipſo autem cauſa fiduciæ.*

Ser. 3. in Annunt.

19 Rurſùs, vbi videtur totum meritum attribuere ſpei, loquitur etiam de hac ipſa ſpe, quæ ſimul ſtat cum timore divini iudicij, ad quem, & hortatur nos, quia ipſe eſt efficax, & firma ſpei materia. *Hoc*, inquit, *vel maximè indicium veſtigemus fratres, & eò amplius frequentemus in timore, & tremore ipſius conſiderationem, quo minùs comprehendere poſſumus inveſtigabilem abyſſum iudiciorum Dei, & irrefragabilẽ diſpoſitionem. Cum hoc timore, ſpes habet meritum, cũ hoc metu fructuosè ſperatur. Eſt autem is ipſe timor firmiſſima quadam, & efficax materia ſpei.*

Ser. 15. in Pſal. Qui hab.

20 In tertio tandèm teſtimonio, ad verba iſta quibus Reginam Cœli ſalutamus: *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra Salve*, loquitur de ſpe iam per charitatem formata; de ſpe quæ, vt ait, ordine pulcherrimo ſequitur ad vitam, & dulcedinem. *Et vita*, inquit, *& panis, & charitas vnum ſunt. Magnæ deliciæ charitas, quæ foras mittit timorem.* De hac ergo prædicat quæ Anonymus

Serm. 1. ſup. Salve Reg.

nuis exſcribit, & quæ de ſpe depurata ab omni timore, quem foras mittit charitas, & ab iſta formata, neceſſariò ſunt intelligenda. Quæ ſanè ſine hac vita virtutum ruit, moritur, deficit, extinguitur, areſcit. Manet tamen in peccatore qui eam vitam amiſſit, quamvis mortua, & arida ad meritum. In quo, & præſumptio erit, ſi numquam per timorem excitetur ad vitam quam amiſsit inſtaurandam, vt debet, poteſtque: quia vt ipſe ſubiungit: *Inter timorem, & ſecuritatem, ſpes media eſt.*

21 Verba S. Auguſtini in hoc etiam ſenſu de ſpe per charitatem formata accipi debent, quia vt ad præced. propoſ. dictum eſt, eo loci agit de fide, ſpe, & charitate quæ ſunt in homine iuſto. Atque tam longè abeſt, vt S. Auguſtinus cenſeat, non manere ſpem in peccatore, & conſequenter vbi amor Dei non eſt: quod potius ſæpiſsimè affirmat eam eſſe in eo fœderatam cum timore illo honeſto ſervili quem poſtea mittit foras charitas adveniens, & per ſpem introducta. De quo plura ex ipſo ad propoſ. ſub titulo *de Timore*. Sed maximè videndum illuſtre eiuſdem teſtimonium ſupra expenſum de peccatore, vel nimiùm timente, vel nimiùm ſperante, vbi ſpem nondùm cum amore, & rectè cum debito timore compoſitam, commendat. Pag. 181 & 182.

22 Unde & alibi ſpem magnopere extollens: *Eia ergo fratres, hanc amate, hanc tenete, non tamen ſine timore; quia qui ſperat, & non timet, negligens eſt: qui autem timet, & non ſperat, depreſſus eſt.* Placet ergo vt Bernardo, ſimiliter Auguſtino, ſpes compoſita cum timore. Quibus planè Tridentinum conformatur docens peccatorem timore concuſſum, ſed non depreſſum (quia in ſpem erectum) præparari per iſtam, tunc abſque charitate habitam, ad charitatem cum gratia qua iuſtificetur habendam. Ser. 10. ad frat. in ere.

23 Itaque nedùm Concilio, ſed & his SS. Patribus refragatur Queſnellius; quorum maximè authoritate conatur Anonymus illius ſuſtentare errores: infœlicem tamen eius conatum præiactum argumentum reddit; atque ſimul prava Queſnellij dogmata male alioqui cohærentia, vt mendaciorum conditio eſt, aut penitùs expugnat, aut ſin minus, Authorem, & defenſorem imponentes doloſè Scripturæ, & Patribus falſam doctrinam, prodit, & demonſtrat.

Sic

24 Sic namque capiendas eſſe vulpes quæ demoliuntur vineas, ideſt hæreticos, docet ipſe S. Bernardus, præmonſtrans verbis ſuis Queſnelliſtas, & qualitèr eos Sacra Conſtitutio *VNIGENITUS*, depingit, clarius ſanè, quam quod Anonymus ſuis ſententijs abutens, intendit. *Capi iubet vulpes puſillas quæ demoliuntur vineas, ideſt deprehendi, convinci, pro... . Solum hoc malignitatis genus id proprium habet, vt agnitum iam minimè noceat, ita vt agnoſci ſit illi expugnari.... Sufficit proinde ſi capiantur quæ eiuſmodi ſunt, hoc eſt, ſi prodas, & deducas ad medium, quippè quibus apparere, perire eſt .... Capiantur dico non armis, ſed argumentis, quibus refellantur eorum errores.*

Ser. 64. ſup. Cant.

LIII. PROPOS. COND.

Sola charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Ieſum-Chriſtum.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Coloſ. 3. 14.

La ſeule charité les fait chretiennement (les actions Chretiennes) par raport à Dieu, & à I. C.

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Cont. Collat. cap. 22.

SANCT. Proſperus. *Quaſi aut ullus ſit bonæ voluntatis motus, niſi quem creaverit diffuſæ per Spiritum Sanctum charitatis afflatus.*

Tract. de Charit. cap. 9.

S. Bernardus. *Sine charitate nihil prodeſſe poteſt, cum charitate vero nihil obeſſe ..... omnia mandata vitæ, omnia Iuſtitiæ opera referuntur ad illam: Ex hac ſuum ſortiuntur effectum operum commendatio, devotæ Orationes, & ab ipſa tanquam fructus ab arbore, tanquam ramus à vite, pendet tota lex, & Prophetæ. Sicut enim fructus ſuum à palmite recipit alimentum, donec ad maturitatem perveniat, ſic boni operis fructus, ſic ſancta devotio, ſic omne quod piè agitur, à charitate ſuum recipit initium, & progreſſum.*

RE-

REFLEXIONES ANONYMI.

CUM Author Apologiæ Caſuiſtarum æſtimaverit tanquam errorem Janſenianorum aſſertionem iſtam: *Chriſtiani tenentur in cunctis ſuis actionibus amare Deum*: &, *Nulla eſt actio virtuoſa, niſi ſit per charitatem imperata*. Epiſcopi Galliæ eius audaciam ſeveriſsimè corripuerunt, damnantes Apologiſtę propoſitionem.

ANIMADVERSIONES.

1 NOn iam mirum, quod Queſnellius hac propoſitione contendat non eſſe Chriſtianas, vel ab homine Chriſtiano factas, actiones quæ per charitatem non referuntur ad Deum, & Jeſum-Chriſtum, poſtquam vidimus eum alia propoſitione ante locata, iuxta Anonymi diſtributionem, ſub titulo *de Timore*, affirmantem actiones Pag. 18. quæ à timore naſcuntur, & conſequentèr, ac maximè iuxta ipſum, quæ non oriuntur, vel imperantur à charitate, non eſſe actiones hominis, ſeu humanas, ſed beſtiales, ſed brutales paſsiones. Etenim nemini mirum eſſe poteſt, quod quas Queſnellius homini negat actiones, diffiteatur Chriſtianas eſſe, vel à Chriſtiano factas.

2 Verùm admiratione planè, ſeu potius irriſione, dignum eſt, quod velit Anonymus authoritate S. Bernardi ſuffulcire, & confirmare propoſitionem cuius naturalem ſenſum multis demonſtravimus in præcedentibus, omninò abſurdum, repugnantemque SS. PP. ac maxime ipſoBernardo, quod etiam mox manifeſtum erit: qui ſenſus alias ut expreſſus in aliorum Novatorum propoſitionibus, ſæpius condemnatus extat, nimirum à Concilio Conſtantienſi inter articulos Joannis Huſz, 16. A Gregorio XIII. Prop. 17. 34. 35. 36. 37. 61. & 72. Et ab Alexandro VIII. Prop. 9. & 23. Ut & hinc conſtet, quam meritò SS. D. N. Clemens XI. confixerit propoſitionem perverſum ſenſum toties damnatum inſtaurantem.

3 Quam vero immerito, & ſola ſua audacia fretus Anonymus pro ea alleget S. Bernardum, demonſtrare aggredior duobus teſtimoniis, qui-

quibus illa, & intentum Queſnellij, ſat ex alijs conſtans, probatumque, penitùs convelluntur. Altero, ſcilicet, quo timorem ſervilem honeſtum, & actus ex eo, & ab ſpe, ortos, propter eaque non à charitate, neque ab ea imperatos, commendat: altero, quo fidei opera, ſine charitate, laudat. Ad hos enim potiſsimùm actus peccatoris, Queſnellij propoſitio reſpicit, eoſque maxime non Chriſtianos cogitat, vt eiciti ab homine in quo non eſt charitas quæ valeat eos ad Deum, & Jeſum-Chriſtum referre.

4 Adverſus quem ſequentem præmitto diſcurſum. Deus exigens, & deſiderans à peccatore vt convertatur, actus timoris pœnarum quas meretur; actuſque ſpei, & deſiderij vitæ æternæ, quam Juſtis promittit, exigit proculdubiò ab eo actus reipſa Chriſtianos, neque enim alijs peragitur converſio ad Deum; neque Deus prudenter, aut honeſte, homines per actiones non Chriſtianas, ad vitam Chriſtianam provocaret. At Deus exigit à peccatore ſuam converſionem, per prædictos actus timoris, & ſpei, elicitos ante habitam charitatem, & conſequenter neque ortos, neque imperatos ab iſta. Ergo prædicti actus Chriſtiani ſunt, ſeu hominis Chriſtiano modo operantis, proptereàque non eſt ſola charitas quæ actiones Chriſtianas facit.

5 Ne diſcurſus iſte maniſeſtè concludat contra Queſnellium, oportet, vel impie negare maiorem, vel inverecunde contemnere S. Bernardum, cuius eſt expreſſa minor argumenti. Sic enim de Deo, veluti ſecum cogitante, & diſponente peccatoris converſionem, loquitur. *Volens ſiquidem nobilem creaturam hominem recuperare: Si, inquit, invitum coegero, aſinum habeo, non hominem; quoniam quidem non libens veniet, nec ſpontaneus, vt poſſit dicere:* Voluntarie ſacrificabo tibi. *Numquid aſinis dabo Regnum meum? Numquid de bobus cura eſt Deo? Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum, ſi fortè convertatur, & vivat. Et comminatus eſt acerbiora quæ excogitari poſſunt, tenebras æternas, vermes immortales, ignem inextinguibilem.* Serm. de dilig. Deo

6 Hæreant hic paulìſper Queſnellius, Anonymuſque, & cuncti Janſeniſtæ, ac recogitent, quod qui timore pœnarum inferni, qui honeſtus eſt, vt à Deo intentus, appropinquant Deo, non veniunt ad ipſum tanquam beſtiæ, non involuntarie, non inviti, vt ipſi

ipſi arbitrantur; ſed libentèr, ſpontaneè, ſed vt homines, vt aſſeverat Bernardus, fide præ illis eo gratior, qui & illicò ſubiungit: *Cum autem nec ſic bono reconcilietur, ait: Non ſolum terremus, ſed etiam cupimus; promptum eſt quod potiſsimum deſiderabile videatur .... Promiſit itaque vitam æternam, promiſit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.*

7 In his etiam animadvertere oportet, quod nequaquam S. Bernardus damnat vt vitioſam cupiditatem omnem quæ non ſit ſolius charitatis, imò dignam aliquam cenſet quam promiſsis ſuis excitet in peccatore Deus, illam, ſcilicet, quæ charitatem præcedit; illam, quæ propriſsima eſt ſpei tendentis in æternam beatitudinem tanquam in bonum commodum ſperanti, quam ſoli Janſeniſtæ, & novi Queſnelliſtæ, atque etiam non ab illis multum, vel in hoc diſsimiles, Quietiſtæ reprobant.

8 Quod autem actiones ex iſta, & actus provenientes ex timore illo honeſto, præcedant charitatem, vt ab hac imperari non poſsint, docet perſpicue S. Bernardus addens, quomodo ſi peccator adhuc renuat, Deus tandem pro ſua converſione obtinenda, ad charitatem recurrat, ſubiungit namque: *Videns autem quod nihil proficeret, unum inquit reſtat adhuc. Ineſt homini non ſolum timor, & cupiditas, ſed & amor, nec quicquam in eo vehementius ad trahendum .... Quiſquis ſane nec hoc converti voluerit, nonne merito audiet: Quid debui facere tibi, & non feci?* Equidem, ſi prædictæ actiones, Chriſtianæ non ſunt, vt vult Queſnellius, defectu imperij charitatis, in promptu foret rebelli peccatori reſponſio ad hanc obiurgationem Dei, nempè, quia applicabat media ad ſuam converſionem, vel repugnantia, vel ſaltèm inutilia.

9 Iam verò cum abſque impietate dici nequeat, quod prædicti actus timoris, & ſpei non ſunt Chriſtiani, non niſi ſceleratiſsima impudentia, affirmari poteſt, actus etiam fidei, qui vt præparantes ad iuſtificationem, præcedunt ſane charitatem, non eſſe Chriſtianos, aut opera homine Chriſtiano digna: quippè hoc eſt notam perſpicuam, primamque Chriſtianiſmi negare, ſimulque eſt obijcere mendacium Tridentino anathematizanti qui dixerit: *Eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum.* Seſſ. 6. Can. 28.

10 Contradicit inſuper Queſnellius S. Bernardo oppoſitum affirmanti, tum cum fatetur, *Fidem eſſe in Chriſtiana anima fundamentum omnium virtutum*: propterèque ait: *Primum itaque ſincera radix ſanctæ fidei in terra humani cordis plantatur.* Tum cum alibi commendans charitatem ipſam, ex eo ſcilicet vnde iure, verèque laudari meretur, inquit. *Sine amore charitatis quamvis quiſque rectè credat, ad beatitudinem pervenire non poteſt.* Cuius encomium nullum porrò ex comparatione foret, ſi non poſſet quiſque ſine charitate rectè credere, hoc eſt, actu fidei Chriſtianæ, non alias ordinato, vel imperato per charitatem.

Lib. de ord. vitæ.

De modo bene viv. ſerm. 1.

11 Qua fide vt regulari poſſunt quam plurimi aliæ hominis chriſtiani actiones, ſive actus aliarum virtutum, v.g. Religionis, pietatis, miſericordiæ, &c. etiam iſtæ propriè dicuntur actiones Chriſtianæ, quamvis non ſint formatæ per charitatem, ſeu actu per illam relatæ ad Deum, & Jeſum-Chriſtum. Nam defectu iſtius formationis tantummodò verum eſt, non quod homo ita operans Chriſtianus non ſit, ſed quod non eſt perfectus. *Tunc*, ait S. Bernardus, *homo eſt perfectus, quando eſt charitate plenus*: defectuque prædictæ relationis, ſolummodò verum eſt, non quod actiones illæ per fidem regulatæ, non ſint Chriſtianæ, ſed quod fruſtra habentur ad beatitudinē de condigno promerendam, nihil ad id proſunt, vacuæ namque ſunt iſtiuſmodi meriti. *Sine charitate enim, quodcunque facimus nihil nobis prodeſt. Noſtrum ſtudium eſt vacuum, ſi non habemus charitatem. Tanta eſt etiam virtus charitatis, quæ ſi deſit, fruſtra habentur cæteræ virtutes.*

12 Hæc ibi S. Bernardus, meritò extollens ſupra alias virtutes excellentiam, & ſuper eminentiorem viam charitatis, vt quæ aliarum forma, vita, & veluti anima eſt. Ob id tamen cenſendum non eſt, quod repulerit tanquam actiones minimè Chriſtianas, ſeu ab homine Chriſtiano alienas, quas iſte eliciat ante habitam charitatem per quam formentur, aut imperentur: nam eas tanquam dona Dei ſequentibus commendat. *En quanta prius infundenda ſunt .... Primo quidem compunctio, deinde devotio, tertio pœnitentiæ labor, quarto pietatis opus, quinto orationis ſtudium, ſexto contemplationis otium, ſeptimo plenitudo dilectionis. Hæc omnia*

Ser. 18. in Cant.

nia operatur unus, atque idem ſpiritus.

13 Verum autem eſt, quod non debet homo Chriſtianus eis tantum actionibus contentus eſſe, non adhibita vnquam cura formationis earundem per charitatem, ſeu referendi illas ad Deum per amorem ipſius: Ita namque tranſgreſſor erit præcepti charitatis quando illud vrget, numquamque perveniet ad perfectionem vitæ Chriſtianę, quæ ſpiritu Dei agitur, ſpiritu adoptionis filiorum, ſpiritu amoris animatur. Ita namque prædictæ actiones nequaquam forent Chriſtianæ, vel hoc nomine dignæ: quin potius vt elicitæ ab homine contemnente charitatis præceptum, ſeu numquam amante, quemadmodùm non eſſent, nec formatæ, aut formabiles per charitatem; nec relatæ, aut referibiles ad Deum, ſimilitèr neque eſſent actiones Chriſtianæ, ſed imò turpes, & ex contempto fine depravatæ.

14 De his verò actionibus non loquimur, nec cenſere poſſumus eſſe nomine, aut homine Chriſtiano dignas. Neque de illis in hac ſua propoſitione Queſnellius, qui obvio ſenſu, & ex connexione iſtius cum reliquis ſub hoc titulo, manifeſtat ſe loqui de actionibus quarumcumque virtutum, etiam fidei, & ſpei, non imperatis, non relatis, non formatis per charitatem, quas propterea, ait, non eſſe Chriſtianas, tametſi fiant ab homine ſtudioſo charitatis adquirendæ, qualis eſt peccator ſe per eas ad iuſtificationem diſponens.

15 Contra tamen ſtat Tridentinum. Contra etiam S. Bernardus ſupra laudans has ſiggillatim actiones elicitas à virtutibus ante charitatem infuſis, quæ proindè ab iſta imperari nequeunt. Contra etiam vrgent quæcumque ex SS. PP. attulimus refutantes reliquas ſub hoc titulo propoſitiones, probanteſque multis, & clariſsimis ipſorum teſtimonijs, quod actiones omnes bonæ, & honeſtæ ex obiecto, & fine proximo, non depravantur a ſola carentia purè negativa ordinationis ad finem vltimum, eo quia quamvis non ſint actu relatæ ad Deum, aut per charitatem formatæ; ſunt tamen ad illum referibiles, & formabiles per iſtam. Quæ etiam referibilitas, &, (vt ita loquar) formabilitas, bonitas quædam quaſi ſubſtantialis, & entitativa ipſarum actionum eſt, à Deo totius bonitatis principio deſcendens, vt alibi di-

Pag. 575 n. 105.

ximus, quæ proinde non reddit actiones Chriſtiano indignas.

16 Quamvis id abundè in ſuperioribus ex Patribus ſtabilitum, non indigeat vlteriori confirmatione; quia tamen eſt veluti generale principium, invictumque ex doctrina PP. argumentum, quo cunctarum de hac re propoſitionum abſurditas detegitur, & refellitur; placet illud adhuc firmare quadam S. Auguſtini ſententia, cuius vniverſalis ſenſus ad rem vt oportunus determinari debet. *A Deo*, inquit, *eſt res non ſolum quæcumque formata, ſed etiam quæcumque formabilis. Inter formatum autem, & formabile, hoc intereſt, quod formatum iam accepit formam, formabile autem poteſt accipere. Sed qui præſtat rebus formam, ipſe præſtat, & rebus etiam poſſe formari.*

Libr. de Fide, & Symb. cap. 2.

Libr. de vera Relig. cap. 18.

17 Eſt porrò charitas forma virtutum, quæ illis & quibuſcumque actionibus honeſtis, pulcherrimam ſpeciem tribuit, cum ex eius imperio, vel actuali, vel virtuali, eliciuntur relatæ per ipſam ad Deum, & Jeſum Chriſtum. Unde valde ſemper optandum eſt, quod ab homine Chriſtiano fiant ita formatæ, perfectæque, & tanti nominis dignitati, atque honori reſpondentes.

18 De quo crebræ ſunt SS. PP. exhortationes, deſideria, vota, nimirum vt Chriſtianus numquam peccet, numquam charitatem amittat. Sed ſi amiſerit quam ab ipſo recuperabilem per gratiam Dei, ſua infinita pietas voluit; cum ad id has facit actiones, quæ nequeunt eſſe formatæ per charitatem qua caret; ſat eſt, quod per eam ſint formabiles ne cenſeantur a Patribus reprobatæ, vt homine Chriſtiano indignæ. Quæ namque vt formabiles, videntur Auguſtino dignæ vt Deo tanquam dona ipſius attribuantur, cur non videri debent dignæ, vt Chriſtianæ habeantur, & dicantur?

19 At non ita videntur hac appellatione dignæ Anonymo nolenti eas actiones bonas eſſe, aut bonos voluntatis motus, quia nullus eſt huiuſmodi ex ſententia S. Proſperi, niſi quem creaverit afflatus charitatis diffuſæ per Spiritum Sanctum. Sed planè abutitur his S. P. verbis prolatis adverſus Pelagianum, qui *Impiam infidelium libertatem naturalibus inſtruit bonis, & proprijs vult iuſtificare principijs: quaſi .... ullum ſit bonæ voluntatis motus, &c.* Nimirùm, qui aſſerebat homi-

Vbi ſup.

minem à ſe, & non à Deo iuſtificari, ſeu non per gratiam, & charitatem ab ipſo infuſam. Ergo quæ de charitate neceſſaria ad actualem, & formalem iuſtificationem, rectè, & ſanctè, pronunciat S. Proſperus, detorquet Anonymus pro charitate neceſſaria ad quemlibet alium bonum voluntatis motum.

20 Teſtimonium aliud, quod S. Bernardi dicit, non eſt illius S.D. ſed aut Richardi Victorini, aut Petri Bleſenſis, e quorum ſcriptis conſarcinatum *Tractatum illum de Charitate*, ait Clar. V. Joannes Mabillonius, qui proptereà illum inter opera ſuppoſititia, & à Bernardo aliena recenſet. Nihilominùs, quia opus cuiuſcumque ſit, revera pium, & doctum eſt, & quia authoritas eorum, quorum ſententijs dicitur conſertum, pervipendi non debet: atque etiam quia non tantum ob nomen, verum, aut falſum, Authoris, quod ſcripta præſeferunt, ſed imò ob veritatem quam ipſa continent, pietatemque doctrinæ; cum & ex hoc ſatis etiam commendantur, quia celebrioribus Patribus ſunt attributa: ob hæc inquam, cenſemus huiuſcemodi ſcripta non eſſe ob ſolam illam criſeos Hiſtoricorum cenſuram deſpicienda, & maximè a Theologo, qui hanc non ita curare debet, ac veram, vel de fide, vel de moribus doctrinam in eis iactam, conſenſione ſapientium approbatam, vitamque dignam, & authoritate, & nomine S. Patris cui illa adſcribuntur.

Volum. 1. Tom. 5. fol. 390.

21 Qua propter, hoc tantum quia S. Bernardi dicitur ab Anonymo (& etiam ab Authore Hexaplorum) teſtimonium pro ſuo Queſnellio allegatum, illud libentèr excipio, quod alias nullum ſui erroris ſuffragium eſt. Totus namque ille tractatus, eſt de laudibus charitatis: nec novum aut inſolitum, quod vbi aliquid laudandum aſſumitur, plura dicantur per amplificationem, & ad rei pretium augendum, quæ ad illud iuſtè definiendum, nec deſerviunt, nec dicerentur. De quo innumera, & obvia extant exempla apud SS. PP. paſſim peculiares alias virtutes, vt miſericordiam, continentiam, patientiam, magnis verborum ornamentis extollentes.

22 Neque opus habemus ad hæc exempla recurrere. In hoc ipſo teſtimonio dicitur: *Sine charitate nihil prodeſſe poteſt; cum charitate vero nihil obeſſe.* Iam ſi tota hæc ſententia rigoroſè vt ſonat accipienda eſt, vt Queſnellus, & ſocij

volunt, liceret per illam affirmare, quod in habente charitatem, quæcumque imperfectiones, peccata etiam venialia, nihil obſunt: quin neque vnum peccatum mortale, quod, iuxta Janſeniſtas, non ſufficit ad expellendam charitatem prædominantem.

23 Ruſus, Author prædicti teſtimonij, nihil aliud eo loco facit, niſi exponere ad litteram textum illum Apoſtoli: *Si linguis hominum, & Angelorum loquar, &c.* in quo Paulum hyperbolice loquutum fuiſſe, affirmat Chryſoſtomus ſupra laudatus. Nihil ergo mirum ſi qui ipſum exponit, eodem ſenſu loquatur. Quod ſi adhuc aſſeramus, Authorẽ tantummodò velle, quod ſine charitate nihil prodeſt ad meritum condignum, ſat, recteque explicatur.

Pag. 441 num. 35.

24 In ſua reflexione allegat Anonymus pro Queſnellio, damnationem (factam vt inquit ab Epiſcopis Galliæ) cuiuſdam propoſitionis quæ in Apologia caſuiſtarum enuntiabatur, errorem Janſeniſticum eſſe, *quod Chriſtiani in omnibus ſuis actionibus teneantur amare Deum; & quod nulla penitus ſit actio virtuoſa, niſi ſit à charitate imperata.* At ſi ita res eſt, neque enim id tam ſatis perſpectum habeo, miſeranda prorſus, & deploranda ſunt tempora noſtra, in queis videmus veritates Catholicas per Scripturam pronunciatas, per Concilia, & Summos Pontifices ſtabilitas, à SS. Eccleſiæ Patribus confirmatas, & à cunctis Theologis ſanum ſapientibus propugnatas, in iudicium, & cenſuram vocari.

25 Quod namque Chriſtiani teneantur in omnibus ſuis actionibus Deum amare; ſive cunctas, & ſingulas ad Deum ſuper omnia diligendum referre, ita ſcilicet, vt nulla ſit, aut dici queat virtuoſa, niſi fuerit à charitate imperata: id porrò vt maxima, aut ſumma foret vitæ Chriſtianæ perfectio, ab omnibus exoptandum, cuixèque in ſingulis deſiderandum eſt. Sed propterea, non niſi temere dici poteſt, quod & hoc ſit omnibus ſub rigoroſo præcepto iniunctum. Ad omnimodam namque vitæ perfectionem, vt congruum eſt, ſaluberrimumque, quemquam hortamentis allicere; oneroſum ſanè, & periculoſiſsimum foret præceptis adigere. Quapropter nullibi, neque apud Apoſtolum extat eiuſmodi præceptum. De quo ſatis ſupra.

Pag. 510 n. 189. & ſeq.

26 Dum itaque non ſat de illo conſtat, quod aliunde neceſſarium eſt vt obligationem inducat qui dicat, Chriſtia-

ſtianos in ſuis omnibus actionibus eo adſtringi, iure merito temeritatis, & erroris arguendus eſt, nec niſi ſumma iniuria damnari poteſt qui adeò iuſtam cenſuram ferat, innixus præſertim doctrinæ, & dogmatis Scripturæ, & Conciliorum, Decretis Summorum Pontificum, ſententiiſque Patrum, quibus probant, & tanquam virtuoſas, ac Chriſtiano dignas laudant, plures actiones virtutum moralium, & Theologicarum, non alioqui a charitate imperatas: Et quibus ſimul reprobant, anathematizantque propoſitiones quæ ex adverſo in Luthero, Bayo, Janſenio, Queſnellio, prædictas actiones veluti vitioſas, & à Chriſtiano alienas prædicant.

27 Igitur cum tanta authoritate fretus, totque regulis veritatis ductus, Author Apologiæ Caſuiſtarum dixerit, errorem Janſeniſticum eſſe propoſitionem, quam tot oracula fidei tanquam errorem, & errorum gravidam proſcribunt: neque enim credibile eſt, quod Apologiſta eam cenſuram in alio contulerit ſenſu, cuius nec verba ipſa ſunt capacia: quis iam credat doctiſſimos Galliæ Epiſcopos propoſitionem refertam tum veritate facti, cùm & ſana doctrina, condemnaſſe? Quis id à Sapientiſſimis Paſtoribus factum audeat affirmare, niſi qui velit eos ſummo dedecore afficere, & maiori adhuc iniuria, quam contumelia P. Pirotij, traducere?

28 Id ſi Anonymo impunè licet, nobis nec licet, nec libet ullam ei fidem adhibere; præſertim quia cenſura ab Archiepiſcopo Senonenſi contra prædictam propoſitionem lata, & ab Authore Hexaplorum relata, in alio, & longè diverſo procedit ſenſu, ab eo quem Anonymus abſolutè ſignificat. Ille enim damnat, *tanquam falſam, temerariam, iniurioſam Sanctis Patribus, ac D. Thomæ, propoſitionem quæ accuſat erroris doctrinam ſanctiſſimam ſuſtinentem omnes Chriſtianos teneri ſub præcepto referre ad Deum, ſive actualitèr, ſive virtualitèr, cunctas actiones ſuas.* Quibus verbis aperto ſenſu damnatur propoſitio cenſens errorem eſſe aſſerere, quod extet præceptum referendi ad Deum per imperium actuale, vel virtuale charitatis ſingulas actiones.

29 Iam vero qui affirmaret temerariam, aut exorbitantem eſſe hanc Senonenſis cenſuram, ſi per eam vellet tanquam errantes damnare eos qui aſſerunt, non dari eiuſmodi præceptum, nihil

immo

immodeſtum, aut iniurioſum affirmaret; quoniam ſaltem probabiliſsimum eſt, tale pręceptum nullibi extare, neque illud ſignificare verba Apoſtoli ſed dumtaxàt conſilium, & perfectionis documentum; neque apud SS. PP. de eo conſtare, multoque minùs apud S. Thomam, cuius contrariam de hac re ſententiam ſuperiùs expoſuimus: ac tandè, neque Theologos vnanimitèr ita ſentire, cum plures, & alioqui graves, teneant irreprehenſibiliter, ſufficere ad meritum operum relationem habitualem, vel habitualis charitatis.

Pag. 170 n. 133.

30 Ob has itaque vrgentiſsimas rationes, poterat quis prudenter, & maximè probabiliter iudicare, cenſuram Senonenſis in prædicto ſenſu acceptam, eſſe ſaltèm immodicam, neque ita iudicans poſſet de temeritate, aut falſitate redargui. Et ratio perſpicua eſt, quia cum nemini liceat ſententias vere probabiles Theologorum à Sede Apoſtolica permiſſas damnare, aut vlla nota hæreſeos, ſeu erroris inurere, hoc enim ipſa ſanctiſsimè vetat, ne quis pręſumat in ius illius involare: qui temerè pronuntiaret abſolute, hæreſim eſſe propoſitionem aliquam nondum ab eo Supremo Tribunali proſcriptam, ſed imò permiſſam; æquiſsime, & prudentiſsimè, temeritatis, falſitatis, erroriſque, ipſe accuſaretur, vel ob vſurpatam, contra ius, faſque, iudicandi authoritatem.

31 Non ita protectò exiſtimamus ſe geſſiſſe Senonenſem in ſua contra P. Pirotium cenſura. Sed potiùs quia in illius propoſitione invenit, quod ipſi, aut delatoribus videri potuit à præſcripto Apoſtolico etiam diſcrepans, dum per eam dicitur, Errorem Janſeniſticum eſſe, quod Chriſtiani tenentur in cunctis ſuis actionibus amare Deum: ac ſi per hoc vellet Author prædamnare tanquam erroneam ſententiam non ſolum aientium Chriſtianos teneri ad amorem actualem Dei in omnibus ſuis actionibus; ſed etiam ſententiam quam plurium, & nobilium Theologorum dicentium, teneri ad amorem virtualem, ſivè ad imperium virtuale charitatis, vt actiones evadant meritoriæ de condigno: verba namque ipſa cenſuræ Senonenſis hunc ſenſum à ſe præconceptum indicant. Propoſitio, inquam, in eo ſenſu vſurpata, iure mereretur cenſuram, quam ipſa ferre auderet de ea probabiliſsima Theologorum ſententia.

Ve-

32 Verùm quia eadem prorsus æquitate iudicare debemus de propoſitione Authoris, ac de cenſura Archiepiſcopi, exiſtimo quod longè, aut omninò diſtat ab eo ſenſu, intentum, imò & verba ipſa expreſſa propoſitionis, quam, vt id manifeſtum fiat iterum exſcribam, & hæc eſt. *Si illi* (Ianſeniſtæ) *non aliud habent quod nobis proponant, niſi errores ipſorum, qui tanquam maximũ ſtatutum ſuſtinent, quod Chriſtiani tenentur in omnibus ſuis actionibus amare Deum, & quod nulla eſt actio virtuoſa, ſi non ſit per charitatem imperata, &c.* Hæc eſt propoſitio quæ ſcandalum movit, & quæ duas copulatas continet: primam, *Ianſeniſtarum errorem eſſe, & aliorum errorum veluti fundamentum, quod Chriſtianus debet, aut tenetur in omnibus ſuis actionibus amare Deum*: poſtremam, *Eſſe ſimiliter errorem, quod nulla eſt actio virtuoſa, niſi ſit à charitate imperata.*

Author. Apol. pag. 165.

33 Hoc de vtraque propoſitione iudicium, vt verum, & incorruptum eſt, nullam prorsus cenſuram meretur, nulli obiurgationi ſubiacet; niſi liceat reprehendere, & nota cenſoria mulctare teſtimonia Scripturæ, Tridentini, & Patrum, quibus commendantur tanquam vtiles, & fructuoſæ, actiones quæ fiunt à peccatore ſe diſponente ad iuſtificationem, & conſequentèr à non amante tunc Deum, qui ſi per eas, aut in eis, teneretur ad amandum Deum, non laudabiles actiones, ſed vituperabiles præcepti tranſgreſsiones efficeret: ergo vt iure merito accuſatur erroris, qui contra Scripturam, Concilia, & Patres quicquam contrarium enuntiat; iniuria prorsùs, & præcipiti iudicio condemnatur, tanquam criminoſus, qui tot iurium, ac veritatis vindex, & aſſertor eſt.

34 Iudicium de poſtrema propoſitione ſimilitèr æquiſsimum eſt, & idcirco ab omni cenſura immune: eſt nanque conforme eiſdem Scripturæ, Concilij, & PP. ſententijs, quibus opera peccatoris ante iuſtificationem, & præſertim quæ fidei, & ſpei actus ſunt, virtuoſa dicuntur, & ab his virtutibus tunc elicita, quando nequeunt à charitate nondum recuperata imperari. Non itaque indigent imperio iſtius vt virtuoſæ actiones ſint, quamvis illo egeant vt fiant condigna merita, quod nec prædictus Author negat, dum primum affirmat: ergo recto iudicio erroneam cenſet propoſitionem

Scripturæ, Concilio, & Patribus ad[illegible], & consequenter non nisi [illegible] censura potest dici perperam indicata [illegible].

35 Neque id de ſapientiſsimis Epiſcopis cenſendum, vt quis eos adeo ignorantes fingat, vt neſciant aliud eſſe, actiones eſſe virtuoſas, quales fieri poſſunt ſine imperio charitatis, aliud vero eſſe, actiones eſſe meritorias de condigno vitæ æternæ, quod habere non poſſunt abſque charitate. Quapropter fateor me ignorare quid in illa cenſura intenderint in [illegible] propoſitione [illegible]. Quidquid tamen [illegible] fuerit, neque enim de [illegible] foro [illegible], nec competenti, multo [illegible] eſt, præſertim [illegible] non ab omnibus Galliæ Epiſcopis, ſed a ſolis Pariſienſi, Senonenſi, & Di[illegible] lata ſit, quamuis Anonymus, nec vere, nec candide, dicat eam fuiſſe ab omnibus pronuntiatam.

36 Vt vt res inquam fuerit, hoc vnum, & reflexione dignum contra Anonymum, & reliquos Queſnellij ſocios notandum volumus, vt appareat quanta contumacia cupiant præiudicatas opiniones ſuas apud alios, vt apud ſe, valere. Nam qui tantopere extollunt, magnique habendum [illegible] Epiſcoporum iudicium volunt, eo quia ipſis videtur ſuo Queſnellio propitium, hi ipſi præuident omninò, quin & deſpiciunt prorſus ducant, ſeruatam vnanimi conſenſione a plurimis Epiſcopis eiuſdem Galliæ, & a cunctis fere totius orbis Catholici, ſententiam damnantem errorem illum, alioſque eiuſdem Queſnellij, quam talis, pronuntiauit, Sedes ipſa Apoſtolica, ſcilicet, legitimum a Deo conſtitutum Tribunal, cuius eſt, iure, & poteſtate ab ipſo datis, & indefectibili promiſsione ſua confirmatis, has rerum fidei, & morum, & quaſcumque alias maiores cauſas, non à paucis Epiſcopis, ſed à ſe decernendas ſibi adſcribere. Quod non tres tantum, ſed cuncti Galliæ Epiſcopi in ſua ad Innocentium X. Epiſtola libentèr, vereque fatentur dicentes: *Maiores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referri, ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quam fides Petri numquam deficiens perpetuo retineri pro iure ſuo poſtulat.* An. 1653

LV.

LV. PROP. COND.

Deus non coronat niſi charitatem: qui currit ex alio impulſu, & motivo in vanum currit.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

1. Cor. 8. 24. ***Dieu ne couronne que la charité, que court par vn autre mouvement, & vn autre motif court en vain.***

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De Grat. Chriſti. cap. 26.

SANCT. Auguſtinus. *Ubi non eſt dilectio; nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur, quia omne quod non ex fide eſt, peccatum eſt: & fides per dilectionem operatur.*

Pro Gallica propoſitione Queſnellij, ſequentem ad calcem, ſine alia reflexione, notulam adjicit Anonymus. Poteſtnè, inquit, hæc propoſitio ſimilior eſſe illi quam S. Paulus profert cap. 13. Epiſt. 1. ad Corinth. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt?*

ANIMADVERSIONES.

1 SI Queſnellius, ſi Anonymus dicentes, Deum non coronare niſi charitatē, intenderent Regnum Cœlorum quod pueris dare Deo complacuit, non correſpondere vt ſtrictè coronā Iuſtitiæ eſt, & iure adepta, niſi tantum operibus gratia, & charitate formatis, nempe, in eo ſenſu quo Apoſtolus ait: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, &c.* nihil abſonum ex hac parte propoſitio contineret, quæ porrò ex aliâ adiuncta, & vt etiam abſolutè prolata ſine prædicta limitatione, falſa eſt, & contraria Scripturæ, & PP. atque vtrice ad confirmandum erroneum ſenſum in prioribus, & ſequentibus intentum, concepta, & prolata.

2 Quamvis enim vita æterna vt rigoroſè merces eſt, & corona iuſtitiæ, correſpondeat operibus proprijs, vt merita ſunt, & proinde vt dignificata per gratiam, & facta in obſequium Dei; ex quo dici poteſt, quod Deus in illis coronat charitatem ordinantem: falſò autem, & aperta cum Scriptura, & Patribus repugnantia, aſſeritur abſolutè: Quod, *Deus non coronat niſi charitatem*: quoniam hoc præciſè, & naturaliſsimè, ſignificat Deum non coronare opera, ſive propter iſta, operantem; nec coronare in eo virtutes alias, quarum ſpecificos, & proprios actus ille exercuit; ſed vnice, aut ſolummodo coronare charitatem; ac ſi reliqua ex quocumq; alio impulſu, ac motivo eliciantur, aut habeantur, vana prorſus forent: quod inſuper poſtrema verba propoſitionis palam affirmant.

3 At quam falſum, abſurdumque id ſit, quamque contrarium ſententijs expreſſis Scripturæ, Tridentini, & Patrum, abunde liquet ex hactenùs dictis contra ſuperiores Queſnellianas theſes. Multis namque oſtendimus, non eſſe inanem, ſed vtilem, contritionem cordis contriti, & humiliati, ex timore honeſto, & nondum ex amore: vt quam Deus non deſpicit. Itèm, non in vanum, non fruſtra clamare ad Deum, qui adhuc ſpiritu charitatis non clamat: vt quem nihilominus Deus exaudit. Rurſus, peccatorem non in vanum currere actibus fidei, & ſpei, alijſque, quibus impetrat veniam, & charitatem: vt qui ad ſuam iuſtificationem currit. Denique, actus hos elicitos impulſu Spiritus S. moventis, quamvis nondùm inhabitantis, alioſque quarumcumque aliarum virtutum moralium, ex motivo, & proprio obiecto honeſto naſcentes, non omninò vanos eſſe, nondum ad Deum relatos, dum ad ipſum ſint referibiles.

4 His, & alijs, ſuis locis videndis, manifeſtè adverſatur præſens propoſitio: cuius adhùc falſitatem, & abſurditatem aggredimur demonſtrandam alijs etiam, & tempeſtivis teſtimonijs, quæ & cum ſuperioribus conſona, ſua ipſa conformitate inculcatum errorem vbique oppugnant. Et primò quod repoſita ſit corona operibus, ſeu proptèr iſta, operanti, & non tantum charitati, quamvis propter iſtam opera formantem, eadem corona reſpondeat operibus ex iuſtitia, & vt meritis condignis; clariſsimè oſtendit S. Paulus loco inſinuato, vbi pa-

ratam ſibi coronam dicit, ideò quia, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*: quæ verba opera omnia ſua, & non amorem tantum, aut ſolum charitatis opus, apertè ſignificant.

2. ad Timo. 4. 7.

5 Quocirca S. Auguſtinus locum iſtum exponens, vbi maximè iura liberi arbitrij, atque divinæ gratiæ conciliandа, & ſervanda ſtudet, inquit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Iſta utique tam merita ſua bona commemorat, ut poſt bona merita conſequatur coronam*, nimirùm, quæ ex iuſtitia, aut iure meriti datur, ſupponens gratiam iuſtificantem, & ſimul cum charitate dignificantem opera. Unde ſubiungit: *Quomodo eſſet iſta corona Iuſtitiæ, niſi præceſſiſſet gratia quæ iuſtificat impium?*

De Grat. & lib. arb. cap. 6.

6 Nec propterea cenſet ſola merita quà talia ſunt, vel ſolam gratiam, aut charitatē, vt Queſnellius vult, eſſe coronandam: ſed etiam bona alia opera, & non tantum vt merita, nempè, nondum per charitatem formata, quæ tamen ſint dona Dei, non viribus proprijs, quod intendebat Pelagius, ſed auxilio ſuæ gratiæ elicita, quale nimirum eſt opus fidei, quod præcedens iuſtificationem, tunc nondùm eſt opus iuſtitiæ, ſeu condignum meritum. Ad quod allegans illud etiam Apoſtoli, de peccatoribus per Chriſtum iuſtificatis: *Gratia enim eſtis ſalvi per fidem & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus*; inquit S. Auguſtinus: *Non quia negavit, aut evacuavit opera bona: cum dicat Deum vnicuique reddere ſecundum opera eius; ſed quia opera ſunt ex fide, non ex operibus fides: ac per hoc ab illo ſunt nobis opera Iuſtitiæ, à quo eſt ipſa fides.*

Ad Epheſ. cap. 2. 8.

Vbi ſup. cap. 7.

7 Queſnellius autem contrarius Paulo, & Auguſtino, dum aſſerit ſolam charitatem coronandam, negat planè operibus bonis coronam, evacuat omnino illa, vana dicit; turpiter errans in eo quod exiſtimat, ſolum meritum quà tale, hoc eſt, id per quod opus bonum habet eſſe meritum, tantummodò coronandū eſſe. Quamvis enim verum ſit, quod opera habent ex gratia, & charitate qua formantur, condignitatem ad coronam, vndè hæc illis redditur ex iuſtitia; falſum prorsùs, & abſurdum, imò ineptiſsimum eſt dicere, quod non ipſa opera, ſed ſola ratio valoris, & iuris ipſorum coronatur: ac ſi quis diceret, ſolam virtutem belli-

bellicam, non opera ab eadem præclara, coronari in eo qui Regnum expugnaverit.

8 Non ſic profectò Sacra Scriptura, Sancti Patres, Eccleſia ipſa coronas impartiendas docent. Non certantibus charitate ſola, non amore tantùm pugnantibus, cuius certamina forſan non nimium acerba, & periculoſa, neque ad necem dubia victoriæ [illegible]: ſed & dimicantibus aliis virtutibus interioris armaturæ, contra vitia oppoſita, adverſus quaſcumque viſibiles, & inviſibiles [illegible] poteſtates, & inſidias, [illegible], & parantur coronæ, non eædem uniformes, quales forent ſi una ſola charitas [illegible] virtutibus coronaretur: ſed multiplices, & pulcherrima varietate diverſæ, ita ut etiam coloribus diſtinctæ [illegible] concedantur, ut intelligamus ſingulis ſingulis virtutibus, [illegible] Martyribus, [illegible] Virginibus correſpondentes [illegible], *Coronas, vel virginitatis candidas, vel de [illegible] purpureas*, ut inquit Venerab. Beda. *Serm. 17 de [illegible].*

9 *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*, ait Apoſtolus, denotans apertè omnibus, nedum tantùm amantibus, ſed quomodolibet in agone viriliter contendentibus, & quacumque virtute contra oppoſitum vitium dimicantibus, paratam eſſe coronam. *1 ad Cor. 9* Quod, & Chriſtus Dominus docuit, dum octo beatitudines enumerans, aſſerit coronanda, & Regno Cœlorum præmianda, opera virtutum, quæ maximè videntur a charitate diſtincta, ut ſunt paupertas ſpiritus: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* Item & tolerantia perſecutionis: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* *Matth. 5.*

10 His namque operibus diverſarum virtutum, non ſolius charitatis, non uno tantùm agone, ſed multiplici, qui legitimè certarunt, & quia legitimè certarunt, coronantur. *Qui poſt multos agones, iam modò triumphant in Cœlis coronati, quoniam legitimè certaverunt*, inquit S. Bernardus. *Serm. 5. in Feſt. Omn. SS.* Qui & de adhuc in hac vita humiliter militantibus, ſubiungit: *Sunt enim Sancti qui adhuc militant, adhuc pugnant, currunt adhuc, nec dum comprehenderunt.* Ergo qui ita divina gratia atque ſtudio currunt, plurimum certamina diverſa incun-

euntes, armis ſcilicet ſingularium virtutum, contra ſingula oppoſita vitia, non in vanum ex hoc motivo, & Dei impulſu currunt, vt affirmat Queſnellius, & quidem impiè adverſus Paulum dicentem:
1 ad Cor. 9. 24. *Sic currite vt comprehendatis.*

11 Si namque vnicè dimicandum nobis foret cum vitijs oppoſitis charitati; ſi tantum adverſus contrarias, & rarò, huic virtuti tentationes decertandum eſſet, oporteret abſdubio accipere armaturam illius, induere pro thorace amorem, pro galea flammas, ſumere eius ſcutum revera inexpugnabile. Verum,
Ad Epheſ. 6. 12. *Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem tantum ſed adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ;* propterea inquit S. Bernardus: *Cuſtodia multiplex neceſſaria eſt pro multitudine periculorum .... Egent planè cuſtodia qui tam multipliciter, non modo comminùs, ſed eminùs appetuntur.*

12 Ad hæc omnia certamina, præſtantiſſimum fateor, præſidium charitas eſt: decumana, probatiſſimaque ſunt eius arma: quia enim omnia vincit amor, ſecurus ferè de victoria pugnat cum quibuſcumque hoſtibus, & vitijs, qui præmunitus conſtanti amore Dei, quaſcumque illorum incurſiones ſuſtinet: charitas enim compendiaria ad triumphum via eſt. At non ideò cenſenda ſunt tanquam vana, aut futilia, munimenta aliarum virtutum, præſertim cum determinatè adverſus eas inſidiæ parantur, & bellum indicitur: tunc enim maximè vrget de vita, & actibus illarum præceptum. Quod alioqui non ita ſemper de charitate vrget; vnde quandoque forſàn, in hoc prædictarum tentationum conflictu, non aliud, ne militans ſuccumbat, ſupereſt medium.

13 Quapropter S. Paulus perſpicuis verbis, & nulla charitatis mentione facta, docet, ſumenda eſſe arma illa, hæc aliarum virtutum præſidia, cum Diabolus (qui non vna tantum, ſed mille artes nocendi) eas impugnare aggreditur. *Propterea,* inquit, Vbi ſup. *accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere .... State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam Iuſtitiæ .... in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus.* Supra quæ plura, &

opor-

Hom.14. oportuna S. Chryſoſtomus apud ipſum videnda: in queis nullam charitatis, ſed aliarum virtutum, & maximè fidei commendatam ab Apoſtolo armaturam laudat.

14 Qui igitur ſic diligentiſsimè, & quidem non in vanum, armati ab Apoſtolo, certamen ineunt, ſi gratiæ Dei cooperentur proculdubio vincent, vincenteſque coronam à Deo accipient, qualem accepere SS. Martyres, qui vt Eccleſia canit: *certamen magnum habuerunt Sancti Dei, tranſierunt per ignem, & aquam, & ſicut facti ſunt, & coronas acceperunt à Domino Deo.* Scilicet, non charitati tantum reſpondentes, ſed operibus aliarum virtutum quibus decertarunt, v.g. fidei, patientiæ, fortitudinis: quarum actus, tametſi habeant à gratia, & charitate, valorem meriti ad coronam, non propterea in eis ſola charitas, ſed etiam aliæ virtutes cum illa coronantur.

In Offic. in Mart.

15 In quo ſenſu ita intelligendum eſt teſtimonium Pauli, quod alias Anonymus, tanquam aſinus myſteria portans, in conſultò allegat. Ut namque non ſemel diximus, opera omnium virtutum vt ſint condigna merita, ita egent dignificari à gratia, & per charitatem ordinari, quod ſi martyrium ipſum ſuſtineri poſſet ſine gratia, & charitate, nihil prodeſſet tanquam meritum ad coronam. Cæterùm, non ideò colligere licet Apoſtolum voluiſſe ſolam charitatem, & non martyrium, coronari in eo, qui illud ſubijt ex motivo profitendi fidem, & confitendi Deum coram hominibus. Quid enim incongruentius?

16 Quod nec fingi poteſt per hyperbolem ab Apoſtolo dictum, qualiter alias loquutum fuiſſe affirmat Chryſoſtomus. Senſuſque legitimus illius eſt, quod neque eleemoſyna, aut opera miſericordiæ, neque martyrium ipſum, quicquam proſunt per modum meriti condigni ad vitam æternam ſine charitate: quare ſi quis ſine iſta, ſi aliquis ſine ea, aut ea opera faceret, aut martyrium ſubiret, non conſequeretur gloriam, vt rigoroſe ſignificatur per modum coronæ, ideſt tanquam merces meritis condignis reſpondens. Verumtamen, neque adhuc dicendum eſt abſolutè Martyrem non coronandum. Pag.44. n. 15.

17 Alioqui erraſſet prorſus S. Petrus Chryſologus affirmans expreſsis verbis Innocentes parvulos ob martyrium coronatos: nam & ſi primo ſignificet fuiſſe illis mar-

Ser. 150. martyrium; *Inocentiæ præmium, non maieſtatis gloriam*: quo innuit, non eis competere cum rigore coronam, quæ gloria maieſtatis eſt; nihilominus alibi de eiſ- Ser. 152. dem ait: *Quos fecit* (Chriſtus) *capere ſine concertatione victoriam, quos donavit coronis, antequam membris.* Rursùs: Ser. 153. *Vincunt neſcij, moriuntur inconſcij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes.... Sic infantia paſſionis ignara, martyrij palmas rapuit, & coronas.*

18 Non igitur Deus ſolam charitatem coronat, vbi adhuc neſcientes martyrium, ignorantesque ordinare illud ad Deum, imò, & minimè certantes, coronis donat. Quanto ergo potius coronati, & corona gloriæ digni, dicendi, & habendi ſunt, qui vel martyrium ſubeunt, duriſſimam tolerantes pro fide quæſtionem, vt dicit S. Cyprianus: vel qui adverſus peccatum, & vitia, dimicant virtutibus, quæ ſunt competentia arma, fortiſſima tela, quibus dimicarunt Juſti, ait S. Chryſoſtomus: & quorum non aliud fuit totus vitæ curſus, niſi vnius cum vigili hoſte conflictus, vt inquit S. Maximus.

19 At hi ipſi SS. PP. nihil alias de charitate dicentes, ob hæc certamina corona redimitos victores dicunt. De morte ſcilicet ob fidem perpeſſa S. Cyprianus: *Quæ accepit coronam de conſummatione Virtutis.* Epiſt. 6. lib. 2. De pugnantibus cum vitijs, & tentationibus, S. Chryſoſtomus: *Sic & laborando fortiores, & moriendo victores effecti ſunt. Nullus athletes ſine certamine fortior dici, nullus ſine victoria poterit coronari.* Serm. 12 de Mart. Ac tandem, de eo qui ſumens ſcutum timoris Dei (Queſnellio inviſum, & iuxta ipſum a charitate alienum) mundi, & inferni victor extitit, S. Maximus: *Qui contra omnes adverſarios ſcutum timoris Dei tamdiu infatigabilitèr tenuit, donec ad victoriam perveniret.* Hom. 59.

20 Quid plura? Ipſa divina veritas Chriſtus Dominus docet, humilitatem a Patre coronandam, cui apertè contradicit Queſnel ius aſſerens, quod *Deus non coronat niſi charitatem.* At Chriſtus affirmat, quia Patri complacuit dare Regnum humilibus: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum.* Lucæ 12. Non dicit amantibus, qui charitate grandes, ſed puſillis, qui humilitate parvi efficiuntur: quoniam non ſola charitate, ſed etiam humilitate, ad thronum,

num, & coronam pervenitur. *Puſillum gregem*, inquit S. Beda, *potius ob humilitatis devotionem nominat, quia videlicet Eccleſiam ſuam .... Uſque ad finem mundi humilitate vult creſcere, & ad promiſſum Regnum humilitate pervenire.*

Lib. 4. capit. 54. in Luc.

21 Cui rogo poſthàc perſuadebit Anonymus, quod Auguſtinus a ſuo Queſnellio ſtat? Et præſertim teſtimonio adducto, quo id tantu contra Pelagiũ intendit, nempe, nullũ viribus proprijs, & ſine gratia Dei per Chriſtum, fieri opus, quod imputari valeat meritum gratiæ, & juſtitiæ: quod inſuper, vt rigoroſum meritum ſit, indiget dignificari per gratiam, aut fieri per charitatem in cordibus per Spiritum Sanctum diffuſam. Id quod expreſſiſsimè ſignificat verbis ſequentibus ad ea quæ Anonymus exſcripſit.

Lib. 1. de Grat. Chriſti 26.

22 *Ac per hæc*, inquit, *gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis ſic confiteatur, qui vult veracitèr confiteri, vt omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet.* His, non admodum ſincerè ab Anonymo diſsimulatis, & prætermiſsis, ſat apertè denotat S. Auguſtinus, ſe deſiderare gratiam, & charitatem, vt opus ſit condignum meritum, nempe, *ad veram juſtitiam* pertinens; ſeu quod idem eſt, vt illi correſpondeat præmium ex juſtitia. Quo nequaquam affirmat, vt Queſnellius, ſolam charitatem coronari: neque item negat, vt ille, alias virtutes a Deo coronandas.

23 Utque evidentèr appareat mens S. Auguſtini in re iſta, evidentèr inquam, argumento nimirum contra Queſnellium ex principijs ſuis inſolubili, illuſtre teſtimonium illius adducam, propoſito antea argumento, vt dicitur *ad hominem*, & eſt hujuſmodi. Quiſquis acre certamen, duriſsimamque pro defenſione fidei ſuſtineret quæſtionem, motus timore pœnarum inferni, & diſtricti judicij, ita vt motivo vitandi iſta, fortis, & conſtans in fide tormenta quæque ſuſtineret; is proculdubiò non tunc ex charitate certaret, & vinceret: ſed ex timore ſervili, qui, juxta Queſnellium, omninò adverſatur charitati, & quem, ait Auguſtinus, charitas foras mittit, vt proptereà impulſus, & motivum ex illo nunquam ſtare poſsit cum motivo, & impulſu charitatis. At nihilominus Athle-

tes iſte ſtrenue decertaret, victor revera evaderet, exultaretque triumphans ab ipſo S. Auguſtino laudatus.

24 Cuius verba ad illud, *Principes perſecuti ſunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum*, ſunt iſta. Pſ. 118. *Habuerunt quidem, & illi* (Principes) *verba minacia,* Conc. 31. *expello, proſcribo, occido, ungulis torqueo, ignibus torreo, beſtiis ſubigo, membra dilanio. Sed tua me potius verba terruerunt: Nolite timere eos qui corpus occidunt .... Sed eum timete qui habet poteſtatem, & corpus, & animam perdere in gehennam. Ab his verbis tuis formidavit cor meum, & contempſi hominem perſecutorem meum, & vici diabolum ſeductorē meum .... Quiſquis ergo à verbis Dei, ne in certamine vincatur, formidat, ſuper eadem verba victor exultat.* Ergo victorem, exultantemque, fatetur, & laudat S. Auguſtinus, eum qui non iam amore, ſed timore gehennæ, proindeque ſervili, triumphum de alio, & mundano timore reportat. Non proinde hoc impulſu in vanum currit, aut indignus eſt coronari, qui iuxta ipſum eo impulſu decertans, victor exultat.

25 Hoc ipſum S. Ambroſius elegantiſsima expoſitione docet, graphicè deſcribens conflictum Martyris inter utrumque timorem. *Pone ergo Martyrem*, inquit, Serm. 11. *inter pericula conſtitutum*, in eun. Pſalm. *cum inde immanitas beſtiarum ad incutiendum terrorem infremat. Aliunde ſtridor candentium laminarum, & flammis fornacis ardentis exæſtuat: ex parte alia perſonent tractus gravium catenarum, hinc carnifex cruentus aſſiſtat.* Hæc itaque ſunt arma, quibus timor mundanus athletam expectat, & adoritur.

26 Videamus ergo quibus præſidijs, quibus armis, iſte palæſtram ingreditur, & certamen inijt. *Pone inquam circumſpectantem omnia plena ſupplicijs, deinde cogitantem mandata divina, illum ignē perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudeſcentis ærumnam: trepidare corde, ne dum præſentibus cedat, perpetuis ſe dedat exitijs; perturbari animo dum futuri judicij rompheam illam terribilem quadam conſpectu ſpecie contuetur.* His tantùm congreditur munitus armis, quæ, teſte Ambroſio, timoris, & ſpei ſcutum, & lorica ſunt,

non enim amoris meminit. *Nonnè, ait, ad hanc trepidationem fiducia viri conſtantis, æqualis in eumdem concurrit effectum confidentia cupientis æterna, & divina trepidantis?*

27 Dumque, *Vidit*, vt
Lib. 2. Epiſt. 6. inquit S. Cyprianus, *admirans præſtantium multitudo cœleſte certamen, certamen Dei, certamen ſpirituale, prælium Chriſti*, adeſto, & tu Queſnelli, adeſtote, & ſocij Janſeniſtæ, quamvis de victoria pugilis palæſtritæ, nedum dubitantes, ſed imò deſperantes; quia armis admodum obtuſis, fragilibuſque fulcimentis, enim potius
Reg. 1. c. 17. 39. obſtaculis, vt quondam Davidi fuere galea, & lorica Saulis, congreſſurus eſt, nimirum
Propoſ. de Timore. in fluctus brutalibus, vt vobis placet, paſsionibus, timore ſupplicij æterni, quo
Pag. 81. animatus magis quam ad triumphum futurum, ducitur, vt dicitis, ad deſperationem: quo numquam fit bonum aliquod, & quo timens efficitur ſemper mancipium: cum terrore diſtricti judicij Dei, cuius terribilis romphea ſibi repræſentat Deum, Dominum durum, iniuſtum, intractabilem.

28 At nihilominùs bono animo eſtote; meliora ſperate, quia non in ſolius charitatis gladio, & haſta, ſalvat Dominus, ſed etiam in timoris, & ſpei funda, & lapide: neque tantùm qui amat fortior erit hoſte, ſed & qui honeſte timet, & qui confidenter ſperat: *Sit tamen fortior ille qui ſperat, ſit fortior qui præſumit*, inquit S. Ambroſius; & ita quidem timendo, & ſperando, fortis iſte, victor, & exultans evadit, nimirum, in cuius corde *excludit timor timorem*. Et vt ait S. Cyprianus: *Finem doloribus quem tormenta non dabant, coronæ dederunt*. Ut ſciat Queſnellius, non in vanum, ſed ad coronam, ad triumphum currere Athletam, qui non tantum ex amore (nempè expreſſo, & exercito motivo, & impulſu illius) ſed ex impulſu, & motivo etiam timoris honeſti, currit atque decertat.

29 Iamque ipſe, Anonymuſque, & quicumque alius eiuſdem Sectator ſit, videntes tot clariſsimis teſtimonijs, triumphantes, & coronatas alias virtutes, præter charitatem, quin & timorem quem tantoperè Queſnellius abhorret; deteſtentur hanc ſuam, cum alijs eiuſ-

eiuſdem furfuris, propoſitionem, tamquam prorsùs falſam, & vel ideò abſurdam, quia ſenſui Scripturæ, & PP. repugnantem, & hoc ipſo etiam æquiſsimè damnatam à Sanctiſsimo Clemente XI. Atque eius Conſtitutioni colla, vt par eſt, humilitèr ſubdentes, deſinant iam pertinacia ſua Eccleſiam turbare.

30 Hoc namque ſaluberrimum conſilium S. Auguſtini eſt, quod potuit Anonymus oportunius ſibi, & ſuo Queſnellio deſumere, ex hoc ipſo loco vnde pro eo teſtimonium ſupra allegatum, alioqui intempeſtivum, extraxit. Ait namque ad Pelagium, & nos cum ipſo ad Queſnellium: *Iſtam Dei gratiam* (victoriamque per ipſum, & coronationem virtutum) *in divinis eloquijs manifeſtam, etiam Pelagius* (etiam Queſnellius) *manifeſtè fateatur, ſeque tamdiù contra ſenſiſſe, non operiat impudentiſſimo pudore, ſed dolore ſaluberrimo aperiat, vt Sancta Eccleſia non turbetur pertinaci eius obſtinatione, ſed veraci correctione lætetur.* Lib. 1. de Grat. Chriſti, cap. 26.

LVI. PROPOS. COND.

Deus non remunerat niſi charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Matth. 15.36. *Dieu ne recompenſe que la charitè, parce que la charitè ſeule honore Dieu.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Tract. de Charit. c. 15. SANCT. Bernardus. *Quid igitur nobis prodeſt tanta in noſtro victu parcitas, in habitu vilitas, in vigilijs, & diſciplinis iugis auſteritas? Paucis accipe. Quædam ſunt charitatis obſequia placentia, & placantia, ſi in charitate fiant: at ſine charitate nihil proſunt. Hæc eſt enim virtus in qua nec minimum opus reſpuitur, ſine qua nec maximum acceptatur.*

De Dono perſev. cap. 16. S. Auguſtinus. *Prævenit charitatem, qua vna Deo veraciter, & ſuaviter obeditur.*

Ep. 167. Idem. *Porrò pietas cultus Dei eſt, nec colitur illi niſi amando.*

NULLAS HIC ANONYMUS REFLEXIONES, AUT notas habet.

ANIMADVERSIONES.

1 FAlſæ aſſertionis, falſiſſima redditur cauſalis, vt ex vtraque parte ſit propoſitio erronea, & Patribus vtrobique adverſa, quod non multis demonſtrare conabor, quia fuse ſuprà eſt demonſtratum, virtutes habitas ſu[illegible], atque etiam à Paganis, non eſſe apud PP. & præſertim apud Auguſtinum vitia; & conſequenter, opera earum, non alioqui poſitivè inordinata, non eſſe mala defectu ordinationis per charitatem, ſeu bona: neque eſſe omninò ſterilia fructus, aut præmij temporalis, quamvis

vis non æterni: atque hoc modo fuiſſe remuneratam à Deo in Romanis, & in alijs
Pag. 141. n. 103. Ethnicis, vt in Nabuchodonoſore, vt teſtantur Sancti Hieronymus, & Auguſtinus.

2 Nec niſi adverſus Tridentinum dici poteſt, quod Deus non remunerat niſi ſolam charitatem, cum palàm doceat, quod in peccatoribus, in quibus nulla eſt charitas; actus fidei, timoris, & ſpei, alijque quibus præparantur ad iuſtificationem, efficiunt integram illam diſpoſitionem, contritionem ſcilicet, quam dicit eſſe impetratoriam veniæ. Aut ergo Queſnellius diſſentiat Concilio, negans illam eſſe tanti favoris, & beneficij impetrationem; aut audeat male ſentire de munificentiſſimo Deo, qui remunerare nolit, opus quod ſui muneris, aut doni, impetratorium eſt.

3 Inſupèr, & de mendacio, vel de ſpe futili arguat
Pſal. 50. Davidem dicentem: *Cor contritum, & humiliatum, Deus non deſpicies*: coarguatque S. Auguſtinum ita exponentem:
Ibid. *Ipſa eſt ſalus, quam nondum habemus, ſed habituri ſumus. Nondum eſt res, ſed certa ſpes.* Item redarguat Nazianzenum aientem:
Orat. 9. *Nihil eorum quæ Deo offerimus, tam parvum eſt, quamvis etiam minimi momenti ſit, quamvis longe infra illius dignitatem, quod non omnino accipiat gratumque habeat.* Nec longè à Deo eſt, qui non labiis tantum, ſed corde, quamvis nondùm amante, ſed tamen humiliato, & ex timore contrito, ipſum honorat.

4 Quamvis itaque ſola charitas Deo tribuat honorem perfectum, ac maximum quem homo poteſt, debetque Deo; non ſola illa Deum honorat, vt palam, & affectata illa limitatione *ſola*, quæ malignantem negationem ſapit, pronunciat Queſnellius. Etiam ipſe timor ſervilis honeſtus cor peccatoris concutiens, ipſum honorat, imperfectè, ſcilicèt, & initialiter: quemadmodum, quamvis charitas ſola ſit perfecta ſapientia, nihilominus, *Initium ſapientiæ eſt timor Domini*: timor inquam ſervilis bonus, vt aliſque, quem foras mittit charitas poſtea in cordibus diffuſa per Spiritum Sanctum.

5 Sicut ergo non ſola charitas eſt tota ſapientia, ita vt ipſa ſola ſit ſapientiæ initium, & conſummatio, ſimiliter non ſola charitas eſt totus cultus Dei, ita vt ipſa ſola ſit initium, & conſummatio cultus, & honoris Deo præſtiti: ſed timor incipit Deum cole-

re.

LVI. PROPOS. COND.

Deus non remunerat niſi charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Matth. 25. 36. *Dieu ne recompenſe que la charitè, parce que la charitè ſeule honore Dieu.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

T. 47. de C[illegible] c. 3. 15. SANCT. Bernardus. *Quid igitur nobis prodeſt tanta in noſtro victu parcitas, in habitu vilitas, in vigilijs, & diſciplinis iugis auſteritas? Paucis accipe. Quædam ſunt charitatis obſequia placentia, & placantia, ſi in charitate fiant: at ſine charitate nihil proſunt. Hæc eſt enim virtus in qua nec minimum opus reſpuitur, ſine qua nec maximum acceptatur.*

De Dono perſev. cap. 16. S. Auguſtinus. *Prævenit charitatem, qua vna Deo veracitèr, & ſuavitèr obeditur.*

Idem. *Porrò pietas cultus Dei eſt, nec colitur illi niſi amando.* Ep. 167.

NULLAS HIC ANONYMUS REFLEXIONES, AUT notas habet.

ANIMADVERSIONES.

1 FALSÆ aſſertionis, falſiſsima redditur cauſalis, vt ex vtraque parte ſit propoſitio erronea, & Patribus vndique adverſa, quod non multis demonſtrare contendo, quia fuſe ſuprà eſt [illegible], virtutes habitus ſine charitate, atque etiam à Paginis, non eſſe apud PP. & præſertim apud Auguſtinum vitia; & conſequentèr, opera earum, non alioqui poſitivè inordinata, non eſſe mala defectu ordinationis per charitatem, ſed bona: neque eſſe omninò ſterilia fructus, aut prandij temporalis, quamvis

vis non æterni: atque hoc modo fuiſſe remunerata à Deo in Romanis, & in alijs
Pag. 141 n. 103. Ethnicis, vt in Nabuchodonoſore, vt teſtantur Sancti Hieronymus, & Auguſtinus.

2 Nec niſi adverſus Tridentinum dici poteſt, quod Deus non remunerat niſi ſolam charitatem, cum palàm doceat, quod in peccatoribus, in quibus amiſſa eſt charitas; actus fidei, timoris, & ſpei, alijque quibus præparantur ad iuſtificationem, efficiunt integram illam diſpoſitionem, contritionem ſcilicet, quam dicit eſſe impetratoriam veniæ. Aut ergo Queſnellius diſſentiat Concilio, negans illam eſſe tanti favoris, & beneficij impetrationem; aut audeat male ſentire de munificentiſſimo Deo, qui remunerare nolit, opus quod ſui muneris, aut doni, impetratorium eſt.

3 Inſupèr, & de mendacio, vel de ſpe futili arguat
Pſal. 50. Davidem dicentem: *Cor contritum, & humiliatum, Deus non deſpicies*: coarguatque S. Auguſtinum ita exponentem:
Ibid. *Ipſa eſt ſalus, quam nondum habemus, ſed habituri ſumus. Nondum eſt res, ſed certa ſpes.* Item redarguat Nazianzenum aientem: *Nihil eorum*
Orat. 9. *quæ Deo offerimus, tam parvum eſt, quamvis etiam minimi momenti ſit, quamvis longe infra illius dignitatem, quod non omnino accipiat gratumque habeat.* Nec longè à Deo eſt, qui non labiis tantum, ſed corde, quamvis nondum amante, ſed tamen humiliato, & ex timore contrito, ipſum honorat.

4 Quamvis itaque ſola charitas Deo tribuat honorem perfectum, ac maximum quem homo poteſt, debetque Deo; non ſola illa Deum honorat, vt palam, & affectata illa limitatione *ſola*, quæ malignantem negationem ſapit, pronuntiat Queſnellius. Et enim ipſe timor ſervilis honeſtus cor peccatoris concutiens, ipſum honorat, imperfectè, ſcilicet, & initialiter: quemadmodum, quamvis charitas ſola ſit perfecta ſapientia, nihilominus, *Initium ſapientiæ eſt timor Domini*: timor inquam ſervilis bonus, vtilisque, quem foras mittit charitas poſtea in cordibus diffuſa per Spiritum Sanctum.

5 Sicut ergo non ſola charitas eſt tota ſapientia, ita vt ipſa ſola ſit ſapientiæ initium, & conſummatio; ſimiliter non ſola charitas eſt totus cultus Dei, ita vt ipſa ſola ſit initium, & conſummatio cultus, & honoris Deo præſtiti: ſed timor incipit Deum cole-

re,

re, & honorare; charitas, timoris ſervilitate depulſa, cultum, & honorem perficit. Ita plane S. Auguſtin. loco vltimo ab Anonymo laudato.

6 Cujus integrum teſtimonium audire oportet, vt evidenter appareat, quam doloſè Anonymus paucula illa verba pro ſuo Queſnellio deſumpſit, prætermiſsis alijs quibus, & doctrinam a nobis doctam confirmat, & præiactam ac nimis abſolutam Queſnellianam theſim damnat. Igitur S. Doctor explicans illud
Pſa. 21. 24. Pſalmi: *Qui timetis Dominum, laudate eum*, inquit: *Porrò pietas cultus Dei eſt, nec colitur ille, niſi amando. Summa igitur, & vera ſapientia eſt in præcepto illo primo, Diliges Dominum, &c. Ac per hoc ſapientia, & charitas Dei .... Initium autem ſapientiæ timor Domini: & timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. Proinde præmiſſus timor in cor noſtrum pellit inde conſuetudinem malorum, & ſervat charitati locum, quæ, tanquam Domina venerit, vt illa inſideat, abſcedit: ergo qui timetis Dominum, laudate eum.*

7 Ecce equidem à timore ſervili inchoatur laus, inchoatur cultus, & honor Dei, quemadmodum, & inchoatur ſapientia: charitas autem vt ſumma, ſeu maxima ſapientia eſt, conſummat etiam, & perficit honorem, & cultum Dei. Si igitur timor ſervilis, proprius peccatoris non habentis adhuc charitatem, honorat, & laudat Deum quamvis inchoative, juxta S. Auguſtinum: quanto magis fides, & ſpes per quas peccator propius accedit ad Deum, erunt cultus, & honor præſtitus Deo, quamvis nondum per charitatem perfectus? Ergo falsò affirmat Queſnellius ſolam charitatem Deum honorare, contendens pertinaci ſui erroris conſequentia, reliquos actus non formatos per charitatem ab omni ſpecie virtutis ſpoliare.

8 Si itaque in actibus timoris, fidei, & ſpei in peccatore, ſtat aliquis, ſeu initialis cultus, & honoratio Dei, non ſic illiberalem, aut avarum donorum ſuorum licet Deum effingere, quod nequaquam illorum remunerator ſit, quamvis nullo iure meriti condigni eis operibus mercedem reddat. Minimi momenti, fateor, opera illa ſunt nondùm per gratiam dignificata, & longè infra dignitatem Dei; ea tamen accipit, grataque habet, vt ait Nazianzenus: & aut negandum eſt, quod beneficentiſsimus ſit, aut neceſſariò ſa-

fatendum, quod & ita parcè, aut modicè ſe colentes remunerat.

9 Et quidèm contraria Queſnellij aſſertio videtur planè repugnans Apoſtolo, qui loquens de impio deſiderante iuſtificari, & propterea prædictis actibus ad Deum accedentem, inquit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Redarguat iam Queſnellius Paulum, dicatque: Nequaquam oportet credere id quod non eſt, nam Deus remunerator non eſt eorum qui charitate carentes ad eum accedunt deſiderantes iuſtificari, & per timorem, fidem, & ſpem ipſum inquirentes. Verum apage duplicatam execrandam blaſphemiam, audi que S. Thomam aientem: *Nullus accedit ad Deum niſi per fidem. Accedentem autem per fidem oportet credere Domino .... Secundo, quod ſciat quod Deus habeat providentiam de rebus: alitèr enim nullus iret ad ipſum, ſi non ſperaret remunerationem ab ipſo.*

Ad Heb. 11. 6.

Lect. 2.

10 Et ſanè qui diffitetur Deum eſſe bonorum operum remuneratorem, Deo providentiam negat, quæ maximè in præmio proborum, & improborum ſupplicio reſplendet, vt multis, & eleganter demonſtrat Salvianus contra ſacrilegos dicentes, Deum humanorum actuum incurioſum, nec bonos cuſtodire, nec malos coercere: probans diffusè Deum omnia curare præſentia, gubernatione, & iudicio; cumque hoc maximè ſe habeat circa iuſtam retributionem premiorum, & pœnarum pro vniuſcuiuſque meritis, Exindè colligit quod Deus *Iudex noxios punit, innoxios munerat.*

In lib. de Provid.

Lib. [illegible] fine

11 Verùm ſtatuto in precedentibus, & præſertim in refutatione primæ ſub hoc titulo propoſitionis, quod non omnia opera impiorum etiam Paganorum, & infidelium, ſunt peccata, nec virtutes eorumdem ſunt vitia, id modò erat ſupponendum, neque iteràm probandum, ne cum Lectoris faſtidio actum agamus. Sed quoniam Queſnellius vult ad hoc nos cogere, multiplicatis nimirum propoſitionibus quæ eumdem omninò erroneum ſenſum præſeferunt, idcirco & nos denuò ad illum refellendum incitat: quod tamen ſic faciemus, vt minimè dicta iam inculcantes (quod & hucuſque præſtitimus) & de ſingulari vniuſcuiuſque propoſitionis argumento agentes, errorem communem ad quem ſingulæ confirmandum collimant, per

ipſammet rationem quam in vnaquaque aſſumit, debellemus.

12 Cùm itaque Queſnellius ſuadere velit, quod omnes actiones impiorum ſunt peccata, quia privati charitate, & deſtituti victrici, imò neceſſitante, delectatione divinæ gratiæ, quâ poſſint bene operari, & ſine qua nec quicquam boni efficiunt; ad hoc Janſenianum dogma ſtabiliendum, ſingularia argumenta, aut motiva, in ſingulis ſuis aſſumit propoſitionibus: & in præſenti eo vtitur, quia nempe, Deus ſolam charitatem, non alias actiones, ſine illa remunerat, ſatagens exinde concludere, quod aliæ quæcumque actiones ſine charitate, nequaquam bonæ ſunt. Atque, vt eius concluſio rem ſuſtineat, aſſumptum conatur ex Patribus confirmare.

13 Nos autem ab oppoſito vtriuſque, quamvis ſtatutum, & ex ſcriptura Concilijs, & PP. demonſtratum relinquamus non omnes actiones impiorum eſſe peccata, ſed imò plures, aut nonnullas, bonas, & virtuoſas eſſe: nihilominus modò etiam probaturi ſumus Deum prædictas remunerare actiones; vt exinde etiam concludamus, quod & illæ bonæ ſunt, & remuneratione dignæ, ex conſequentia mutua converſione ipſis inevitabili, & quâ etiam Queſnellius duplicati redarguetur erroris negans eis actionibus bonitatem, & Deo remunerationem illarum.

14 Et quamvis ex dudùm dictis, ſat conſtet, quod Deus remunerat in peccatore Chriſtiano actus timoris, fidei, & ſpei, quibus ipſum colit, dum iuſtificari amans ad eum accedit: adhuc hoc ipſum de Paganis, & infidelibus docet laudatus Salvianus apertis ſententijs, & exemplis quibus Dei Providentiam ſuadet. Nihil namque magis cunctæ ſui operis paginæ perſonant, niſi quod Deus plura in Paganis, & infidelibus opera bona remunerat, ſemper præmijs temporalibus, Regnis, victorijs, opibus. Ex quo Chriſtiani vitioſiores cum ſint, iniuſtè de Providentia conqueruntur quod Barbari præ illis feliciores in mundo habeantur.

15 Hoc enim eſt argumentum totius fermè politiſſimi operis, alioqui litturandi, execrandique, ſi vera foret propoſitio Queſnellij. Sed enimverò opus, & Author ſat commendantur ſapientum omnium præconijs, & conſenſu, vt ab vno Queſnellio pereant. Igitur ille poſtquam pleno ore virtuoſos appellat *Fabios, Fabritios, Cincinna-* Lib. 1. 801.

tos, inquiens, fuiſſe *priſca virtutis Viros*, quia de Reipublicæ conſervatione, & augmento tantùm curantes, ipſi pauperes, agreſtem vitam agentes, ab omni illecebra alienos ſe eſſe elegerunt: Græcoſque antiquos, ſimiliter virtutis, & ſapientiæ ſectatores laudat, vt de omnibus concludat, quod cum Deus cuncta prout rationabile eſt, regat, & diſponat: *Dum enim ſemper gubernat Deus, ſemper iudicat, quia gubernatio ipſa eſt iudicium*, cenſendum ſic, non abſque remuneratione, eorum opera bona reliquiſſe.

16 Quod multis poſtmodùm ſatagit evincere, probans mores Chriſtianorum, illo ſuo tempore, peiores eſſe quam Barbarorum, ob quod & illos Deus ſupplicijs, & iſtos præmijs temporalibus afficiebat: non quod Barbari minùs mali erant; ſed quia in aliquibus boni, virtuoſique, ſeu harum virtutum cultores, quas Chriſtiani ſpernebant. Quocirca, inquit, iuſta Dei retributione, Aquitanos, quia impudicos, fuiſſe à Gothis victos, eorumque Regionem vaſtatam: ſimiliter Hiſpanos merito fuiſſe à Vvandalis ſubiugatos: & è contra Gothi, quia pudici, victores de luxurioſis Gallis extitere; Vvandali quia honeſti, de libidinoſis triumpharunt Hiſpanis. *Dupliciter*, ait, *in illa Hiſpanorum captivitate, Deus oſtendere voluit quantum, & odiſſet carnis libidinem, & diligeret caſtitatem: tum & Vvandalos ob ſolam maximè pudicitiam, illis ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam, vel maximè impudicitiam ſubiugaret.* Lib. 7.

17 Itèm, in eiſdem Gothis, & Vvandalis, remuneratam à Deo humilitatem docet, qua ſcilicet ipſum deprecantes ſperarunt ab eo victoriam; & e contra clade punitos Hiſpanos, & Gallos, ob ſuperbam de viribus proprijs confidentiam. *Non ita Gothi, non ita Vvandali, qui & in diſcrimine poſiti opem à Deo poſtulant, & proſperitatis ſuæ munus divinis nominibus appellant .... Cum enim Gothi metuerent, præſumpſimus nos: nos in viribus ſpem ponere, illi in Deo .... Illis data eſt in ſummo timore palma; nobis in ſumma elatione confuſio .... Illis enim exaltatio data eſt pro humilitate, nobis pro elatione deiectio.* Ibid.

18 Hæc itaque ſunt Providentiæ Dei digniſsima munia, invictaque pro ſe argumenta, bona, ſcilicet, opera remunerare, & mala punire, ſummo iu-

dicio præmia, & pœnas, bonos, & malos actus diſcernens. Quarè dum aſſerit Queſnellius Deum ſola charitatis opera remunerare, planè, & pravè Epicurizat, cogitans Deum omnino improvidum de Ethnicis, & infidelibus, ſeù humanorum actuum eorumdem negligentem: qui cum nequeant eos per charitatem imperare, nullam proinde de illis curam habebit, niſi forsàm ad ſupplicium dumtaxat. Quod ſi ita Queſnellio placet, ipſe eſt qui (quod alibi nobis exprobrat) Deum effingit Dominum intractabilem, durum, Iudice Salviano: *Dicentes* inquit, *Deum incurioſum, Deum non intendentem, Deum negligentem, Deum non gubernantem: ac per hoc immiſericordem, & inpraſtabilem, inhumanum, aſperum, durum.*

Cap. 135.

19 Adeò propria eſt divinæ Providentiæ notio, quorumcumque bonorum actuum, & in quocumque ſint, remuneratio, vt & S. Chryſoſtomus agens ſimiliter de illa, & loquens de peccatoribus in quibus non eſt charitas, ex hoc ipſo capite Providentiam commendat, dicens: *Nonnullos hic peccatores videſitur, quoſcumque pro rectè factis, in oculis omnium premijs donat.*

Lib. 1. de Prov. ad Stagir.

20 Item S. Auguſtinus docens qualitèr divina Providentia regantur vniverſa, ait: *Ille igitur vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deſerit genus humanum, quo modo voluit, & quantum voluit Romanis Regnum dedit, qui dedit Aſſyrijs, vel etiam Perſis.* Dixerat autem antea: *Si neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſsimi imperij concederet, non redderetur merces bonis actibus eorum, ideſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.* Ac ſi neceſſarium ſit, quod Deus remuneret bona opera etiam in Ethnicis, cum genus humanum iudicio regit. Unde concludit: *Non eſt quod de ſummi, & veri Dei iuſtitia conquerantur, perceperunt mercedem ſuam.*

Lib. 5. de Civit. cap. 21.

Cap. 15.

21 Teſtimonijs adeò perſpicuis patentèr obſiſtit theſis Queſnellij, aſſerentis Deum non remunerare niſi ſolam charitatem, vt exindè concludat, non eſſe bona, ſed imò mala, alia opera non imperata à Charitate, vt quæ non ſunt à Deo remunerabilia. Sed cum manifeſti erroris convincitur tam apertis ſententijs aſſerentibus ea opera eſſe remunerabilia, & remunerata à Deo, conſequentia prorsùs inevitabili ab ipſo, colligitur, non mala, ſed bona

na opera eſſe. Contra quem voluimus etiam hoc vti argumento divinæ Providentiæ, quo dum oſtendimus quantum illi deroget; plenius appareat quam digna eius propoſitio ſit, vel ob tantam impietatem, ſevera cenſura, & damnatione, per Sacroſanctam Conſtitutionem *VNIGENITUS* pronuntiata.

22 Quæ autem ad eam temerariò ſuffulciendam Anonymus ex SS. PP. adducit, ſola ipſorum lectione, & collatione cum his quæ contra allegavimus, inania prorsùs apparebunt; nemoque erit, vel etiam malè præoccupatus, qui non illicò ea incohærentia, & importuna cenſeat. De vltimo

Num. 6. teſtimonio Auguſtini fraudulentèr truncato, ſat ſupradictum eſt, ampliuſque contra ſequentem propoſitionem, ſententia eius de eadem re fiet manifeſta. Alia eius verba, quibus dicit quod *vna*

Pag. 424 num. 25. *charitate Deo ve aciter, & ſuaviter obed tur*: alibi fuere ab Anonymo obiecta, & à nobis ex ipſo Auguſtino explicata, intelligendaque

Pag. 333 num. 10. conformitèr ad eius mentem, & vſum loquendi, de obedientia vera, ideſt formata per charitatem, à qua habet eſſe meritum premij non temporalis, ſed æterni.

23 Denique, teſtimonium ex tractatu de Charitate, cuius Author non eſt S. Bernardus, vt ſupra diximus; *Pag. 498 num. 10.* hoc dumtaxàt probat, quod ſæpè, ac ſemper aſſerimus, & præſertim nuper exponentes textum S. Pauli, quod nempe nihil proſunt vt meritum condignum vitæ æternæ, opera ſine charitate: opera quæ non ſunt *obſequia* (ita ibi loquitur Author) vel facta in obſequium Dei, quod habent à charitate ea imperante, aut ordinante; ſic enim illa ſunt *placentia*, & *placantia*: ad quos mirabiles effectus, acceptantur à Deo.

24 Hæc verò cum ſuam ſupra alias virtutes excellentiam intemeratam ſervant charitati, non propterea alijs detrimentum inferunt, earumve actus etiam in Paganis, & quibuſcumque infidelibus, & impijs, malos, Deo inviſos, atque remuneratione temporali indignos, vel leviter innuunt, quidquid Anonymus pro ſuo Queſnelio contendat. Dumque ambo errantes putant, aut ſimulant, ſe eſſe circa Dei honorem, & ſuæ charitatis obſervantiam pios; ſe potiùs impios, contra Dei Providentiam, & munificentiſſimam eius bonita-

tem

Lib. 5. de Provid. tem agnoſcant, ſententia laudati Salviani aientis: *Veritas apud nos eſt, ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. Honor Dei apud nos eſt, ſed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis eſſe quod credunt. Inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſt ſummum religionis officium. Impij ſunt, ſed hoc putant veram eſſe pietatem. Errant ergo.... Honorare ſe Deum, atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei exiſtimant charitatem.*

LVIII. PROP. COND.

Nec Deus eſt, nec Religio, vbi non eſt Charitas.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

1. *Joann. 4. 8.* *Il n' y à ni Dieu, ni Religion, où il n' y à point de charité.*

NOTULA ANONYMI.

PRopoſitio S. Joannis quæ P. Queſnellio anſam ad ſuam præbuit, ſufficit ad hanc iuſtificandam. *Qui non diligit non novit Deum: quoniam Deus charitas eſt.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Tract. de Char. c. 3. 15. SANCT. Bernardus. *Solus igitur amor eſt quem à nobis Deus exigit .... Plenitudo legis charitas eſt, & legem continet, & Prophetas. Quia quidquid divina Lege indicitur, vel interdicitur, ad ſolum amorem reducitur. Solve tributum amoris, & Domino noveris ſatisfactam.*

Ep. 140. cap. 18. S. Auguſtinus. *Quis autem veracitèr laudat Deum, niſi qui ſinceritèr amat? ..... Porrò pietas cultus Dei eſt, nec colitur ille niſi amando.*

ANIMADVERSIONES.

1 EST Deus, eſt Religio, etiam vbi non eſt charitas. Eſt namque Deus vbi fide ſine charitate, ipſi

ipſi & in ipſum creditur, & vbi ſpe, charitate nondùm introducta, deſideratur. Eſtque itèm Religio, & cultus Dei, vbi timore ſervili honeſto præcedente fidem, & ſpem, & quem foras mittit charitas adveniens, colitur etiam Deus. Hæc à me propoſita, quibus præfata propoſitio Queſnellij duplicata negatione abſolutè adverſatur, expreſſa aſſerta ſunt SS. PP. vt propterea habenda ſit Queſnelliana theſis directè, & audactèr contra ipſos pronuntiata.

2 Eaque vlterius pugnat apertè cum Canonibus Tridentini. Item cum Bulla Gregorij XIII. vt inter Baianas comprehenſa. Etiamque extat inter damnatas ab Alexandro VIII. vt propterea tot titulis abſurda, multiplici iure ſit execranda.

Seſſ. 6. Can. 7 & 8.
Prop. 17. 55. 57. & 59.
Propoſ. 7. 11. & 12

3 Quamvis ad oſtendendam repugnantiam propoſitionis cum ſententijs Patrum, ſufficere poterant, primò teſtimonium alibi allegatum S. Bernardi commendantis timorem, & ſpem in peccatore, medijs quibus Deus tentat illum ad ſe convertere; vt proindè verum debeat eſſe, quod in eo nondùm habente charitatem, Deus eſt, & Religio: Secundò, plurima S. Auguſtini ejuſdem ſenſus, & ad idem ſuadendum, ſupra ſimilitèr laudata. Hæc nam quæ ſatis erant ad confutationem Queſnellij, & confutationem Anonymi, hos præſertim duos Sanctos Patres pro ipſo allegantem.

Pag. 480 num. 5.
Pag. 414 num. 16. & ſeqq.

4 Cæterùm, quia conſilium eſt non eadem quælibet oportuna, cum Lectoris tedio reponere; & vt ſimul appareat quantum veritate, & ſoliditate prævaleat cauſa multiplicibus ſuffragijs commendata, alia & prætereà S. Auguſtini producam teſtimonia, quæ planè confirmant aſſerta propoſita, & ſoli Queſnellio ingrata. Et primò, cum per ſe evidens ſit Deum, & Religionem eſſe, vbi Deus ipſe colitur, cum S. Auguſtinus expreſſe doceat, Deum non tantum charitate, ſed fide, & ſpe coli, certò colligitur quod cenſuerit, Deum, & Religionem eſſe, vbi etiam ſine charitate, fides, & ſpes inveniuntur.

5 Ita quidèm, nam per totum Librum Enchiridij, de hoc agit quod initio tractandum aſſumit, dicens *Ut igitur ad illa tria redeamus per quæ diximus colendum Deum; fidem, ſpem, charitatem, facile eſt vt dicatur quid credendum, quid ſperandum, quid amandum ſit.* Idque ſigillatim de fide, & ſpe explicat *Cap. 7.*

[illegible]

pluribus capitulis, antequam de charitate propè finem agat, vbi de iſta addit. *Quod verò ita ſit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum ſit quemadmodum fieri oportet.* C. 121.

6 Per quæ duo manifeſtè indicantur. Primum, quod in ſuperioribus egit de fide, & ſpe, quibus, iuxta ipſum, Deus colitur, ſeorſim à charitate. Secundum, quod ſine illa, non eſt meritorius deco, idigno vitæ æternæ cultus per fidem, & ſpem Deo exhibitus, hoc enim ſignificat illud: *Nondum ſit quemadmodùm fieri oportet.* Quin, & item denotat timorem pœnæ quo peccator Deum Judicem reveretur, eſſe etiam cultum Dei, nimirum cohærenter ad ea quæ ex eodem S. Auguſtino retulimus contra præcedentem propoſitionem. Ex quibus ea tantum verba Anonymus ad præſentem allegat, quæ integri teſtimonij ſenſum depravant, trahuntque violentèr ad ſuffragium Queſnellij, quæ non interrupta ipſum condemnant. Pag. 505. num. 5.

7 Ut autem evidentiùs fiat quod S. Auguſtinus non tenuerit Deum coli, non ſolum charitate, ſed & timore; vtque exindè conſtet patens nequitia Anonymi, verba eius ad favendum Queſnellio intercipientis notandum cupimus, quod in Epiſtola ab Anonymo citata, ea profert verba exponens illud Pſalmi: *Qui timetis Dominum, laudate eum,* quod ibi ait perindè eſſe, ac date honorem, & cultum Deo. Qui cultus, inquit, à timore incipit, quia timor initium ſapientiæ eſt: perficitur autem à charitate, quia hæc eſt conſummata, & ſumma ſapientia. Et hic eſt totus ſenſus integri teſtimonij S. Auguſtini.

8 E quo Anonymus hæc excerpit: *Quis autem veracitèr laudat Deum, niſi qui ſinceriter amat?.. Porro pietas cultus Dei eſt, nec colitur ille niſi amando.* Ut videlicet colligat, & O quam ſinceritèr! Quod ſola charitate Deus colitur, non autem virtute alia à charitate, multoque minus timore pœnæ, quem foras charitas mittit, & quem permaximè Queſnellius, & Janſeniſtæ tanquam exitialem reprobant. Verum S. Auguſtinus contrarium ibi, vt ſupra vidimus prædicat, & hunc ipſum Pſalmum dedita opera exponens, id ipſum paucis hiſce, & perſpicuis verbis enunciat: *Qui timetis Dominum laudate eum. Ubicum-* Expoſ. 2.

cumque timetur Deus, laudatur.

9 Quin, ſi pietas cultus Dei eſt, vt revera eſt, aut falſa, & contraria loquitur S. Auguſtinus, aut cenſendum eſt ſentire, quod timor ſervilis honeſtus initium eſt, & pietatis, & cultus Dei. *Nunc vero*, inquit, *quoniam pietas timore inchoatur, charitate perficitur, populus timore conſtrictus tempore ſervitutis in veteri lege, multis Sacramentis onerabatur.* Vbi notandum, ne vllum latibulum relinquatur Queſnellio, aut Anonymo, quod de illo timore loquitur, qui apud ipſos erat in lege veteri, & pure ſervilis; atque idcircò ab eiſdem reputatus pravus, & impius: ſed tamen ille eſt S. Auguſtino inchoatio pietatis erga Deum.

De Vera Relig. capit. 7.

Prop. de Vet. & novo fed. p. 196.

10 Conſonat aperte S. Ambroſius, dicens: *Pietas timorem Dei ſervat .... Timor enim diſciplina ſapientiæ eſt.* Scilicet, quia vt initium ſapientiæ timor, eſt etiam pietatis inchoatio: conſummatioque, perfectio, & ſumma vtriuſque, charitas eſt. Et hoc eſt ipſiſſimum quod S. Auguſtinus dicit loco ab Anonymo adducto, & interpunctionibus ſuis depravato.

In Pſalm. 39.

11 Qui in ea ad Honoratum Epiſtola, non poterat aliud ſentire, quam quod in libro ad eumdem inſcripto ex inſtituto docet. In quo fusè, & eleganter demonſtrat contra Manichæos, quod etiam fides eſt via ad Religionem in eo, qui *vero animo ad accipiendam Religionem accedit: qui mentem ſupplicem præbeat.* En cultum in mente ipſa credentis. *Rectè igitur*, ait, *catholicæ diſciplinæ maieſtate inſtitutum eſt, vt accedentibus ad Religionem, fides perſuadeatur ante omnia.* Ita quidem in eis, fides, via, & initium Religionis, ac cultus Dei eſt.

De Vtil. cred. 10.

Cap. 13.

12 In quibus, quamvis nondum habeant charitatem infuſam; non poteſt non eſſe Deus; tum quia ad ipſum accedunt, iuxta illud Pauli, *accedentem ad Deum oportet credere*: tum quia quamvis non tunc ſit in eis inhabitans, eſt tamen præſentiſſimus, eos ad inchoandam viam, & capeſſendam Religionem adiuvans. *Quem niſi, & eſſe, & humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipſam Religionem debemus.* Inquit ibi Auguſtinus.

Ibid.

13 Eſtque proinde in eiſdem Religio, qui, & Deum colunt, ſupplices mentes eidem prebentes, & ipſi honorem exhibent, ſubiecta ad ipſum, & conformi voluntate. Ita etiam idem S. Auguſtinus. *Convertamur ad eum, vt id quod*

de Deo ord. 13.

quod bonum eſt, nobis quoque videatur bonum, & quod velimus illud, vt honoremus Deum. Eſt igitur Deus, eſt Religio, etiam vbi nondùm eſt charitas. Eſt namque tunc Deus inventus à quærentibus ipſum: Eſt etiam Religio tunc tantummodò inchoata. Eritque poſtea Deus per charitatem infuſam inhabitans: eritque ſimul Religio per eamdem charitatem perfecta, & conſummata.

14 Intereà autem prædicti actus honoris, & cultus, exhibiti a peccatore per timorem, fidem, & ſpem, actus ſunt Religionis, qua Deum largitorem ſalutis, & fælicitatis colit, atque honorat. Et ſi qui alij ſint actus eiuſdem erga Deum, non imperati à charitate, non propterea vitioſi, & contra Religionem ſunt, vt ſomniant Janſeniſtæ dicentes, quod, quia carent ordinatione ad Deum finem charitatis, ſi eliciantur propter ſolam honeſtatem divini cultus, cum hæc quid creatum ſit, & hoc ipſo quia propter ſe amatur, actum deturpat, & ſuperſtitioſum reddit.

15 At planè deſipiunt: nam vt multis hucuſque oſtenſum eſt, ea honeſtas creata, eſt finis intrinſecus operis vlteriùs ordinabilis, vel non ordinabilis ab operante in finem charitatis: qui ſi non illum ordinat, vt amiſſa charitate non poteſt, defectus ordinationis purè negativus eſt, non valens vlla turpitudine dehoneſtare actum ex fine ſuo intrinſeco bonum; qualiter illum fædaret, & ſuperſtitioſum redderet finis indebitus præpoſtere amatus, ſi nimiùm ad creaturam poſitivè referretur.

16 Dumque Janſeniſtæ prędicant prędictos actus cultus, & honoris, eſſe ſuperſtitioſos ſolo defectu negativo ordinationis per charitatem, nihil aliud faciunt, nihil ſanè aliud conſulunt, niſi quod peccatores privati charitate, Deum nullo modo colant, nec templa viſitent, nec ſacris interſint, nec verbum Dei audiant, neque vllum honoris, & cultus Deo exhibeant officium, quia videlicèt tenentur actus ſuperſtitioſos vitare. Ex quo duo, & ingentia ſequuntur abſurda: & quod eorum converſio maximè retardetur, & quod divinus cultus penitus labefactetur. Hæc Queſnellius ſua propoſitione, hæc Anonymus ſua defēſione ſuadent, quæ vt verbis Salviani vtar: *Tam ſtulta ſunt, & tam frivola, vt cavendum ſit, ne idipſum quod pro honore Dei dicitur, iniuria Dei eſſe videatur.* *De Provid. l. 1.*

17 Ethnici autem, qui ver-

verum Deum ignorantes, ipſum minimè ſuis actibus colebant, ſed imò implacatum ſibi faciebant ſuperſtitionibus ſuis, & honoribus falſis Dijs, dæmonibuſque præſtitis, nullum propterea cultum honeſtum Deo exhibuerunt; ſed potius depravatum, deteſtandumque, quia indebitum, & præpoſterum illi finem, creaturam ſcilicet, præſcripſere. Quod ſi verum Nomen, quamvis ſibi ignotum coluiſſent (qualiter Athenienſes per aram *ignoto Deo* erectam) actibus elicitis duntaxat ex motivo propriæ honeſtatis; nemo de hoc illos accuſaret, quia prædictus cultus quamvis nequaquam meritorius Regni cæleſtis, defectu relationis ad Deum per charitatem; foret tamen honeſtus ex obiecto ſuo, & fine intrinſeco operis, ac dignus qui à Deo temporali premio remuneraretur.

18 Quod videtur S. Auguſtinus non obſcurè innuere, dum ponderans, quam parùm, aut nihil ad obtinendum, dilatandumque imperium, profuerit Romanis cultus falſorum Deorum, inquit: *Sic ergo Regnum invito quidem Deo vero, nullo modo habere poſſent: Dijs vero iſtis, & multis ignoratis, ſive contemptis; atque vno illo cognito, & fide ſincera, ac moribus culto, & melius hic Regnum haberent, quantumcumque haberent.* Lib. 4. de Civ. cap. 28.

19 Neque audeo aſſerere nullos, ex Ethnicis verum Deum ita coluiſſe; quinimò exiſtimo poſſe id abſque temeritate affirmari de nonnullis, qui probè noverant Deos populariter cultos, figmenta Poetarum eſſe, & vel ideò tantum chymericos, quia multos: cum vnus tantum Deus, vna rerum cunctarum cauſa, vnus omnium Author, principium, & Rector, vel ex perfectione ſimplicitatis, ſuæ naturæ debita, vel ex concordia perpetua Vniverſi, quibuſlibet ſane ſapientibus ſe offerat naturaliter, ſaltem à poſteriori agnoſcendus; ac ſatis innuunt ita de illo ſenſiſſe, qui de natura Deorum ſcripſere: Ergo credendum eſt, quod iſti, & ſi qui alij eum etiam inconfuſo cognoverunt, eidem cultum, & honorem exhibuerunt: nam neque etiam ignorabant honeſtatem moralem iſtorum actuum: nam vt ait S. Ambroſius: *Lex naturalis tres habet partes, cuius prima hæc eſt, vt agnitus honoretur Creator.* In Epiſt. ad Rom. cap. 1.

20 Id dixerim, ne vel hanc vnam virtutem moralem in nullo Gentilium extitiſſe concedam Queſnellio, & Anonymo, qui omnes ab eis ablegant,

gant, vitia reputant, & cunctos earum actus perverſos dicunt, hoc tantùm, quia neque illæ charitate formatæ, neque iſti ſunt per charitatem imperati, contra tot SS. PP. teſtimonia hactenùs expenſa: ac tandem contra ſequentem, & expreſsiſsimam S. Thomæ ſententiam. *Virtutes morales prout ſunt operativæ boni in ordine ad finem qui non excedit facultatem naturalem hominis, poſſunt per opera humana adquiri, & ſic acquiſitæ, ſine charitate eſſe poſſunt, prout fuerunt in multis Gentilibus.* (1. 2. q. 65. art. 2. in cor.)

21 Quo illuſtri teſtimonio munitus nobilis Gallus Franciſcus Lamòthe Levayer in opere *de la vertu des Payens*, tuetur plures Paganos, ac maximè quos ibi nominatim recenſet, integram legem naturalem obſervaſſe: & propterea, quia *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, habuiſſe fidem implicitam Chriſti qua ſalutem æternam aſſecuti ſunt. Quam cogitationem fulcitam quam plurimis Patrum teſtimonijs ad calcem operis allegatis, deſumpſit (quod ipſe ingenuè fatetur) ab antiquiore Viro Hiſpano erudito Joanne Geneſio de Sepulveda Cordubenſi: qui idem argumentum, ſelectis etiam Scripturæ, & PP. teſtimonijs confirmatum, diſcutit, & propugnat, in quadam Epiſtola ad Petrum Serrano, non inferioris ſapientiæ virum. (Epiſt. 3 m)

22 Quamvis meam de re iſta ſententiam quondam dixerim, & ſat expreſſam habeam in tomo Prolegomenon; (Proleg. 1. §. 8. num. 424.) nec tunc animus fuerit, neque in preſenti velim eam, aut tanquam certam, ſeu adhuc probabiliorem defendere; aut tanquam falſam penitùs reijcere: ad id tamen illius modò memini, vt amplius conſtet falſitas theſium Queſnellij ſub hoc titulo, cum ſententia adeo extremè oppoſita cenſet, nullam omninò fuiſſe in aliquo Paganorum virtutem, neque cultum non ſuperſtitioſum defectu charitatis. Contra quem plurima adhuc producere poſſem, & à PP. confirmata, ſpecialitèr de Socrate quo ad cognitionem quam habuit vnius Dei, & cultum ipſi ab eo præſtito, quæ lubens omitto, videnda ſi placet, tomo citato. (Proleg. 4. §. Vn. numero 17.)

23 Supereſt vt reſpondeamus Anonymo conanti confirmare propoſitionem Queſnelli j verbis S. Joannis, & ſententia quam dicit Bernardi (nam de teſtimonio S. Auguſtini ſatis ſupra.) Quod attinet ad S. Joannem, manifeſtus

feſtus eſt illius ſenſus, ut intelligi debeat, quod, *Qui non diligit, non novit Deum*, ſcilicet, ſecundum quod Deus charitas eſt, quippe hoc ſignificant verba hæc adiuncta: *Quoniam Deus charitas eſt*, quod ſanè verum eſt. Ut ſimiliter vera ſunt iſta. *Qui non timet, non novit Deum, ſecundum quod Iudex eſt. Qui non credit, non novit Deum, ſecundum quod verus, aut veritas eſt. Qui non ſperat, non novit Deum, ſecundum quod remunerator eſt.*

24 At quemadmodùm quis peſsima illatione colligeret, quod qui timet, & credit, nondùm tamen tunc ſperat, nequaquam novit Deum, neque illum colit, quia tunc non novit Deum, quoniam remunerator eſt: peſsima inquam, quoniam eo ipſo negaret Deum cognoſci, & coli, quia iuſtus, & verax eſt: Ita, & iniquiſsima conſequentia Anonymus ex eo quod Ioannes dicit, *Qui non diligit non novit Deum, quoniam Deus charitas eſt*, vult pro ſuo Queſnellio colligere, quod dùm peccator ſe diſponit ad iuſtificationem timendo, credendo, ſperando, quia tunc nondùm diligit, nequaquam novit, nec colit Deum, quoniam Deus charitas eſt: ac ſi Deus nec ſit cognoſcendus, nec colendus, aut adorandus, quia iuſtitia eſt, quia veritas eſt, quia beatitudo eſt; ſed ſolummodò quoniam charitas eſt.

25 Abſit omninò ſenſus iſte à Sanctiſsimo Apoſtolo, qui ibidem antequam de habenda per dilectionem notitia Dei, quoniam charitas eſt, ſuppoſuit expreſse, habitam ab his quibus ſcribit, notitiam Dei, quoniam Iuſtus eſt, dicens: *Si ſcitis quoniam Iuſtus eſt*: Et notitiam Dei, quoniam veritas eſt; inquiens: *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam.* Ineptiſsimus itaque Commentator Queſnellius, perverſa iterpretatione, atque illi advocatus veniẽs Anonymus iniqua defenſione, contendunt conformem Ioanni propoſitionem, quæ verbis illius oſtenditur adverſa, & demonſtratur erronea. *Epiſt. 1. c. 2. 21. & 29.*

26 Nec teſtimonium aliud ex tract. de charitate (qui ut non ſemel notavimus, S. Bernardi opus non eſt) ullum ſuffragium propoſitionis miniſtrat Anonymo, avide excipienti quæcumque invenit de laudibus charitatis, velutì oportuna, & genuina ad tuendos ſui Magiſtri errores argumenta. Quia namque Author eo loco commendat charitatem ex illo Pauli: *Plenitudo*

le-

legis eſt charitas; exultat, & ibi ſe reperiſſe putat, quod *Nec Deus eſt, nec Religio, vbi non eſt charitas.* At, vel plurimum fallor, vel contrarium neque obſcurè ibidem extat, in verbis ſcilicet, quæ Anonymus ſolita ſinceritate ex teſtimonio prætermiſsit.

27 Ait quippe Author. *Solus igitur amor eſt, quem à nobis Deus exigit* (ſequentia omiſsit Anonymus) *aut cum beneficijs obruit, aut flagellis corripit, vel conſilijs inſtruit, vel mandatis aſtringit. Plenitudo legis charitas eſt, &c.* Ergo Deus, gratia, miſericordia, & Iuſtitia ſua, eſt in nobis operans ea omnia, dum ſui amorem exigit à nobis, & proinde antequam ipſum redamemus. Quod ſi recogniti, correpti, inſtructi, & obedientes reſpondeamus Deo, quis negare audeat nos his actibus illi cultum exhibere? Eſt itaque Deus, eſt Religio, etiam vbi nondum eſt charitas.

28 Ita equidèm eſt Deus præſentiſsimus peccatori gratia ſua, ſuis beneficijs, ſuis admonitionibus, & præceptis, illum ad ſe redamandum adiuvans, provocans: eſtque etiam in peccatore obediente, cultus Religionis præſtitus Deo, dùm actibus ſuis legitimè diſpoſitum, & paratum ſe offert ad ipſum, per infuſam charitatem in corde inhabitantem, recipiendum, & amandum: per quam, quia totus religioſe Deo devovetur, & ſacratur, cultus ille per priores ſuos actus duntaxat inchoatus, perficitur: Religio antea tantum initiata, augetur, & conſummatur.

29 Hæc eſt veritas Catholica, quam Eccleſia fideliter tenet, & hoc ipſum praxi ſua à Deo petit, noſque petendum ita docet: *Deus virtutum cuius eſt totum quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis Religionis augmentum; vt quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita cuſtodias.* *Domin. 6. poſt Pent.*

30 Non enim Deus ſolius charitatis, ſed & aliarum virtutum, Deus eſt, quia omnes bonæ, & ab ipſo; quamvis charitas optima, & forma aliarum ſit: per quas Deum religioſè colimus, etiam antequam pectoribus noſtris inſerat amorem ſui, priuſquàm diffundat per Spiritum Sanctum charitatem in cordibus; tunc, nimirùm, quando bona opera fidei, & ſpei, aliaque, gratia ſua præveniente agimus. His namque inchoamus cultum eius, & Religionem, cuius propterea, non initium, ſed augmentum ab amo-

amore, à charitate poſteà infuſa, exoptamus, & expectamus: quemadmodum, & ab ipſa nutrimentum, perfectionem bonorum, & iam perfectorum cuſtodiam.

31 Hic eſt ſenſus, hæc ſententia Eccleſiæ Deum exorantis, & exorare docentis, a quo omnino diſſonat theſis Queſnelliana, quæ proinde hoc ipſo habenda eſt abſurda, & digna fulmine, quo per Sacram Conſtitutionem *VNIGENITUS* percellitur. De quo etiam demonſtrationem faciunt tot adducta SS. PP. teſtimonia, quæ nata, & rei per ſe apta, præſeferunt verba verbis, & ſenſus, ſenſui propoſitionis repugnantia: cum ex adverſo Queſnellius, & Anonymus non ſimilia, ſed loca tantummodò communia, & ab ipſis aptata, pro ea allegent. Quibus cum S. Auguſtino id, quod ſimilitèr examuſim quadrat, dicam. *Ob* De Vtilit. cred. c. 1.
hoc putavi aliquid tale inferendum litteris meis, ut eos admoneam, deſinant talibus agere: ut quemadmodum ille ait, ſeparatis nugis locorum communium, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione confligat.

32 Sed imò cupio audiant libentiùs aliud eiuſdem Sanct. Auguſtini ſaluberrimum ad ſuum Honoratum monitum, quo viam illi facilem demonſtrat, per quam liberetur ab errore conantium, quamvis fruſtrà, evertere Religionem inchoatam per fidem. *Religionem ſtatuens, quam* Ibid. cap. 14. & 15.
non ſolum hæreticorum ineptiſſima novitas fraudibus agens, ſed nec gentium quidèm veternoſus error violentèr adverſans, aliqua ex parte convelleret. Quamobrem... Deum deprecare, ut te ab erroris malo liberet, ſi tibi beata vita cordi eſt. Quod faciliùs fiet, ſi præceptis eius quæ Sancta Eccleſiæ Catholicæ authoritate firmata eſſe voluit, libens obtemperes. Utinam Queſnelliſtæ tam ſancto monito acquieſcant! Utinam remedium adeo præſentaneum, quod in ſua poteſtate, & de ſuo debito eſt, ſibi applicare velint!

LXVIII. PROPOS. COND.

Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis, claudendo totum in fide, & precibus.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Act. 2. *Quelle bonte de Dieu d' avoir ainſi abregè la voye du ſalut, en*
25. *renfermant tout dans la foi, & dans la priere.*

NOTULA ANONYMI.

HÆC P. Queſnellij propoſitio, non aliud continet, niſi quod dicitur in iſto Actuum Apoſtolorum verſiculo. *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Ad Donat. SANCT. Cyprianus. *Noſtrum tantum ſitiat pectus, & pateat, quantum illud fidei capaces afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.*

Ep. 370. S. Bernardus. *Fides ſit hydria, & hæc magna ſit, ut ab ea multum gratiæ capiatur.*

ANIMADVERSIONES.

1 NEſcio planè quomodo hìc opportunus ſit iactæ propoſitioni locus, aut cur illã Anonymus, ſub titulo iſto *de Amore* locaverit? Niſi forſam quia per eam voluerit Queſnellius, veluti palinodiã cantans, abrogare immoderatas quas in reliquis propoſitionibus *de Amore* laudes protulerat. Quin & illum parùm, aut nihil neceſſarium ad ſalutem propoſitione iſta, ſeu indicat, hoc ipſo quod nullum de eo verbum habet; ſeu apertè probat, eo ipſo quod in fide tantum, & precibus abbreviatam per Dei bonitatem viam ſalutis, & totum quod ad eam aſſequendam requiritur, ibi concluſum dicit.

2 Verum quis patienter, ac

ſine horrore perferat, quod Queſnellius audeat revocare hæreſes Lutheri, & Calvini, proponens hanc ſalutis viam, & quidem abbreviatam, per fidem tantum, & preces, contra expreſſum Decretum Tridentini docentis, eam eſſe proponendam, quæ in omni opere bono conſiſtit, in ſpe, in dilectione, in perſeverantia, in quibus eam Apoſtolus

Seſſ. 6. cap. 16. poſitam affirmat. *Atque ideo*, inquit Concilium, *bene operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna.*

3 Via namque quæ nos rectà ducit ad vitam, in obſervatione omnium mandatorum ſita eſt. Hæc enim eſt via Juſtitiæ per quam ambulare debemus:

Ibid. capit. 11. *Quo fit, vt juſti ipſi eo magis ſe obligatos ad ambulandum in via iuſtitiæ ſentire debeant .... Itaque nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola ſe heredem eſſe conſtitutum*, inquit Tridentinum, ſemel, & iterum anathemate percutiens contrarium dicentes.

Can. 19. *Si quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio, niſi fidem, cætera, eſſe indifferentia .... Anathema ſit.* Item:

Can. 20. *Si quis hominem iuſtificatum, & quamtumlibet perfectum dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum .... Anathema ſit.*

4 Quo Canone obſtruitur os Queſnellio, & ſocijs, ſi velint dicere, ſe non conſentire Luthero, aut Calvino, aſſerentibus ſolam fidem ſine operibus eſſe viam ad iuſtificationem, & ſalutem; neque item velle ab hac via charitatem excludere: ſed quod dumtaxàt intendunt eſt, hominem qui ſupponatur iuſtus, Deo charus, & amore ipſius flagrans, habere per eius bonitatem, viam ad ſalutem fide, & precibus abbreviatam.

5 At hoc effugium omninò præcluditur anathemate Concilij, quoniam in poſtremo Canone loquitur expreſsè de homine iuſtificato, & quamtumlibet perfecto, damnatque dicentes, quod habeat viam ad ſalutem ſola fide abbreviatam. Non ergo valent ictum fulminis eludere Queſnellius, aut Socij qui id aſſerant, ſub explicatione alioqui abſtruſſa, ſeu potiùs impia, vt quæ ſignificat viam ſola fide, & precibus abbreviatam homini, cui quamtumlibet perfecto, foret indubie via difficillima, imò præceps, & aberrans, ſi non obſervaſſet alia mandata. Qua propter Novatores iſti videntur mihi ſimiles illis qui dicebant: *Ambu-* *Sap. 5. 7.*

lavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.

6 Veram viam, qua itur ad ſalutem, demonſtravit ipſe qui via eſt, Chriſtus Dominus, dicens: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Cuius licet ingreſſus, & initium fides ſit, non tamen hac ſola tota peragitur via, quæ obſervantia omnium mandatorum, renovatione vitæ, meritis, operibuſque, præſertim charitatis, & perſeverantia conſtat. Vnde S. Auguſtinus viã animæ ad Deum per fidem inchoatam, ponit in his omnibus dicens: *Non ſolum ad inhærendum fruendo, verum etiam ad perfruendum merendo illuminat ipſe lumen, donec de die in diem renovata, atque ſerenata, fiat tantæ felicitatis capax fide primum fuerat imbuenda, atque purganda. In qua ut fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Deus Dei filius homine aſſumpto, non tamen Deo conſumpto, eamdem conſtituit, atque fundavit fidem, ut ad Deum iter eſſet homini per hominem Deum.*

Mat. 19. 17.

Lib. 11. de Civit. cap. 2.

7 Hæc eſt via quam ipſe Deus infinita bonitate ſua cunctis hominibus abbreviatã fecit, & voluit in Vnigenito filio ſuo, de ſemetipſo dicente: *Ego ſum via, veritas, & vita*, quia videlicet, *Verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram, Verbum enim conſummans, & abbrevians in æquitate*, vt inquit S. Paulus, quando nimirùm omnipotens ſermo Dei, quem totus non capit orbis, à regalibus ſedibus veniens, in Matris ſe clauſit viſcera factus homo.

Ioann. 14. 6.
Ad Rom. 9. 28.

8 Tunc enim, & in ipſo patefacta eſt hominibus via ad ſalutem, adeo abbreviata, vt non dubitaverit S. Auguſtinus eam appellare *minutiſſimam* (niſi velis etiam legere munitiſsimam) dicens: *Hic eſt enim mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus. Chriſtus per id quod eſt mediator, eſt homo, & via perveniendi ad Deum. Per hoc enim mediator, per quod & homo, per hoc, & via. Quia ſi inter eum qui tendit, & illud quo tendit, via media eſt, ſpes eſt perveniendi .... Sola eſt autem adverſus omnes errores, via minutiſſima, ut idem ipſe ſit Deus, & homo: quo itur Deus, qua itur homo.* Errat itaque Queſnellius aliam abbreviatam viam nobis demonſtrans, quando hanc ſolam minutiſsimam dicit Auguſtinus, cuius alioqui doctrina munitiſsima nobis via eſt ad eius errorem confutãdum.

Vbi ſupr. de Civit.

9 Si tamen, quæras, quomodo ſit, aut dici poſsit abbre-

abreviata, & minutiſsima via quæ non tantùm fidē, & preces, ſed & ſpem, & obſervantiam omnium mandatorum continet; imò, & abundantiam in omni opere bono, vt ait Apoſtolus? Quam, & Concilium viam iuſtitiæ appellat, de qua Chriſtus Dominus, totam alias particulatim, & fusè deſcribens, inquit: *Niſi abundaverit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Matth. c. 5. 6. & 7.

10 Reſpondeo, verè dici, ac re ipſa eſſe abbreviatam viam, quam Chriſtus Dominus nobis fecit, attulitque in carne apparens, nimirum, per comparationem ad longiſsimam viam Judæis per legem veterem præfixam, obſcuram, plenamque anfractibus, & circuitionibus: nam viæ illorum tenebræ, & lubricum: qui tot legalibus præpediti, in tenebris ambulabant quærentes lucem, & facile caſuri ſi in vmbra litteræ pedem firmarent.

11 At dùm populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, lucem veram quæ illuminat omnem venientem in hunc mundum, hæc lux quæ orta eſt eis, accenſam etiam, & inextinguibilem reliquit omnibus facem, fidem ſui ſcilicet, antea veluti ſub modio abſconſam, & modò ſuperne in mentibus locatam, tamquam lucernam lucentem in caliginoſo loco, qua ponens prava in directa, & aſpera in vias planas, pervium iter ad ſalutem aperuit, abbreviatamque viam fecit, dùm ablatis vmbris quæ circuitionibus cauſa erant, ſola fide duce, præſto eſt cum magno compendio ſalus.

12 Do Chryſoſtomum. *Non opus eſt circuitione, non laboribus, non afflictione ea, quæ ab operibus legalibus exiſtit, ſed magno cum compendio ſalus præſto erit. Tale enim eſt fides, in paucis verbis habet ſalutem .... Vide quid ſit ſermonem abbreviatum faciet Dominus in terra. Et quod ſanè mirum, id eſt, quod videlicet brevis hic ſermo non ſalutem modo, ſed & iuſtitiam attulit.* Hom. 16. in Epiſt. ad Rom.

13 Ita etiam S. Ambroſius (vèl ſit Hilarius Diaconus) *ſalvari hos promittit,* inquit, *quos reliquos dixit per verbum quod iuſte definiens breviavit Dominus ſuper terram: conſtituit enim vt in ſolo nomine Domini, & Conditoris, conſequatur ſalutem creatura, hoc eſt, per fidem: quia ſublatis omnibus neomeniis, & ſabbato, circumciſione, & lege eſcarum, & oblationibus pecorum, ſola fides po-* Commen. in Epiſt. ad Rom.

ſita eſt ad ſalutem. Quæ abbreviata ex lege eſt, quia quod in fide eſt, in lege habetur quaſi principale legis .... Abbreviata ergo lege, reliquiæ Iudæorum ſalvabuntur. Hæc ille, quæ non ſolum perſpicuè explicant vnde abbreviata ſit via ad ſalutem, ſed & confirmant cuncta dicta à nobis contra theſes Queſnellij *de Antiquo, & novo fœdere.*

14 Cohæret etiam S. Auguſtinus, dicens: *Remotis enim innumerabilibus, & multiplicibus Sacramentis, quibus Iudaicus Populus premebatur, per miſericordiam Dei factum eſt vt brevitate confeſſionis fidei ad ſalutem perveniremus.* Hic ergo eſt ſenſus in quo vere dici poteſt abbreviata per bonitatem Dei via ad ſalutem, fide ſcilicèt, qua, via inchoatur, & cuius lumine, & illuſtratione, amotis tenebris, & obſtaculis, iter ſine impedimento peragitur.

In Expoſ. qq. ex Ep. ad Rom.

15 Alius autem ſenſus quem præſens theſis præſefert, & palàm enuntiat, videlicèt, viam ſic abbreviatam eſſe, quod ſola fide, & precibus ſit peragenda, vt in queis cuncti alij greſſus clauduntur; abſonus prorsùs eſt, & tam Patribus, quam Scripturæ adverſus. In hac enim, apertè contradicunt verba illa Chriſti Domini: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam!* Ad quæ omnes SS. PP. qui ea exponunt, non ad fidem tantum, & preces, ſed ad totius legis divinę obſervantiam, non aliquo vno tantum comprehenſam, ſed ſingulis præceptis practicè exhibendam, ponderatas viæ anguſtias applicant, & intelligunt.

Matth. 7. 14.

16 Do pro omnibus S. Gregorium Magnum. *Arcta enim bene vivendi cenſura, non eſt ampla via, ſed ſemita .... An non quaſi quædam anguſtia eſt itineri, in hoc quidem mundo vivere, ſed de huius mundi concupiſcentia nihil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi deſpicere, & pro Deo opprobria amare, gloriam fugere, deſpectum ſequi, adulantes deſpicere, deſpicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, & erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere? Quæ videlicet omnia ſemitæ ſunt, ſed magna.*

Lib. 27. Moral in cap. 37. Iob.

17 His nec paucis, nec parvis ſemitis, via ad ſalutem conſtat, tot iſtis greſsibus peragenda eſt; non ſola fide, & precibus, quibus eam ita vult abbreviare Queſnellius, vt

ſes

revera videatur non anguſtam, ſed ſpatioſam viam quæ ducit ad perditionem demonſtrare voluiſſe. Non quia ibi fides ducat, aut preces tendant: ſed quia ſi quis, fidem Queſnellio præſtans, his tantum contentus ſit, credens in eis reliqua eſſe concluſa, abſdubio peribit, quia, *Fides ſine operibus mortua eſt.*

18 Et quidem Oratio, etiam Dominica, quæ maxima precum eſt, & quam ipſe Dominus docuit, non perducit ad ſalutem, non dimittit peccata, niſi *quando id quod ſequitur, non ſolum dicitur, ſed etiam fit*, inquit Auguſtinus. Qui & alibi de quadam benè deprecantis voce, ait: *Hæc vox fratres tuta eſt, ſed vigilate in operibus bonis: tangite Pſalterium obediendo præceptis: tangite citharam tolerando paſſiones.* Nam ita gradiens per viam celeres dabit paſſus: *Quam celeriter accipiuntur orationes benè operantium!* Nec celeritate tantum, ſed volatu via illi abbreviabitur. *Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, jejunium, & eleemoſynam.*

Lib. 21. de Civit. cap. 27.

In Pſalm. 91.

19 Quam itaque Queſnellius viam ad ſalutem fide, & precibus abbreviatam laudat, Lutheranis, & Calviniſtis demonſtret: quamvis fortaſſis ea, per id quod attinet ad preces, neque ipſis omninò arrideat. Nobis autem non alia currenda eſt, niſi quam Chriſtus Dominus deſignavit, & SS. PP. commendant, viam videlicet mandatorum Dei. Quam & Apoſtolus alitèr, & omninò diſſimiliter à Queſnellio, compendiarium indicat, quam fide duce, excellentiorem ex charitate comite, nobis demonſtrat, dicens: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.*

1. ad Cor. 12. 31.

20 Quia enim charitas, *Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*, laborantibus ſolatium, peregrinantibus dulce refrigerium eſt, & currentibus calcar addit. Ipſa ſola eſt, quæ, à noſtra infirmitate aſperum, planans iter, viam abbreviat. Imò ipſa eſt via in ſe colligens multiplices illas ſemitas, quæ juxta S. Gregorium arctam viam faciunt, quam propterea ipſa facilem, jucundamque reddit. *Semita dicta ſunt Dei*, inquit S. Auguſtinus, *quia multa præcepta ſunt: & quia eadem multa præcepta ad unum rediguntur, quia plenitudo legis charitas, propterea via iſta in multis, præceptis ad unam colliguntur, & una dicuntur, quia via noſtra charitas eſt.*

In Pſ. 118.

21 Ergo palàm contra Queſ-

Queſ-

Queſnellium abbreviantem viam ad ſalutem in fide, & precibus, ſtat Apoſtolus abbrevians illam in charitate, ut ad quam rediguntur cunctæ ſemitæ fidei, ſpei, orationis, & obſervantiæ ſingulorum præceptorum, per quas iter nobis faciendum eſt ad ſalutem, & vitam æternam, quia, videlicet, charitas eſt forma operum ea valorans, facienſque, tum ut iſta ſint merita ſalutis, & vitæ; tum ut operans alacer, & gaudens moſfecto pede, viam percurrat; ita per eam abbreviata, quia quæ infirmitati noſtræ tot præceptis arcta, tot ſemitis magna via eſt, fit ſuaviſſima charitatis ſocietate; & inhabitante Spiritu, qui neſcit tarda molimina, fit pervia, & ſpa-

Serm. 10. de Verb. Dom. tioſa ad currendum, quia *Si anguſtantur viæ carnis, dilatantur ſpatia charitatis*, ut ait Auguſtinus.

22 Hoc porrò canebat

Pſ. 118. 32. David dicens: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Etenim ex pluribus mandatis, ex pluribus ſemitis unam tantum coaleſcentem viam, cordis ſui dilatatione decurriſſe dicit. Ad quæ S. Auguſtinus.

Conc. 10. *Non currerem niſi dilataſſes cor meum.... Curſus quippè iſte viæ ſunt mandatorum Dei. Et quia potius eius beneficia quam ſua merita allegat.... Viam mandatorum tuorum, inquit, cucurri, cum dilataſti cor meum .... Cordis dilatatio, juſtitiæ eſt delectatio. Hoc munus eſt Dei, ut in præceptis eius non timore pœnæ anguſtemur, ſed dilectione dilatemur, & delectatione juſtitiæ delectemur. Hanc enim promittit latitudinem dicens: Habitabo in eis, & deambulabo. Quam enim latum eſt, ubi deambulat Deus! In hanc latitudinem diffunditur charitas in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.*

23 Sola itaque charitate abbreviatur via ad ſalutem, quæ fide tantum inchoatur, non omnino perficitur, ut inquit Queſnellius: ac multo minus precibus, quod videtur intendi ab ipſo, & approbari ab Anonymo hic notante, nihil aliud in hac propoſitione contineri, quam quod clauditur in verſiculo iſto: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* In quo ſanè nihil habetur de fide: Verù quemadmodum non propterea Queſnellius, aut Anonymus dicent: ſolam eam invocationem, ſine fide, ſufficere ad ſalutem: ſimiliter, & nos dicimus, neque illam ſimul cum fide ſat eſſe, niſi etiam qui credit, & orat, & invo-

cat

cat nomen Domini, reliqua eius præcepta ſtudeat obſervare. Vide ſup. S. Auguſtinum. *Num. 18.*

24 Teſtimonium quod Anonymus producit S. Cypriani hoc eodem ſenſu, in eo palam indicato, accipiendum eſt. A quo namque pectus ſit patens, niſi a charitate cor dilatante? Atque ex fide formata per illam, capax redditur inundantis gratiæ, ſeu maioris, & maioris eiuſdem augmenti, quod profecto gratiam, & charitatem ſupponit. Quin ipſe Cyprianus docens alibi, *Fide nos tantum poſſe, quantum credimus*: ad id ſuadendum ea ſcripturæ teſtimonia affert, quæ de fide non mortua, ſed operibus, & obſervantia mandatorum viva, ab omnibus intelliguntur, & neceſſario intelligenda ſunt.

Libr. 1. Teſtim. ad Quir. 42.

25 Eodemque ſenſu accipi debent verba S. Bernardi conſulentis, quod *fides ſit hydria*, *& quod hæc magna ſit*, ſcilicèt, magna ex charitate, dilatata ex dilectione, cuius vita charitas ſit, & quæ ex operibus vivens dignoſcatur; aliter enim ab ea hydria non multum gratiæ, ideſt non augmentum iſtius capietur. *Sicut enim*, inquit, *corporis huius vitam ex motu ſuo dignoſcimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis eſt anima, per quam movetur, & ſentit, vita vero fidei charitas eſt.* Ergo ex locis hiſce ab Anonymo adductis, qui ut communes ſunt, communi etiam explicatione ſatis illuſtrantur, nihil quod Queſnellio opituletur erui poteſt.

Serm. 2. Tempor. Paſch.

26 Opportunius, me Judice, eſt adverſus eum, ſuoſque defenſores renuentes colla ſubmittere proſcriptionibus in Sacra Conſtitutione *VNIGENITVS* contentis, nec præſcriptionibus Apoſtolicæ iuſsionis, ſequens ſive Cypriani, ſive Origenis, ſive ſic alterius Patris, teſtimonium, quo de charitate, quæ vinculum pacis, & unitatis eſt contempta, redarguuntur ſignanter, qui tantopere in his *de Amore* propoſitionibus, eam ſolam colendam docent, & eo extollere ſatagunt, non quo illa excellentiſſima virtus eſt; ſed quo reliquas, & comites, vel invita, deſpiciat, & tanquam vitia, ipſa non prædominante, & imperante, repellat. *Egregia probatio charitatis! Quæ non tantum noxia germanitate aſpicit proximo, ſed etiam ſubiecta non vult eſſe præſcriptionibus Apoſtolicæ iuſsionis.* *Lib. 1. de Singular. Cleric.*

§. VI.

§. VI.

DE IMBECILLITATE VOLUNTATIS SIBI DERELICTÆ.

I. PROPOS. COND.

Quid aliud remanet animæ quæ Deum atque ipſius gratiam amiſsit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad Orationem, & ad omne opus bonum?

PROPOS. DU P. QUESNEL.

Luc. 16. 1. *Que reſte-t-il à une ame qui à perdu Dieu, & ſa grace ſi non le peché, & ſes ſuites, une Orgueilleuſe pauvreté, & une indigence pareſſeuſe, c'eſt à dire une impuiſſance generale au travail, à la priere, à tout bien?*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Can. 22. CONCILIUM Arauſicanum. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis, atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac Eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, non deficiamus in via.*

S.Au-

Ad Bon. Lib. 3. cap. 8. S. Auguſtinus. *Liberum arbitrium captiuatum, non niſi ad peccandum valet, ad juſtitiam verò niſi diuinitus liberatum, adiutumque, non valet.*

Enchirid. 30. Idem. *Libero arbitrio male vtens homo, & ſe perdidit, & ipſum. Ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſeruus eſt. Unde ad iuſte faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus.*

HIC ANONYMUS SEQUENTEM ADDIT notulam.

PRopoſitiones Sanctorum Patrum ita exacte continent id ipſum quod in ſua P. Queſnellius enuntiat, vt damnari non poſsit, niſi ſimul cum ipſo condemnentur.

ANIMADVERSIONES.

1 HÆc eſt prima per Sacram Conſtitutionem *VNIGENITVS* damnata propoſitio, congruentiori loco, & aptiori ordine ibi in capite reliquarum poſita, quàm eo vbi placuit Anonymo eam ſub hoc novo titulo primam locare. Eſt enim illa veluti caput errorum omnium ſpectantium ad mores, qui in ceteris propoſitionibus ſub ſuperioribus titulis ſtatutis, continentur. Eſtque itidem veluti principium, aut argumentum præſuppoſitum, vnde colligit Queſnellius abſurda pertinentia, ad dogmata Gratiæ quæ in alijs ſub ſequentibus titulis comprehenſis propoſitionibus, evomit.

2 Nam ſuppoſito quod animæ quæ amiſsit gratiam per peccatum, nihil aliud remaneat, niſi peccatum, & conſecutiones illius, & quod tanta laborat indigentia, vt ſit prorsùs impotens ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum: Iam exinde neceſſario ſequitur, quod illa pœnitere non poſſit, & quod relinquenda ſit in tam deplorando ſtatu, vt portet, & ſentiat confuſione ſua onus peccati: quæ ſunt propoſitiones Queſnellij *de diſciplina pœnitentiæ.* *Pag. 62. §. II.*

3 Quamvis minimè cohæreat, quod interdùm anima humilis petat ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, incipiatque ad minus ſatisfacere iuſtitiæ Dei, vt ipſe in vna illarum enuntiat. Nam

quomodo humilis, ſi ipſi tantum remanet ſuperba paupertas? Quomodo petat, ſi orare non poteſt? Quomodo incipiat ſatisfacere, ſi generaliter impotens, nullum opus bonum efficere valet? Ita male ſibi conſonat, qui à veritate miſer aberrat.

4 Item, hâc iacta propoſitione, execrandus venit timor de inferno, & de iudicio Dei, vt qui non valet peccatorem a malo abducere, quod potius iterum corde committit, dum timet: & ſi ad pœnitendum timore animatur, ducitur ad deſperationem, eoque vult appropinquare Deo tanquam beſtia, cui Deus repræſentatur tanquam Dominus durus, imperioſus, iniuſtus, intractabilis; quæ ſunt Queſnellianæ theſes *de Timore*, ſequela ineluctabili à præſenti emanantes. Pag. 88. §. III.

5 Similiter hac concluditur, divina præcepta eſſe homini impoſsibilia, fuiſſeque Judæis prorſus impoſsibilem ſuæ legis obſervantiam, & conſequenter Deum eſſe legislatorem malignum, & exactorem iniquum, dum iubet, & exigit, quod non poteſt fieri, negans quo poſsit fieri. De quo propoſitiones *de Antiquo, & Novo fœdere.* P. 196. §. IV.

6 Deniquè, etiam ex iſta ſunt inevitabilia conſectaria, quod quidquid cupiditate, & non charitate fit, malum hoc ipſo eſt; quod vbi non regnat charitas, regnat cupiditas omnia corrumpens. Nec eſt opus bonum, vſuſque innoxius ſenſuum, ſine amore Dei: ſine quo, obedientia præſtita divinis præceptis, hypocriſis eſt, & falſa iuſtitia; Inaneſque ſunt clamores noſtri ad Deum, ſi non eſt ſpiritus charitatis qui clamat, quam ſolam Deus audit, Deus coronat, Deus remunerat: quæ & facit, quod fides iuſtificet, quando hæc per illam, & ſemper, operatur: Et quod in ſe contineat omnia ſalutis media, quando eſt ſincerum amore: ſine quo etiam non eſt ſpes in Deo: & hac deficiente, totum peccatori deeſt: cumque ſola charitas faciat actiones Chriſtianas, non eſt Deus, non eſt Religio, vbi illa non eſt: Et quod tandem via ad Deum, & ſalutem, in fide, & precibus abbreviata eſt. Quæ ſunt propoſitiones ſub præcedenti titulo *de Amore* contentæ. P. 106. §. V.

7 Præfatæ autem omnes, ſive ſeorſim, ſive ſimùl acceptæ, hac vna præſenti comprehenduntur, ſeù inter hanc illaſque, reciprocus tenor eſt, Cunctæ namque illæ, ac ſingulæ, nihil aliud perſonant, niſi

niſi quod anima quæ peccato amiſit Deum, gratiam, & charitatem, nihil aliud habet niſi onus peccati, timorem funeſtum, exitialem cupiditatem, impotentiam, hypocriſim, ac tandem nihil boni; Atque id, & prorſus ipſiſſimum eſt, quod præſens generatim recanit, & vtinam recantaret!

8 Solæ autem propoſitiones quæ ſpectant ad titulum, *de Lectione Sacræ Scripturæ*, nequaquam cum iſta conſonant, aut mihi potiùs ab ea diſonare videntur. Nam ad quid erit, *Vtile*, & *neceſſarium omni perſonarum generi*, & propterea, etiam peccatoribus, *ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem*, & *myſteria Sacræ Scripturæ*: in quibus, nimirum, lectio iſta nunquam opus bonum erit, neque ipſis ad benè operandum deſervit: imò qui neque quantumlibet velint, & conentur, ad eam applicari valent, impotentes cum ſint, ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

P. 1. § 1.

Pag. 18.

9 Sed tamen modo cedamus Queſnellio, dicamuſque illam lectionem futuram admodum vtilem, & neceſſariam peccatori, vt nimirum legens tot clariſsima, & quæ Interprete non egent, teſtimonia; quibus Deus ipſum alloquitur, hortatur, præcipit, quod credat, oret, timeat, ſperet, clamet ad ipſum, & convertatur, promittens ſeriò, & indefectibiliter ſe illi libentèr reſponſurum, gratantèr acceptorum, donaturumque ſuam gratiam, & amorem; hæc, inquam, legens, non poteſt non deprehendere ſtatim, & naturali reflexione, falſitatem, & impietatem doctrinæ negantis poſſe peccatorem charitate amiſſa quicquam boni facere: atque ita ſimul cognoſcet in ipſa Scriptura ſpiritum, pietatemque Dei, & ſuæ gratiæ myſteria, quæ vult Queſnelnellius cognoſcenda, & quæ ſimul vult peccatori interdicere.

10 Iam vero ſi ſcire aves, quo tendant præſens & ſuperiores cóformes propoſitiones? Quo fine, & intento Queſnellius per eas effingat, & repræſentet voluntatem peccatoris adeò imbecillem, invalidam, impotentem, vt nihil omnino boni, ſeu naturalis, ſeu ſupernaturalis ordinis, agere valeat, quin etiam ſi velit, & conetur, hoc ipſo male agat: quoniam huiuſmodi volitiones, conatus, & actiones, pravæ ſunt quia non imperatæ à charitate, & conſequenter tantummodo a cupiditate procedentes?

11 Reſpondeo, id veluti inevitabili tranſitu, & neceſſaria illatione colligendum deſiderat, quod videlicèt, vt peccator in tanta egeſtate, & invaliditate aliquid boni cuiuſcumque generis agat, & agere poſsit, indigeat eficaciſsima gratia Dei, adeo invincibili, & activa, vt per illam re ipſa, & omnino Deus faciat, id quod hominem facere iubet, quod & ipſe agere non valet. Hæc eſt tota intentio Queſnellij manifeſte apparens ex iactis propoſitionibus, & ex reliquis quæ extant ſub hoc titulo; hoc eſt totum quod per eas molitur, totuſque finis earumdem, inſtaurare, ſcilicet, exitialia, & impia dogmata Gratiæ à Janſenio ſtatuta in quinque ſuis famoſis propoſitionibus toties damnatis.

12 Etenim, non mirum

1. propoſ. Janſenij. quod, *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſsibilia: deeſt quoque illis gratia qua poſsibilia fiant*: cum peccatoribus cunctis, ſeu Chriſtiani, ſeu Judæi, & Pagani ſint, omnia præcepta ſunt impoſsibilia, quia nullas habent vires, & deeſt illis omnis gratia qua poſsibilia fiant.

2. Janſ. Item: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, numquam reſiſtitur*: quia peccator omnino impertinentèr, neque etiam liberè, ſe ad iuſtificationem diſponit, quam ſolummodò habiturus eſt, ſi Deus dederit, per ineluctabilem gratiam Chriſti. Rurſus: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſsitate, ſed ſufficit libertas à coactione*: Nam in eo ſtatu prior libertas eſt titularis ſine re, & nihil bonum in eo agitur, vel fieri poteſt, niſi Deo dante quod iubet, & faciente, vt fiat. 3. Janſ.

13 Præterea: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*: quoniam non poteſt gratiæ obtemperare liberè, qui nullum opus bonum, neque initium fidei, neque piam affectionem ad credendum, ſine charitate habere poteſt. 4. Janſ.

Tandem: *Semipelagianiſmum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*: nam hi quibus non meruit eficaciſsimam illam gratiã qua neceſſario benè operantes ſalvi fiant, quid mereri potuit, cum omni alia careant? 5. Janſ.

Ita

14 Ita ex prænotatis theſibus Queſnellianis, Janſenianæ colliguntur, & coiguntur propoſitiones, vt adeoque manifeſta in ſuis erroribus inconſequentia non valuerit Queſnellius ab eis reparandis, & recudendis abſtinere, quod eodem prorſus ſenſu, totidemque ferme verbis, ac tam aperta explicatione facit in alijs ſub ſequentibus titulis propoſitionibus, vt inanem, & inertem reddat ipſis Janſeniſtis ſimulatam illam ſuam, & contentioſam de ſenſu Janſenij quæſtionem.

15 Quinimò exiſtimo me iam, tanto interprete, capere mentem Janſenij, de Gratia ab ipſo requiſita. De qua, non vna, aut concors eſt apud omnes ſententia. Dicit namque: *Nullum opus bonum, nequidem moraliter, ab humano arbitrio poſſe fieri, niſi per gratiam, non quamlibet, ſed fidei, liberetur; vt proinde ante fidem non ſit ei liberum à peccato, dum hic & nunc agere meditatur, abſtinere: ſed quocumque ſe verterit, quadam humanis viribus inſolubili peccandi neceſſitate teneatur.*

Libr. 3. de Statu nat. Lap. cap. 14.

16 Hæc verba Janſenij (quæ etiam referimus quia illis omninò conſonat præſens propoſitio Queſnellij) continent fatalem neceſſitatem liberi arbitrij poſt peccatum, ad peccandum; à qua cum ait, liberari non poteſt *per quamlibet gratiam*, ſed ſolummodo *per gratiam fidei*, dubitari poteſt, Quid per gratiam fidei voluerit intelligi? An fidem ipſam? An auxilium ad credendum? Sed iam ab his dubitationibus nos eximunt tot propoſitiones Queſnellij, in quibus cum attribuat fidei per charitatem operanti, quidquid boni homo habet, aut agere poteſt, cenſendum eſt ob teſtimonium hominis iurantis in verba Magiſtri, quod Janſenius voluerit charitatem, vel indiſtinctam, vel inſeparabilem à gratia habituali, ſub nomine illo *Gratiæ fidei* deſignare. In quo nec ipſe voluit ab anteſignano Baio diſſentire: qui neque à ſemetipſo, qui gratiam per ipſum inuictam, & neceſſitantem, ponit ſemper in delectatione victrice, quæ ex amore naſcitur, & ad amorem conſequitur.

17 Ex his omnibus fit manifeſtum, quod non temerè, ſed prudentiſſimo conſilio præfixa ſit præſens propoſitio ordine prima, & tamquam caput aliarum, in Sacra Conſtitutione *VNIGENITUS*, vt quæ reliquarum abſurditates circa mores ſub præfatis titulis, ſuo ipſo ſenſu comprehendit, & inſuper ex-

torum aliarum circa dogmata gratiæ, veluti ſemen, & germen eſt, vt vel ex hoc etiam contra inanes Queſnelliſtarum querimonias, appareat ſingularis rectitudo, ex accurata diligentia laudatæ Conſtitutionis, quæ exactiſſimum ſervat ordinem adhuc in locandis propoſitionibus quas condemnat.

18 In illius autem damnatione, plenum momentis omnibus iuris, æquitatis, Religionis, ac rationis, iudicium exercuit, adeò indiſpenſabile, vt niſi illam condemnaret, videretur ſilentio ſuo probare integrum illum *de Servo arbitrio* Librum, quem Lutherus contra Eraſmum ſcripſit. Librum inquam illum, de quo recens in lucem a Luthero edito, ſequentem tulit ſententiam eruditus Theologus
Lib. 1. de Fat. & li-br. arb. Geneſius. *Cum cæteris dogmatis Chriſtianam Religionem per partes adortus* (Lutherus) *velut machinis impugnaverit, hoc vno de arbitrij ſervitute, & omnium rerum, atque actionum neceſſitate, omni prorſus Religioni, divinoque cultui bellum mihi videtur indixiſſe.*

19 Hoc idem profectò mihi etiam videtur hac vna theſi ſuſtentaſſe Queſnellianus, qui eam in aliis peculiaribus argumentis contra bonos mores, licentiam, & veluti impunitatem peccandi hominibus impertit: in hac, quia eos peccati perpetrati ſervos neceſſarios, vndique flagitioſos, omninò indigentes, & generalitèr ad omne opus bonum impotentes repræſentat, vt proinde ad omne ſcelus deinceps veluti fataliter perficiendum, habenas peccatoribus laxat. Quod etiam perverſa interpretatione Sacræ Scripturæ confirmare audet ex parabola *de Villi-* Luc. 16. 1.
co iniquitatis, a ſuo Domino alioqui laudato, vt vel etiam tanta authoritate homines fiant ſceleſtiſſimi.

20 Ita quidèm Lutherus, & Queſnellius, atque in ſimili, vel potius in eodem omninò argumento, vt neque in hoc diſſimiles ſint cauſæ, neque diſtantes effectus, neque diverſa patrocinia. *Nunc enim Sacrarum Litterarum perverſe interpretata verba, nobis monſtris, quæ nullo tempore ceſſat parturire, prætendens, facilius animos imperitorum eludit, & ſecuros interdum ad omnis impietatis præcipitium inducit, quod mea quidem ſententia, nulla re alia manifeſtiùs apertiuſque tentavit efficere, quam illo impudentiſſimo libello, & omnium maximè pernicioſo, quem proxime* de Servo ar-

arbitrio *inſcriptum emiſsit.* Ita Geneſius.

21 Ergo quemadmodum omnium Librorum Lutheri maxime pernicioſus eſt ad everſionem Religionis, & totalem morum relaxationem, liber *de Servo arbitrio*, ſimiliter omnium propoſitionum Queſnellij, præſens maxime pernicioſa eſt, vt quæ arbitrium, & voluntatem hominum, miſerrimæ peccati mancipat ſervituti, & eiſdem funeſtis effectibus obnoxium facit. Quamobrem meritiſsime in Queſnellio condemnatur a Clemente XI. quæ vocibus, & ſenſu, hanc ipſiſsimam præſefert doctrinam, quam anteà merito damnavit in Luthero, Leo X. in cuius Sacra contra eius errores Conſtitutione ſequentem configit: *Liberum arbitrium poſt peccatum eſt res de ſolo titulo: & dum facit quod in ſe eſt peccat mortaliter.*

22 Calvino, cui plura Lutheri dogmata diſplicuere, non vt meliora adderet; error iſte plane, & plenè placuit, eiſque verbis expreſsit, quæ videntur æquè poſtea placuiſſe Queſnellio. *Nec tamen*, ait Calvinus, *interea negamus quin maneat homini voluntas, ſed mala. Nam lapſus Adæ non ſuſtulit voluntatem, ſed ex libera ſervam fecit, vt non modo ad peccandum ſit proclivis, ſed peccato obnoxia.* Adverſus quem Tridentinum aperte contrarium docet, & ſic eum, & Lutherum impiè loquentes damnat. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo.... Anathema ſit.* Quo Canone ſimul percellitur præſens propoſitio, vt quæ Lutheri, & Calvini hæreſim renovat, & quidem impudentiùs, quoniam contra prælatam à Concilio ſententiam.

In Antid. Conc. Tr. cap. 11

Seſ. 6. capit. 1.

ibi. Can. 5.

23 Neque hic prætermittendum aliud de hac re argumentum, quod quamvis negativum, non ſane infirmum eſt, attentis cauſa, & circunſtantijs. Cum namque contra Pelagium, & Cœleſtium plus nimio extollentes vires humani arbitrij, tot tunc temporis Concilia coacta fuerint, præſertim Milevitanũ II. ann. 416. & plenariũ Africanũ, ſeu Carthaginenſe VI. anno 418 in queis hæreſis Pelagiana ex inſtituto profligata fuit, & in priori, octo fuere Canones contra eam, vel inſtituti, vel ex alijs Concilijs collecti, & renovati: nequaquam, & à nemine, in illis prædicta hæreſis refellitur eo argumento; quod ſane obvium erat, ſi verum foret; quia, ſcilicet,

pec

per peccatum manſerit arbitrium penitus extinctum, & vires voluntatis fuerint omninò amiſſæ.

24 Itèm, neque in alijs decem Canonibus ad eandem cauſam pertinentibus collectis à Dionyſio Abbate, qui non modicam authoritatem habent, neque in ſententijs eis adiunctis, ſeu Cœleſtini, ſeu Hormiſdæ, ſeu Leonis I. quicquam eius generis contra illam proceditur: quinimò hæc ex Zoſimo Papa ad Canonem V. habetur ſententia: *Ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.* Quæ non obſcurè innuunt vires voluntati proprias, indigentes tamen divinæ gratiæ auxilio per Chriſtum ad omne opus bonum ſalutare: quæ gratia ſolummodò eis locis commendatur, vbi etiam validum contra Pelagianum dogma foret argumentum, ſtatuere totalem arbitrij, & virium illius per peccatum everſionem: cuius cum nulla mentio fiat, cenſendum eſt, noluiſſe ſapientiſsimos illos Patres errorem errore propulſare.

25 Quia tamen tantus error viſus eſt de novo opportunus inducentibus bellum Religioni, & moribus, qui ſatis Lutheri, & Calvini dignus fætus ſit, quamvis & in eis damnatus, nihilominus Novatores illis ſuccedentes fatagunt hæreditario conatu eum inſtaurare, quem & meliori conſtantia Summi Pontifices gladio Petri ſuccidere curant. Ita porrò S. Pius V. & Gregorius XIII. ſequentes Baya- nas propoſitiones in quibus extat, diſtendunt. 28. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adiutorio non niſi ad peccandum valet.* 29. *Pelagianus eſt error dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* 35. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* 39. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

26 Itèm Alexander VIII. Decreto ſuo damnat ſequentes propoſitiones, quæ cum præcedentibus, & cum Queſnelliana apprimè coincidunt. 8. *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.* 11. *Omne quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.* 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides.* Cum itaque tot iuſtiſsimis cenſuris, & ſententijs proſcriptæ ſint præfatæ, & Queſnellianæ the-

ſi ſimiles propoſitiones, nec debuit, nec potuit Sanctiſsimus Clemens, dignus tantorum Pontificum ſucceſſor, non reſecare virulentum renaſcens aconitum, eo ipſo flammeo gladio, quod & illi, vt prædeceſſoribus ſuis, dedit Deus ad Paradyſi cuſtodiam.

27 Sat exiſtimo erat oſtendiſſe dogma illud tales Authores, & defenſores habuiſſe, totque iteratis fulminibus proſcriptum eſſe, vt vel hoc ipſo tantum confutatum, & à cunctis repellendum haberetur. Inſuper, & pluſquam ſatis etiam illud refutavimus, oſtendimuſque Scripturæ, & Patribus repugnans, in examine omnium propoſitionum quæ extant ſub titulo præcedenti. In eis namque, vt diximus, diſperſi ſunt errores omnes, quos hæc vna collectos tenet: quos nec ſemel *P. 410. num. 12. & ſeq.* quamvis ſummatim luſtravimus, nec perfunctoriè refellimus. Quia tamen veritas doctrinæ orthodoxæ poteſt adhuc quàm plurimis alijs argumentis confirmari, & ne ſine debitis animadverſionibus hanc capitalem relinquamus propoſitionem, volumus vlterius eius abſurditatem ex Scriptura, & Patribus, demonſtrare.

28 Quod attinet ad Scripturam, non negamus quod plura habeat quibus ſtatus peccatori miſerrimus depingitur, voluntate, & libero arbitrio penè invalidis, fermè ſine viribus, atque omni virtute, & activitate ad quidquam boni agendum deſtitutis. Hinc illud: *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi.* *Pſ. 72. 22.* Item: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens: a planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas.* *Iſa. 1. 5.* Rurſus: *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor.* *Oſee. 7. 11.* Atque per multa eius generis in eiſdem, & reliquis Prophetis. Ut etiam ſunt illa: *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es.* *Apoc. 3. 1. 17.* Et, *Neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

29 Hæc ſanè, & innumera alia quæ & veriſsima, & apta ſunt ad deplorandum, & numquam ſatis, ſtatum animæ in peccato: ſunt namque propriiſsimæ, & funeſtæ naturæ lapſæ notiones, & peccati cõſecutiones, quę meritò prædicari, & ſummopere ponderari debent, vt ſaltem metu tantarum ærumnarum deterriti homines, a peccato abſtineant. Hoc enim videtur intendiſſe Deum præcipientem Iſaiæ: *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam,* *Iſai. cap. 58.*

& annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Quod fecit Propheta ponens eis ob oculos ſuas iniquitates, & mala ſequuta, vt terrore perciti, peccata, & ærumnas vitarent.

30 At Queſnellio, & Socijs clamantibus reum novi peccati eſſe qui territus abſtinet à peccato, qui timore pœnarum etiam inferni, illud evitat, vt in ſuis *de Timore* propoſitionibus vidimus: quæ rogo ſincera intentio attribuit poteſt, qui honeſtus finis illis erit, cum prædicta loca Scripturę aſſumunt, aut potius vſurpant, ad ponderandos, hac potiſsimum propoſitione, tot, nimiumque pœnales peccati effectus, quales ſunt ſuperba paupertas; torpens egeſtas, & omnimoda impotentia? Non enim puto quod velint (quod vtinam ne faciant) homines inducere per viam timoris inuſi ad novam culpam, & deſperationem. Vt quid ergo illa reboant? Profectò vt ſeveri cultores morum, & Religionis ſe oſtentent, etiam cum ad evertendam Religionem, & morum diſciplinam, Religionis maxime ſcripturis abutuntur.

31 Plurimi namque erunt peccatores qui audientes ab ipſis, nullas iam ſe habere vires ad vlla opera pietatis, ad labores pœnitentiæ, nullam itèm potentiam ad orandum, & exorandam Dei opem, eo quod Sacra Scriptura teſtatur, ſe eſſe cæcos, nudos, miſerrimos, languidos, ſine corde, ſine viribus, mortuos, & ad nihilum redactos: qui, inquam, hæc ab illis vltra modum ponderata excipiant; ſi cor plumbeum habeant, ſi corrupto judicio, ſcelerum conſcientia profligati, atque in profundum peccatorum deiecti, credant, ſibi negatum regreſſum ad ſanitatem etiam cum ingentibus laboribus quos dicunt ipſis impoſsibiles, per facile erit, vt ſalutis ſuæ deſperantes, nihil deinceps de illa cogitent, ſed vitijs omnibus effrænati ſe tradant: hęc pernicioſa remedia veluti in tantæ calamitatis ſolatium quærentes.

32 Inique itaque abutitur Scriptura Queſnellius, dum præſenti propoſitione fatalem hunc peccatoribus ſtatum repreſentat, in quo nulla ſint ipſis poſsibilia media, nullæ prorſus vires, quibus quodammodò conentur ex eo reſurgere. Non id profecto per ea Scripturæ teſtimonia ſignificatur, quæ adhuc cum mortuum dicit peccatorem, eundem continuo vigilare iubet:

Mor-

Apoc. 3. 1. 2. *Mortuus es: Eſto vigilans.* Qui, porrò homini totaliter extincto, omnive penitus mortua, & ſpiritu privato, vigilare, nũ ineptiſsimè præciperet?

33 Quinimò, multo plura quam ſupra allegata extant ſacræ paginæ teſtimonia affirmantia, vel ſupponentia in peccatore, vires licet extenuatas, quibus quantum in ſe eſt conari poſsit ad recipiſcendum, & cui ita ſe gerenti, nunquam Deus deeſt, nec vnquam vlli defuit, ſua paratiſsimâ gratia, iugiſque auxilijs eaſdem vires roborans, perficiens, vt pœnitere valeat, & ſe ad iuſtificationem præparare. Equidem, peccatores, & ingratiſsimi erant illi, quibus Deus per Iſaiam dixit: *Quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere,* *Iſai. 1. 17.* *quærite iudicium, ſubvenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam.*

34 Quæ verba, nè ſupervacanea habeantur, ſupponunt planè in eis peccatoribus vires, & potentiam ad ea opera, quæ in eiſdem, non niſi purè moraliter honeſta eſſe poterant, iuxta Queſnellium, vt facienda ab his qui erant in veteri fœdere, ſub lege non gratiæ, ſed timoris (*In Prop. de Antiq. & Novo Fœdere.*) (niſi propterèa ſumma impietate, & blaſphemia dicat, prædicta opera tametſi à Deo præſcripta, & deſiderata, futura peccata) at revera ea opera non tunc poterant prodire à charitate, quæ amiſſa erat in eis peccatoribus, à quibus antequam mundarentur, deſiderabantur eſſicienda vt mundarentur: nam illicò ſubiungit: *Et venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.*

35 Non poſſunt ſane alij quicumque peccatores in miſerabiliori ſtatu, aut funeſtioribus coloribus depingi, quam iſti, de quibus dixerat, in eodem capite Iſaias, ea quæ ſupra attulimus, nimirum: *Væ* *Ibi. 4. & ſeq.* *genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt Sanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. . . . Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens.* Ab iſtis igitur, ab iſtis, tot peccatis, & ærumnis oppreſsis, exigit Deus opera, quæ inani prorſus deſiderio exigeret, niſi ſupponeret in eis vires, & poteſtatem ad ea efficienda.

36 Et porrò ſupponebat, qui liberam in ipſis volunta-

tem, liberum arbitrium, libertate videlicet indifferentiæ, quæ per *velle*, & *nolle*, tamquam per notionem propriam describitur, & designata, conceptis verbis supponit, ſubiungens. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum eſt.* Obmuteſcat iam os Queſnellij, audens negare quod os *Domini locutum eſt.* Isa. 19.

37 Innumera prope ſunt alia, & vulgò nota teſtimonia, quibus adeſſe peccatoribus vires voluntatis, quamvis per peccatum infirmæ, horumque arbitrium, licet in natura lapſa debilitatum, & attenuatum, ad bonum, & malum eligendum, clariſsimè dicitur: inſinuareque ſufficiat nonulla ex multis quæ apud alios obvia, & commodiſsime collecta habentur. Illuſtre eſt illud. *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum; ut diligas Dominū Deum tuum, ambules in vijs eius, &c. Si autem averſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, &c.* Verba ſunt de obſervantia legis veteris Judæis poſsibili, & libera, de qua ſuperius. Deuter. 30. 15. P. 196. & ſeq.

38 Item illud: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui .... Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te .... Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Quæ non tantum de libertate ante peccatum, ſed & poſt illud, intelligenda ſunt, utpote dicta his peccatoribus, qui alioqui impietates ſuas, quaſi ſibi neceſſarias, Deo audent attribuere, de quibus nos alibi. Eccl. 15. 14. P. 174. n. 146.

39 In novo Teſtamento infinita prope dixerim ſunt, quæ liberrimam voluntatis humanæ indifferentiam, & ab omni neceſsitate abſolutam, ad bonum, & malum perſonant. Hoc ſignificat expreſſe Apoſtolus, dicens. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Quod ſi Queſnellius contendat, hæc omnia, & alia eius generis, accipienda eſſe de libertate voluntatis, aut nondum per peccatum deperdita, aut poſt peccatum per gratiam Dei reparatæ: hoc in primis effugium præoccupatū manet primò Iſaiæ teſtimonio, in quo de peccatoribus, & peſsimis ſermo eſt. Atque in alijs etiam locis ſat 1. Cor. 7. 37.

ſat innititur, vires, & poteſtatem de quibus loquuntur, naturales eſſe voluntati, & arbitrio, quæ propterea non totalitèr peccato extinguuntur.

40 Præterea, vbicumque in Sacra Scriptura admonentur peccatores vt à vijs ſuis peſsimis recedant, vt legem Dei non vltra tranſgrediantur, vt à peccatis ceſſent, ſimiliaque: hæc profectò peccatoribus, & in eo ſtatu quem deplorat Queſnellius exiſtentibus dicuntur, in quibus alias ſupponitur poteſtas, libertas, facultas, vt non peccare conentur, ad quod divina gratia ſufficienter ſemper adiuvantur. Ergo quia in quocumque illorum eſt ea potentia libera, qua, quod de iuſto dicitur: *Potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Eccl. 31. 10.

41 Niſi enim hæc poteſtas ſit etiam in peccatoribus, illuſorijs, ac ridiculis, & ab ipſiſmet ridendis ad monitionibus, eos hortaretur clementiſsima Dei bonitas, vt tandèm à peccando deſiſtant. Unde & idcircò cenſenda eſt abſona, & Scripturæ repugnans, theſis iſta Queſnellij, quæ cogit cogitare veluti ludificantem homines divinam bonitatem, quam ipſa Scriptura, vel de hoc maximè miratur, commendatque, vt, *Quam bonus, & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus! Ideoque eos qui exerrant partibus corripis: & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine.* Sap. 12. 1.

42 Ob quam potiſsimùm rationem, in his etiam peccatoribus qui amiſerunt charitatem, agnoſcere, & fateri debemus potentiam, & vires, nedum ad non vltra peccandum, ſed & ad benè operandum, ſub gratia Dei. Id etiam teſtatur Sacra Scriptura, ſi potius quam Queſnellio credere volumus S. Cypriano: *Habeo adverſum te*, ait Deus ad Epiſcopum Epheſi, *quod charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Apoc. 2. 4. Eum itaque & miſerè lapſum, admonet Deus, nec dum vt à peccato ceſſet, ſed & vt benè operetur.

43 Do S. Cyprianum (vt etiam conformes ad rem SS. PP. ſententias videamus) qui ac ſi de Queſnellio, & Socijs loqueretur, inquit. *Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, vt dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam, cum ſcriptum ſit: Memento unde cecideris,* Epiſt.

&

& age pœnitentiam, & fac priora opera. Quod vtique ei dicitur, quem conſtat cecidiſſe, & quem Dominus hortatur per opera rurſus reſurgere. Aut ergo iſte potens erat, quamvis lapſus, ad benè operandum: aut hortamenta vana erant, vbi impoſsibile erat benè operari. aut, quod neſcio an ſumma impietate Queſnellius dicat) Deus illum vt de novo eius operibus peccaret, hortabatur.

44 Pro eadem libertate voluntati ſuplæ, pro viribus arbitrij liberi poſt peccatum derelictis, coharent SS. PP. qui conſonis ſententijs exponunt oportunum etiam ad rem, textum illum de homine deſcendente ab Hieruſalem, in Hiericho, qui incidit in latrones, à quibus ſpoliatus, denudatus, vulneratuſque, relictus tandem fuit, non omninò mortuus, ſed ſemivivus: quem Sacerdos, & Levita pertranſeuntes incuratum deſpexere, loco que Samaritanus miſericordia motus, auxilium illi, medicinam, & opem attulit. *Luc. cap. 10.*

45 In quo homine præfiguratum eſſe Adamum docent Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus & plures alij vnanimiter ſentientes in eum miſerum ſtatum deveniſſe per prævaricationem, & peccatum originale; à quo & ab eius ærumnis, non per Sacerdotem, non per Levitam, ſcilicet, non per naturæ legem, non per Sacerdotium, & miniſterium legis veteris, non per Moyſem, & Aaron ſolummodò tranſeuntes, curatus, & liberatus eſt: Sed per Chriſtum Dominum, qui, vt Cuſtos omnium, ſub Samaritani nomine ſignificari voluit. Hæc eſt conformis apud SS. PP. textus intelligentia. *Cypr. ſupra.* *Amb. l. 7. in Luc. Aug. l. 2. qq. Ev. 19. Chryſoſt. Serm. de eo qui inc. in Latr.*

46 Qua ſuppoſita, quod in eo nova non indiget luce, eſt, quod quamvis Adamus, & in eo totum genus humanum, acceperit tam atrox, & altè infixum vulnus, non tamen eo omninò occiſus eſt, aut penitus mortuus, ſed ſemivivus iacuit, id eſt, non fuit in illo, lumen rationis totalitèr extinctum, vt in ſequenti propoſitione aſſerit Queſnellius, nec propterea amiſit integrè liberum arbitrium ad benè agendum, quod ex eo lumine maximè, & propriè humanum, aut hominis arbitrium eſt: neque ſine vllo prorsùs vitali motu, ſine vllis omninò viribus manſit: hæc enim non de homine ſemivivo, ſed de iam cadavere tantummodò vera ſunt.

47 Quamobrem aptiſsimè Sacrum Concilium Tridentinum

dentium explicans miſerum ſtatum in quo ſumus omnes per peccatum originale, dicit vires arbitrij humani fuiſſe per illud debilitatas, non autem penitus amiſſas. *Vſque adeò ſervi erant peccati & ſub poteſtate Diaboli, ac mortis, ut non modo Gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam litteram Legis Moyſis, inde liberari, aut ſurgere poſſent: tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licet attenuatum, & inclinatum.*

Seſ. 6. capit. 1.

48 Hæc eadem doctrina adeò familiaris eſt Sanctis Patribus, adeò ab ipſis inculcata, vt adusque faſtidium loca illorum congerere poſſem: Eas tamen ſententias colligam, quæ & ſelectiores, & expreſsius adverſæ propoſitioni Queſnellij ſunt. S. Cyprianus: *Hoc ipſum quod dico carnis affectus, impropriè dico, quia hæc vitia propria animæ ſunt quæ ſentit, & movet, & vivit: cui imputatur peccatum, quia ipſi datum eſt arbitrium, & iudicium, & ſcientia, & potentia, per quæ poſſit improbare malum, & eligere bonum.* Item: *Homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimetipſe, vel mortem appetit, vel ſalutem.*

In præf. Op. de Nativit. Chriſti.

Ep. 11.

49 S. Ambroſius admonens quid agere debeat animus in miſero ſtatu peccati quem ipſe deſcribit, ſupponit planè in ea potentiam ad id quod agendum monet. Atque hac ipſa ratione allegari poſſunt omnes SS. PP. ſimiliter peccatores hortantes. Illius autem ſententiam quia pulchram, & opportunam, aliquanto fuſe exponam. *Qui enim*, inquit, *penitùs eſt mortuus, ſine ulla exceptione defletur. De his qui exules, atque peregrini limitum paternorum .... mentibus implicabantur erroribus audis canentem: Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & flevimus, dum recordaremur Sion. Inducit enim lapſorum gemitus, & in ipſo præſentium, & rerum labentium adhuc poſitos ſtatu debere reſipiſcere, eorum videlicet exemplo, qui propter peccati pretium deducti erant in captivitatis ærumnam.*

Lib. 2. de Pœnit. c. 11.

50 Quid verò in hoc ſtatu debeant, & valeant facere qui à Queſnellio penitùs mortui ſine vla exceptione deflentur? Poſſunt inquit S. Ambroſius, ſuæ ſaltem miſeriæ cum animi amaritudine recordari, quod ſanè opus aliquod bonum eſt, & ab ipſo Deo, Angelo Epheſi iniunctum: *Memor eſto unde excideris,*

derit: & aliunde cogitatio eſt, non impoſsibilis, ſed maxime conſentanea homini lapſo, & ſub captivitate peccati iacenti: *Nihil eſt autem*, ſubiungit, *quod tam ſummo dolori ſit, quam ſi vnuſquiſque poſitus ſub captiuitate peccati, recordetur vnde lapſus ſit, atque vnde deciderit, eo quod ad corporea, atque terrena, ab illa ſpecioſa, ac pulchra diuinæ conſtitutionis intentione deflexerit.*

51 Quin & adhuc poteſt, debetque quid amplius facere, ſcilicet, non vltra peccare, quieſcere à peccato: *Quia*, ait S. Ambroſius, ſcriptum eſt: *Peccaſti? Quieſce.* Si namque vires ab indomitis concupiſcentiæ motibus inclinatæ ſunt ad peccandum, & extenuatæ ad benè agendum; ſi caro ita repugnat rationi quæ eſt voluntatis, & arbitrij Rector, vt non ſinat te opera pœnitentiæ facere, ſaltem hoc bonum facito, non vltra mala facere. *Si enim caro menti repugnat, nec ſubdita eſt animi gubernaculo, & mentis imperio, ſicut eſt terra quæ non admittit exercitio cultoris, & [illegible] ſulcus charitatis, pullulare, & parit aſperitates; bonum eſt ergo tunc quieſcere, cùm exercere non queas opera pœnitentiæ.*

52 Sed vitetur in eo ſtatu deplorando, eſt & aliud bonum opus quod facere poteſt, debetque, etiam cum indomita caro alijs bonis operibus reſiſtat. Hoc autem eſt credere in Deum, fidemque eius illæſam retinere: *Sane & cum caro repugnat, mens ad Deum deuota eſſe intenta, & ſi opera non ſequuntur, fides non deſeratur. Et ſi impugnant vel carnis illecebræ, vel poteſtates aduerſariæ, maneat mens Deo dedita.* En quæ, & quanta, iuxta Ambroſium, remanent animæ quæ Deum, & ipſius gratiam amiſit.

53 Queſnellius autem falſa pietate deplorans calamitoſiſsimum peccatoris ſtatum, non aliud illi remanere dicit, niſi peccatum tantum, & peccati conſecutiones, omnimodam indigentiam, ſummumque torporem, & generalem impotentiam ad omne opus bonum etiam fidei: impius profectò, vel ipſa ſua fucoſa pietate, ſub qua crudelem inhumanitatem potiùs quam peccatorum abominationem contegit: nam vt idem S. Ambroſius addit: *Sunt* *Ibid.* *qui vehementer incumbant miſeræ animæ, quærentes omne auferre præſidium, vnde illud eſt: Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.*

54 Id ſanè intendit Queſnellius,

nellius, exinanire videlicet, exinanire penitùs vires animæ, vſque ad evulſionem totalem liberi arbitrij, quod ex munere Creatoris habet, tanquam fundamentum, vel ornamentum ſuæ rationalis ſubſtantiæ, per quod ſuper alias inanimatorum, & brutorum extollitur: vt nimirum, deſtituta omni præſidio divinæ gratiæ, qua ſufficienter roboratis eius per peccatum attenuatis viribus, poterat non neceſſariò, ſed liberè, & credere, & bene operari: vnicè, & præcise id à ſe faciendum ſperet (& quomodo ſperet, ſi ad nihil poteſt?) media illa Gratia Janſeniſtica, quam in delectatione victrici, inſuperabili, irreſiſtibili, everſiva libertatis ponit. Hic enim ſcopus, & finis eſt tam perverſi dogmatis.

55 Ab eo toto cœlo diſtat S. Ambroſius. Nulla namque extorſione valent eius verba, ne pugnent cum Queſnellianis explicari, vt conſtabit vtraque attente perlegenti. Siquidem inveniet in anima lapſa, poteſtatem indifferentem, liberamque vtraque libertate contrarietatis, & contradictionis, ad eligendum arbitrio ſuo extrema quæ voluerit. In quo ſita vera notio libertatis invitæ Queſnellio, & Janſeniſtis, ſed gratæ S. Ambroſio alibi exponenti his verbis textum Deuteronomij ſupra adductam: *Homini dedit eligendi arbitrium quid ſequatur. Poſſui, inquit, ante te bonum, & malum: Si malum elegeris, non natura delinquit, ſed eligentis affectus.* In Pſal. 40.

56 Hanc eamdem poteſtatem humani arbitrij, non penitùs per peccatum amiſſam, has etiam vires voluntatis non omninò per illud torpentes, vt ait Queſnellius, agnoſcit, & fatetur in hominibus ſub lege naturæ, Hilarius Diaconus, ſeu vetuſtus Author Commentariorum in Epiſtolas Pauli, quæ olim Ambroſio adſcripta fuere. *Nec enim,* inquit, *Lex naturalis penitus obtorpuerat, quia non ignorabant, quod quæ pati nolebant, alijs facere non deberent.* In cap. 5. Epiſt. ad Rom.

57 S. Baſilius diſertis verbis docet, quod liberi arbitrij eſt, *velle*, aut *nolle* reſiſtere diabolo, quæ planè eſt libertas quam Janſeniſtæ illi adimunt. Nec tamen, addit, habet potentiam ita perfectam, vt omninò id poſſit. Quo non omnimodam impotentiam Queſnellianam illi attribuit, ſed aliquam in eo agnoſcit potentiam, & virtutem, quæ indiget adiuvari gratia Dei, vt valeat tenta-

tioni reſiſtere. Nihilominus, ea quali, quali potentia, & quantum ipſi poſsibile eſt, poteſt conari, vt per gratiam Dei roboretur, & adiuvetur eius facultas ad reſiſtendum: ſine cuius auxilio, proprij conatus redderentur inanes, vt reipſa reſiſtat.

Hom. de Grat. & Ægypt. eiſdem.

58 Do verba illius. *Liberum enim illud quod in poteſtate hominis eſt arbitrium, in eo ſitum eſt, vel velis, vel nolis reſiſtere diabolo. Non enim vt omnino hoc poſsis, potentiam habes quæ affectionibus carnis domineris .... Impoſsibile namque eſt ambulare ſuper aſpidem, &c. cum qui non prius ſe ipſum quatenus homini poſsibile eſt, repurgavit, vt poſsit corroborari ab eo qui Apoſtolis dicit: Ecce dedi vobis poteſtatem .... Niſi enim potentiori auxilio ab ignitis mali hoſtis iaculis liberati, adoptionem filiorum Dei promeruerimus, inanis erit converſationis noſtræ conatus.*

59 Qui hæc attentè legat, ſimplicemque ſenſum verborum perpendat, inveniet apertè reprobatum ſenſum, tum Janſenij, tum & Queſnellij, in ſuis propoſitionibus. Nam expreſsè affirmat Baſilius manere in homine lapſo vires, quamvis infirmas, liberum arbitrium, tametſi debilitatum, poteſtatemque liberam, non quamcumque, ſed indifferentem ad *velle & nolle*, quamvis remotam, ſeu non a ſe ſola ſufficientem, quæ roboratur, completur, fitque proxima, & ſufficiens, per auxilium Dei, quod nequaquam deeſt homini conanti, & facienti quod in ſe eſt.

60 S. Hieronymus exponens illuſtria verba illa de vaſe luteo in manu figuli, dicta Iſraelitis in peccatis lapſis, liberum ſupponit in eis arbitrium, cum poteſtate ad bonum, & malum, ſic tamen vt cùm opera digna premio fecerint, non totum ſibi, ſed potiſsimum gratiæ Dei ſit attribuendum. Non autem, quod Janſenius, & Queſnellius, volunt, vt nihil impotenti arbitrio, ſed totum efficaciſsimæ, & neceſsitanti gratiæ adſcribatur. *Vt liberum*, inquit, *ſignificaret arbitrium, dicit ſe, & mala annuntiare, & rurſum bona .... Non quod ignoret Deus hoc, vel illud eſſe facturum: ſed quod dimittat hominem voluntati ſuæ, vt vel premia, vel pœnas ſua voluntate, & ſuo merito recipiat. Neque ſtatim totum erit hominis quod eveniet, ſed eius gratiæ qui cuncta largitus eſt: ita enim libertas arbitrij reſervan-* Lib. 4. in Hieremcap. 18.

vanda eſt, vt in omnibus excellat gratia largitoris.

61 S. Ioannes Chryſoſtomus pluries, & verbis omnino expreſsis fatetur in homine vires, & poteſtatem ad bene agendum, ait namque: *Quod enim non ex eo quod non poſſumus, ſed quod non volumus, à bonis omnibus ſumus alieni.* Item, alibi, affirmat, multos ex Gentilibus philoſophica tantum ratione præcepta naturalia adimpleviſſe, quin & cum exceſſu: vbi advertendum, quia, vt ait S. Gregorius: *Gentilitas eo obligata vitijs extitit, quo cognitionem ſui Conditoris ignoravit.* Ob hæc, non defuerunt qui dixerint Chryſoſtomum nimium faviſſe Pelagianis. Falluntur tamen, quia in eis locis, ac ſæpiſsimè, aut ſemper, opem divinæ gratiæ ad opera ſalutaria neceſſariam, vel ſupponit, vel docet. Et de Gentilibus, non totam legem naturæ, ſed aliqua tantum præcepta, & aliquando cum exceſſu in opere, impleviſſe vult. Verbis autem ſupradictis, aliiſque, vires voluntatis tametſi ex peccato infirmas, & gratia egentes, adſtruere dumtaxat intendit.

Hom. 42. in Geneſ. Hom. 3. in 1. ad Cor.

Moral. 2. cap. 1.

62 Author tractatus de Vocatione Gentium S. Leoni attributus (qui & extat inter opera Ambroſij in editione Colonienſi anni 1616. quatuor) planè agnoſcit in voluntate lapſa vires proprias, tametſi infirmas; arbitrium liberum, non ablatum per peccatum, quamvis depravatum. *Non ergo fidat*, inquit, *de viribus ſuis, quæ etiam cum eſſent integræ, non ſteterunt .... Nec quia ſpiritu Dei agitur, ideò ſe putet liberum arbitrium non habere; quod ne tunc quidem perdidit quando Diabolo voluntate ſe dedit; à quo iudicium voluntatis depravatum eſt, non ablatum.* Quæ verba, vt præ oculis habeantur ad ſequentem propoſitionem rogamus.

Lib. 1. cap. 1.

63 S. Gregorius Niſſenus explicans, cur ex cunctis infidelibus vocatis ad fidem, alij veniant, alij non veniant? Inquit: *Qui in univerſitatem liberam habebat poteſtatem, propter ſummum in homines honorem, dimiſit etiam aliquid in noſtra poteſtate, cuius vnuſquiſque noſtrum ſolus eſt Dominus. Hæc autem eſt liberi arbitrij libera electio, quæ ſubijci nequit, & ſui iuris eſt in libertate mentis, & cogitationis ſita. Itaque in eos qui ad fidem adducti non ſunt, criminatio multo iuſtius transferri queat, non in eum qui vocavit ad conſenſionem.*

Orat. Catech. cap. 30.

64 Poſtea vero ponderans quot incommoda, & abſurda ſequantur ex negata libertate, & poteſtate arbitrio humano, hæc inter alia etiam obſervanda habet: *Si manet inefficax, & nullius uſus liberum animi inſtitutum, & electio, neceſſario etiam abolita eſt virtus, impedita immortalitate liberi arbitrij. Si non ſit autem virtus, honore privata eſt vita, & fato procedit ratio; ablata eſt laus eorum qui ſe recte gerunt, peccare cunctis impune licet, vitæ inſtituendæ diſcrimen nullum ſupereſt. Quis enim, ut eſt rationi conſentaneum, amplius vel intemperantem reprehenderit, vel temperantem laudaverit?*

Ibi, cap. 31.

65 Ex his, & ſimilibus abſurdis, antiquiores ſapientes compoſuere unum, vel potiſsimum quia irrefragabile argumentum, ad impugnandam ineptiſsimam Fati neceſsitatem, quam in actionibus humanis, & in cunctis rebus appoſuere, eamdemque de novo à Luthero, ſuo Libro *de Servo arbitrio*, revocatam, perſpicue demonſtrat, refellitque diſerte hoc ipſo argumento, laudatus Theologus Genetius, oſtendens fruſtraneas leges, inutilia documenta, inanes reddi exhortationes: atque breviter, nihil aliud fieri egregio iſto dogmate, niſi peccatis omnibus licentiam præbere, & latebram.

Libr. de Fato, & lib. arb.

66 Id ipſum Queſnellius hac ſua, & ſequentibus propoſitionibus facit, cum liberum arbitrium, ſervum ſine ullo ſui dominio peccato ſubijcit, à quo in eo ſtatu nihil boni à ſe potens, ad peccandum tantum deinceps, quaſi fato maligno agatur: viciſsimque cum ſpiritu Dei agitur, quaſi novo, & meliori fato, ineluctabiliter, & prorsùs neceſſario benè operetur, quod in alijs propoſitionibus ſub ſequentibus titulis ſtabilit, tantùs figmentis Lutheraniſmum inſtaurans, & quemdam ſimul Manichæiſmum intrudens.

67 Sed redeo ad SS. Eccleſiæ Patres ipſi adverſos, & quamvis teſtimonia clariſsima hactenùs educta ſufficiant ad redarguendum Queſnellium, propterea que modo ab alijs producendis ſuperſedeam, quæ contra ſequentes propoſitiones locum forsàm habebunt; oportet ſententiam de hac re Auguſtini explorare, & quia conſultò hùc illi poſtremum locum damus, expedit antea duos alios Patres non ita antiquos audire, quia de libero arbitrio agentes, ea tradunt quæ expreſsè,

&

& Queſnelli theſim, & ſua diruunt argumenta.

68 Quia enim homo peccans, ſervus eſt peccati, & hoc illi dominatur, putat Queſnellius omnem eo ipſo ademptam ſibi poteſtatem eſſe, perdidiſſeque liberum arbitrium, & dominium omne ſupra ſuos actus, vt in quos, peccatum dominans, veluti iure acquiſito, ſuum exercet tyrannicum imperiũ. At præterquam quòd hoc non ſatis cohæret cum ſyſtemate Janſenitico nuper expoſito, vel de charitate, vel de concupiſcentia prædominantibus: quarum quæ prædominans ſit, non impedit vnum ſaltem alterius actum. Quod inſinuare ſufficiat ad dignoſcendam perverſæ doctrinæ neceſſariam diſſonantiam.

Pag. 186 num. 50.

69 Eſt inſupèr præfata ratio, quoddam argumentum quod iam olim S. Anſelmo ſuus propoſuit Diſcipulus dubitans: Quomodo poſsit habere liberum arbitrium, qui cum poteſt peccare, poteſt facere quod ei peccatum dominetur, poteſtque fieri peccati ſervus, & ſine libero arbitrio? *Qui enim peccare poteſt*, inquit Diſcipulus, *ſervus poteſt eſſe peccati: quoniam qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Qui autem ſervus poteſt eſſe peccati, huic poteſt dominari peccatum. Quomodo libera fuit illa natura, aut cuiuſmodi liberum arbitrium illud erat, cui peccatum dominari poterat?* Ita Diſcipulus dubitans de homine libero ante peccatum, & de poteſtate quam habebat ad peccandum, & ſerviendum peccato.

De liber. arb. cap. 2.

70 Cui reſpondet S. Anſelmus: *Quod autem conſequi tibi videtur; quia ſi potuit ſervus eſſe peccati, potuit ei dominari peccatum: & ideo nec illum, neque eius arbitrium liberum fuiſſe: Non ita eſt. Etenim qui ſuæ poteſtatis eſt vt non ſerviat, nec alienæ poteſtatis eſt, vt ſerviat, quamvis poteſtate ſua ſervire poſſit: quamdiu non illa quæ eſt ſerviendi, ſed illa quæ non eſt ſerviendi vtitur poteſtate, nulla res poteſt illi dominari vt ſerviat.* Hęc Anſelmus, liberum ſtatuens arbitrium hominis ante peccatum, per poteſtatem peccandi, & non peccandi; ſerviendi, & non ſerviendi: quæ cum antecedat peccatum, eſt ſemper, & dicitur poteſtas antecedens ſimul cum peccato, & poſt peccatum manens, vt conſentit Queſnellius: quod maximè obſervandum volumus.

71 Nam ſtatim Diſcipu-

lus

Ibid. c. 3. lus ad Anſelmum. *Satisfeciſti mihi, quia nihil certè hoc prohibet ante peccatum. Sed poſtquam ſe fecerunt ſervos peccati, quomodo liberum arbitrium ſervare potuerunt?* En novam dubitationem de poteſtate, non jam antecedente, ſed conſequente peccatum. Ad quam S. Anſelmus *Licet peccato ſe ſubdidiſſent, libertatem arbitrij tamen naturalem in ſe interimere nequiverunt; ita facere potuerunt, ut jam non ſine alia gratia quam erat illa, quam prius habuerunt, illa libertate uti valeant.*

72 Plana, & dilucida in hoc ſunt teſtimonio, quæ ſi quis intentiore animo perpendere velit, facile deprehendet erroneam, impiam, & doloſam propoſitionem Queſnellij. Etenim S. Anſelmus clariſsimis verbis affirmat, manere poſt peccatum humanum arbitrium, manere poteſtatem, & libertatem naturalem, quod & poſtea ibi in-

Cap. 10. culcat, dicens: *Etiam ſi abſit rectitudo voluntatis, non tamen rationalis natura minus habet quod ſuum eſt.* Rursùs alibi: *Semper itaque habet rationalis liberum arbitrium.* Ergo a lumine quæ amiſit gratiam, & rectitudinem, aliquid præter peccatum remanet: nec ſanè remanet illa generalis impotentia a Queſnellio ponderata.

73 Non equidem, ſi potius, ut Religio eſt, credamus Anſelmo, remanet impotentia, quæ non ſolam poteſtatem antecedentem, ſed & poteſtatem conſequentem peccatum ſervat, ut conticeſcat Queſnellius cum ſuis Janſeniſtis, qui priorem tantum poteſtatem, & omninò peccato impeditam, tametſi inviti, aut coacti, manere fatentur, ut ad eam, quamvis longiſsimè in peccato originali, recurrant ad juſtificandam juſtitiam Dei punientis peccatores ob tranſgreſsiones neceſſarias præceptorum, quorum obſervantiam dicunt impoſsibilem eiſdem in eo ſtatu. ſed ut juſtè puniantur, ſat eſt, aiunt, quod ante peccatum habuerint poteſtatem non peccandi, nec ſe ponendi in eo miſero ſtatu, in quo per amiſsionem omnium virium voluntatis, reddiderunt ſibi divinæ legis obſervantiam impoſsibilem.

74 S. Anſelmus autem ex adverſo ait, quod *Licet peccato ſe ſubdidiſſent, libertatem tamen naturalem arbitrium in ſe interimere nequiverunt*, atque ita, *Liberum arbitrium ſervare potuerunt.* Iſti tamen Novatores, ut omnem gratiam Dei ſufficientem

tem reijciant, qua ſtat ad benè agendum potentia conſequutos peccatum, neque ſolum gratiam Janſenianam neceſsitantem fateantur, potentiam hanc in peccatore omninò abhorrent. Qui tamen niſi protervi, & cæci eſſe volunt, aut tenentur eam homini lapſo concedere ad impletionem præcepti de pœnitendo; aut coguntur affirmare impudentèr, homini ſemel lapſo eſſe abſolute impoſsibilem pœnitentiam. Vide ſupra. Pag. 421 num. 18.

75 Non itaque peccatum, ſeu originale, ſeu perſonale, interimit in voluntate poteſtatem, & vires ſibi congenitas, quas à Deo conditore habet, quamvis eas extenuet, eo quod relinquit illam vitiosè inclinatam, vt ad præpoſterum finem converſam, infimiſque rebus adhærentem: Sed non propterea, nulla prorsùs virtus nulla facultas ad benè agendum illi relinquitur. Nam quod attinet ad bona pure honeſta moralitèr, ſat & pluſquam ſatis contra ſuperiores Queſnellianas theſes ſub titulo *de Amore*, demonſtratum manet clarisſimis SS. PP. teſtimonijs, quod peccatores etiam infideles, & Pagani, poſſunt aliquando ſaltem, ſeu interdùm, bene moralitèr operari, & quod reipſa nonnulli benè ita operati fuere.

76 Quod autem ſpectat ad alios actus peccatoris, & quibus maxime conatus eiuſdem ad reſurgendum à miſero peccati ſtatu apparent, abundè etiam oſtendimus in præcedentibus, ex Scriptura, Concilio, & PP. eſſe illis poſſibiles, & in ſua poteſtate, ſuppoſito adiutorio divinæ gratiæ, quæ nemini deeſt, & quo credunt, timent, orant, ſperant, fidunt, *Eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando*, vt ait Tridentinum: plane agnoſcens in illis, vires, & poteſtatem liberam, hancque non ſolius gratiæ operantis, ſed propriam peccatoris cooperantis, *Quippè qui illam abijcere poteſt*, iuſtitiamque recipit ſi non abijciat, *Secundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem.* Seſſ. 6. cap. 5. Ibi. Cap. 7.

77 Et quamvis hæc potentia proxima, & in peccatore expedita, talis fit ab ipſa gratia præveniente, nam vt item Concilium ait: *Neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſsit*: non ideo cenſendum eſt, nulla poteſtate propria ſe movere, ſeu nullam habere qua moveatur, & poſsit moveri Cap. 5.

per

per gratiam. Habet namque illam propriam voluntatis ſuæ, & arbitrij poteſtatem, quam & Concilium in eis verbis expreſſe ſupponit: quæ quia per peccatum impedita, & enervata, niſi per gratiam Dei expediatur, & roboretur, non ſufficit ſola, non valet, ut peccator ſe moveat prædictis actibus ad iuſtitiam.

78 Ea tamen ipſa poteſtate movetur adiutus, eademmet utitur, & cooperatur gratiæ: hac inquam ipſa facultate arbitrij, & voluntatis, qua cum primo Angeli, vel homines peccavere, *Facere potuerunt*, ait S. Anſelmus, *ut iam non ſine alia gratia, quam erat illa quam prius habuerunt, illa libertate uti non valeant.* In quo ſenſu, verum, & Catholicum dogma eſt, à Concilio, & a SS. PP. crebrò aſſertum, quod peccatori ſunt impoſsibiles prædicti actus, ſeu quod non poteſt illos efficere, nimirum, non præventus auxilio divinæ gratiæ.
Cap. 10. *Cum libera voluntas*, inquit Anſelmus, *deſerit rectitudinem per difficultatem ſervandi, utique poſtea ſervit peccato, per impoſsibilitatem per ſe recuperandi.*

79 Ubi vox illa, *Per ſe* omnino obſervanda, ſi denotat, ſe animare, & ſentire, ea operari, poſsibilia eſſe voluntati viribus tantum ſuis, ſeu ſine præveniente gratia. Non autem propterea cenſet, quod ſint prorſus impoſsibilia voluntati, quaſi non habenti iam ullam poteſtatem, & liberum arbitrium, ut per peccatum totaliter amiſſum, alioqui paulò antea meis, non dixiſſet: *Semper itaque habet rationalis homo liberum arbitrium.*

80 Eſt etiam alius, & frequens apud SS.PP. ſenſus, in quo verè dicitur, quod prædicti actus ſunt peccatori impoſsibiles, vel quod poſt peccatum, caret omnimoda poteſtate ad illos, etiam cum ſupponitur auxilijs gratiæ excitantis, vocantis, & adiuvantis ad ipſorum efficientiam præventus. Videlicet, quia nondum habens gratiam ſanctificantem, & charitatem, non poteſt quamtumvis velit, & conetur, efficere actus, qui tunc, reipſa, & exercitè ſint merita ſalutis, & vitæ æternæ: hoc enim certiſsimum eſt, alioqui non gratis iuſtificaretur. Veruntamen in ſenſu iſto, non tam intelligendum, & dicendum eſt, quod peccatori ſunt impoſsibiles actus, quam quod ſunt impoſsibilia merita, ſeu quod idem eſt, quod illi actus non poſſint evadere condignè me-

meritorij gratiæ, & gloriæ, ante infuſam gratiam, & charitatem.

81 At verò Queſnellius, & Janſeniſtæ nolentes clariſsimos hoſce ſenſus apud PP. videre, temerè, & inconſultò verba illorum excipiunt, & vbi quidquam inveniunt quod impoſsibilitatem, aut impotentiam peccatoris ad bene agendum quodammodò ſignificet, ſtatim illud arripiunt, producunt, laudant, tanquam exploratum pro ſua cauſa ſuffragium: quo repræſentantes voluntatem hominis prorsùs invalidam, exinde veluti neceſſariò colligendum putant, quod ſola illa efficaciſsima gratia Janſeniſtica, poterit homo operari, & operetur, quidquid boni agit, ſive credat, ſive ſperet. Unde ipſis nunquam timor poteſt bonus eſſe. Neque fides, & ſpes niſi per charitatem operantur. Neque aliam gratiam agnoſcunt, niſi quæ ſignificat opera. Neque aliam potentiam in voluntate, niſi quæ per eam gratiam inevitabilitèr, & determinata ei confertur.

82 Quæ omnia abſurdiſsima dogmata ſunt, & penitùs evertentia fundamenta Religionis, omnemque morum diſciplinam, ac totam nedùm Chriſtianam, ſed & civilem œconomiam. Pro quorum conſervatione laborarunt ſemper SS. PP. laborantque continuò, & cuncti ſapientes, illorum inhærentes veſtigijs; dum omnes ſatagunt illæſam ſervare poteſtatem voluntatis, & arbitrij libertatem, non quamcumque, ſeu tantum à coactione, ſed quæ dicitur, & eſt indifferentiæ, & in pleno ſuorum actuum dominio, & electione conſiſtit; fœderatam alioqui cum potentiſsima efficacia divinæ voluntatis, qua Deus omnia quæcumque voluit fecit, facitque media ſua gratia nos velle, & agere.

83 Queſnellius autem, & Janſeniſtæ tanquam de hac concordia cum Luthero, & Calvino deſperantes, ſpernenteſque conatus tum Patrum, tum & Theologoru qui illam explicare tentant varijs argumentis, diverſis ſyſtematibus, hac, aut alia via, quantum humano ingenio datur in re inſcrutabili, illæ is tamen, ac ſemper retentis Scripturæ veritatibus, & fidei articulis: illi, inquam, nulli aſſentientes, & omnibus refragantes, malunt a quocumque probabili medio ſuperbe diſcedere, vt potius cum Luthero ſentientes ad extremum adeo erroneum deveniant, vt non alia via poſſe

conciliari voluntatem Dei, cum voluntate hominis, gratiam divinam, & humanum arbitrium, niſi hominis voluntas, & arbitrium non tam iuri ſuo cedant, ſupremo liberè obediendo, quam ſi per fas, aut nefas, omni iure, omni poteſtate, viribus omnibus ſpolientur.

84 Quoniam vero theſes Queſnellij ſub hoc titulo, etſi rectà tendant ad inducendam neceſsitatem Gratiæ Janſenianæ, non tamen modò de iſta procedunt, aut loquuntur, pro qua aliàs ſtabilienda, multa in ſequentibus habet: idcircò nihil in præſenti de ea gratia, nihil de ſua concordia arbitrio humano fatali, nihil etiam de aliorum ſententijs dicam, dicturus de his omnibus tomo alio, vbi reliquas propoſitiones locatas ab Anonymo ſub ſex alijs qui ſuperſunt titulis, eadem methodo, ijſdemque ducibus, nempè Scriptura, Concilijs, & Patribus iuſtiſsimè damnatas demonſtrabo.

85 In præſenti autem, vbi priores ſex tituli eas propoſitiones continent, quæ ad mores attinent, has tantummodò refutare conſilium eſt, ſine aliarum permixtione, tùm vt omnē confuſionē vitemus; tùm etiam, quia ab oppoſito intenti Queſnellij, & Anonymi quod inſequimur, hac ipſa methodo viam ſtatuimus, ad oſtendendum nullam prorſus neceſsitatem gratiæ Janſenianæ habere voluntatem, cuius liberam poteſtatem, quamvis peccato infirmam, tuemur: nullius gratiæ quæ nos faciat neceſſariò velle, egere humanum arbitrium, cuius vires quamvis debilitatas, non penitùs extinctas per peccatum adſtruimus.

86 Quam obrèm ſtatuto hominem lapſum non ita amiſiſſe ſuæ voluntatis vires, & potentiam, vt non valeat bonum honeſtum aliquando agere, poſſeque cum divino adiutorio conari, & liberè moveri, ſeque præparare ad reſurgendum e miſero peccati ſtatu, id ſat eſt ad redarguendam falſitatis præſentem Queſnellij propoſitionem, quia qui poteſt non tantum moveri, ſed & liberè moveri, id abſdubiò facit proprijs arbitrij viribus, & poteſtate. motus namque voluntatis eſt, quamvis non ſine gratia dum iſta indiget vt moveatur, & moveri poſsit: veluti cum licet Petrus nec generet, nec valeat generare filium ſine Sole, nihilominùs potentia ſua propria filium procreat.

87 Idque eſt quod S. An-

ſel-

ſelmus laudatis ſententijs intendit, & facit, nempe ſtatuere quod in voluntate, in libero arbitrio, etiam poſt peccatum, manet poteſtas propria, manent adhuc vires, quibus gratiæ Dei operanti, illa cooperetur: vt hoc ſemel ſtatuto, tranſeat poſtea, quod & facit, ad concordiam iſtiuſmodi arbitrij, cum præſcientia, prædeſtinatione, & gratia. *Ad concordiam*, inquam, quæ nulla ſupereſſet exquirenda, aut excogitanda, ſi cum Queſnellio, & Janſeniſtis dicatur, voluntatem omnia ſuæ poteſtatis, & arbitrij iura per peccatum perdidiſſe.

88 Eodem modo ac S. Anſelmus, procedit S. Bernardus, qui & de re iſta ex inſtituto diſſeruit: cuius expreſſæ ſententiæ palam etiam ſenſu, & verbis propoſitioni Queſnellij adverſantur. Primo namque diſerte ſtabilit hominem natura ſua diſcerni à pecoribus per liberum arbitrium, quod ratione illuſtrante, & dirigente movetur, ita vt voluntas numquam neceſſitata, ſed ſemper libera conſentiat, ſcilicet, eligens bonum, vel malum; quod ſanè eſt, conſenſum illius eſſe voluntarium liberum non ſolum à coactione, ſed voluntarium liberum à neceſsitate. Nam inquit: *Quod ſui liberum non eſſe cognoſcitur, quo pacto, vel bonum ei, vel malum imputatur? Excuſat nempè vtrumq; neceſſitas. Porrò vbi neceſſitas eſt, libertas non eſt.*

Tract. de Grat. & lib. arb.

Cap. 2. 5.

89 Hæc ergo libertas, quæ vt ſuperaddita ad voluntarietatem, reipſa libertas eſt indifferentiæ, & ad conſentiendum, vel diſſentiendum (vt neque de hoc vel dubitent Janſeniſtæ) adeo ait ingenita eſt voluntati, vt ſit congrua humani arbitrij definitio. *Sola ergo voluntas, quoniam pro ſui ingenita libertate, aut diſſentire ſibi, aut præter ſe in aliquo conſentire, nulla vi, nulla cogitur neceſſitate, non immerito iuſtam, vel iniuſtam ..... conſtituit, prout ſcilicet iuſtitiæ iniuſtitiæve conſenſerit. Quapropter huiuſmodi voluntarium liberum quæ conſenſum .. puto non incongrue ia eſſe, ut ſupra definiuimus, quod ſolet liberum arbitrium appellari.* Cap. 3. 6.

90 Liberum videlicet per naturam, ab omni neceſsitate: non liberum tantum per gratiam a peccato: non etiam liberum a miſeria, per gloriam, aut æternam vitam. Has enim tres libertates accuratè diſtinguit S. Bernardus, quas penitus confundunt Janſeniſtæ prave propterea intelligentes plura loca Scripturæ, Patrum, & præſer-

Vid. Pag. 371.n.7. tim S. Auguſtini, qui quoniam ſæpè ait, peccatorem potius quam liberum, ſervum eſſe peccati, clamant, nullam agnoviſſe cum peccato libertatem. Item, cum plurimi Patres dicant, perfectam libertatem eſſe in Patria, non defuere Janſeniſtæ, qui id temerè accipientes dicerent, amorem Beatificum eſſe actum magis liberum à neceſsitate, quam ſit vllus alius actus puri hominis viatoris, ſivè bonus, ſivè malus. Ita planè, vt alios taceam, Gummarus Huygens, in famoſo ſuo compendio, & in theſibus publicis Lovanij habitis. 1. Iulij. an. 1683. 10 Mar. an. 1684.

91 At S. Bernardus cum aſſerit arbitrium humanum per eam poteſtatem conſentiendi, & diſentiendi, eſſe & definiri liberum, ſtatim ſubjungit: *Sed ſanè liberum, non illa libertate, de qua dicit Apoſtolus*: Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas. *Eſt enim illa libertas à peccato, ſicut alibi dicit*: Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ ...... *Hac ergo libertate dictum merito nequaquam opinor liberum arbitrium*. Sed neque etiam liberum dicitur, per aliam libertatem à miſeria: nam ſubdit: *Eſt item libertas à miſeria, de qua iidem Apoſtolus*. 2. ad Cor. 3. 17. Ad Rom. 6. 20.

Et ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei ... *Et hac itaque liberum nominari arbitrium non immerito abnuimus*. Ad Rom. 8. 21.

92 Apertè itaque conſtat Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, his, & alijs textibus Scripturæ, & ſententijs Patrum abutentes, vt has libertates confundant, ad colligendum, nullam poſt peccatum manere libertatem in voluntate, quæ amiſſa gratia, neque à peccato, neque à miſeria eſt libera. Sed enimverò alia eſt diſtinguenda libertas arbitrij, & quæ maximè illi competere videtur S. Bernardo: *Eſt vero*, inquit, *quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere poſſumus à neceſſitate*.

93 Hanc & cum alijs collatam, ſequentibus explicat. *Hanc vltimo loco poſitam contulit nobis in Conditione naturæ. In primam*, ideſt in libertatem à peccato, *reſtauramur à gratia. Media*, hęc eſt libertas à miſeria, *reſervatur in Patria. Dicatur igitur prima libertas Naturæ, ſecunda Gratiæ, tertia Vitæ, vel Gloriæ. Primo nempè in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem, conditi ſumus, nobilis Deo creatura. Secundo reformamur in Inno-* Ibid. 7.

ceti-

tentiam, nova in Chriſto creatura. Tertio ſublimamur in gloriam, perfecta in ſpiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris, ſecunda plurimum etiam virtutis, noviſſima cumulum jucunditatis.

94 Ex tribus his libertatibus, ſecunda Gratiæ, totalitèr amittitur per peccatum: Tertia quæ eſt Gloriæ, per illud non deperditur, quia in via non habetur, ſed tamen peccator amittit ius quod in conſervata gratia ad illam haberet. Prima autem libertas, quia Naturæ eſt, non deficit per peccatum, quo nec natura ipſa corruit, quamvis deformetur, & pravè inclinetur. Unde Queſnellio quærenti; *Quid aliud remanet animæ quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit?* Reſpondet S. Bernardus: *Manet libertas voluntatis, ubi etiam ſit captivitas mentis.* Ruſus: *Manet ergo etiam poſt peccatum, liberum arbitrium, & ſi miſerum, tamen integrum. Et quod ſe per ſe homo non ſufficit excutere à peccato, ſive miſeria, non liberi arbitrij ſignat deſtructionem, ſed duarum reliquarum libertatum privationem.*

Cap. 4. 9.

Cap. 8. 24.

95 Quia itaque homo per peccatum amiſsit omnimodam libertatem gratiæ factus peccati, aut concupiſcentiæ ſervus, non ſufficit; non poteſt ſe per ſe à peccato excutere, quia poteſtas hæc non eſt hominis per ſe, ſed hominis per Gratiam: Eſt enim propria libertatis gratiæ, qua amiſſa, & illa deperditur. Quia tamen per peccatum non amiſsit libertatem naturæ, etiam ſi fiat peccati ſervus, manet in eo poteſtas prædictæ libertatis propria, & naturalis, qua ſe, quamvis non per ſe, ſed per gratiam, poteſt excutere à peccato. *Sive Dei ſumus, ſive Diaboli, non tamen ſimiliter definimus eſſe, & noſtri. Manet quippè utrobique libertas arbitrij per quam maneat, & cauſa meriti .... Sane Diabolo noſtra nos mancipat voluntas, non ipſius poteſtas: Deo ſubjicit eius gratia, non noſtra voluntas.* Inquit S. Bernardus.

Cap. 11.

96 Mitto plurima alia; nec minùs diſerta, quibus S. Doct. perpetua ſententia affirmat, manere homini poſt peccatum libertatem ab omni neceſsitate, & conſequentèr indifferentiæ, cuius propria eſt poteſtas ad agendum, & qua, vel ſe ſolo, vel cum divina gratia agit, quæcumque agit: ut propterea ex clariſsima verborum oppoſitione, & ſimul ab aperta ſenſuum con-

trarietate, liquidò appareat quam manifeſtè contradicat S. Bernardo, vt & alijs ſupra laudatis Patribus, Queſnellius affirmans nihil præter peccatum, & mala ex ipſo ſequuta, generalemque impotentiam ad omne opus bonum, manere animæ poſt peccatum.

97 Oportet iam audire S. Auguſtinum, quem conſultò poſt alios loquentem inducimus, quia de eius patrocinio, tam in re iſta de libertate arbitrij, quam in conſequenti de Gratia, Queſnellius, & Janſeniſtæ potiſsimum gloriantur: atque ideò Anonymus duobus teſtimonijs illius contentus eſt præſentem ſuſtinere propoſitionem. Sed quoniam, & antea pro eadem allegat Concilium Arauſicanum, breviter exponam ſenſum illius quem fuſe loco ad marginem notato intimiùs habeo enucleatum. Pag. 160 num. 158

98 Quod itaque eis verbis Concilij, vt ibi diximus, modoque dicimus, ſignificatur, eſt, hominem ſine vllo auxilio Dei, etiam nec generali concurſu, peccatum tantumdèm de ſuo habere: etſi quæ alia opera ſine gratia Dei faciat, quæ non ſint per iſtam, & charitatem formata, nihil illi prodeſſe, aut expediant ad ſalutem, & vitam (de quo totum fuit Concilij negotium, & propoſitum expreſſum in Canonibus ibidem citatis.) N. 157. Ob quem ſolum defectum, quamvis in aliquibus operibus pure negativus ſit, frequentèr tunc ea omnia opera, mala, & peccata dicebantur, vt Sixtus Senenſis obſervat.

99 Non igitur docet Concilium quod homo ſic per peccatum amiſsit libertatem cum gratia, vt nihil omninò boni moralis efficere queat; nullaque penitus poteſtas, nullæ vires illi remanſerint, quibus libere cooperetur gratiæ. Et quidem in hoc ipſo Canone ab Anonymo Can. 22. objecto, duo habet in ſuis verbis expreſſa, & obſervatione digna. Primum, quia id quod Concilium opponit mendacio, & peccato, quæ dicit convenire homini *de ſuo*, eſt id quod habet *veritatis, atque iuſtitiæ*: quod ſanè indicat opus non quomodolibet bonum, ſed gratia dignificatum. Secundum, & valde notandum eſt, quod quam longe diſtat ab inundante, & obruente Gratia Janſeniana, illa quæ à Concilio eis verbis explicatur, *Quaſi guttis quibuſdam*, hoc ipſum diſtat impotentia animæ aſſerta à Queſnellio tollenda per gratiam Janſenij, ab impotentia

tia animæ adiuvanda per gratiam Concilij.

100 Venio iam ad S. Auguſtinum, cuius primum teſtimonium allatum ab Anonymo de libero arbitrio captivato, quod ait, *non niſi ad peccandum valet*, forſan poterit videri ad ſenſum Queſnellij opportunum, ſed non niſi cui de intento, & occaſione qua illud protulit S. Auguſtinus non conſtet. Ergo res altius repetenda eſt, ſciendumque, quod cum Pelagiani in duabus Epiſtolis quas pro ſe, & adverſus Auguſtinum, & alios Catholicos vulgarunt, attribuentes iſtis, inter alia dogmata, hoc quod erat Manichæorum, quod nempe,

Lib. 1. ad Bonif. cap. 2.

Primi hominis peccato, id eſt Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo iam poteſtatem habeat benè vivendi, ſed omnes in peccato carnis ſuæ neceſſitate cogantur. Id, aliaque non minùs impia, impoſuerunt Pelagiani Auguſtino, vt eius doctrinam, & præſertim quam de neceſſitate gratiæ contra ipſos propugnabat, diffamarent.

101 Contra prædictas Epiſtolas, & ad propulſandam tam inſignem calumniam, quatuor Auguſtinus Libros conſcripſit, direxitque ad Bonifacium Pontificem, qui ad eum Pelagianorum litteras per Alipium miſerat. In his Libris totus Auguſtini conatus eſt, totumque propoſitum, detegere, & propellere callidas impoſturas de falſis articulis ipſi adſcriptis, indeque inſtaurare ſua, & efficaciſſima pro divina Gratia contra eos argumenta: præſertim quia vt inquit: *Liberum arbitrium defendendo præcipitant, vt de illo potius ad faciendam iuſtitiam, quam de Domini adiutorio confidatur, atque vt in ſe quiſque, non in Domino glorietur.*

Ibid.

102 Tale porrò erat Pelagianis, ſua hæreſi naſcente, liberum arbitrium poſt peccatum Adæ, quod, videlicet, ſe ſolo ſufficiens erat, ad quæcumque bona opera etiam meritoria, ad faciendam iuſtitiam, ſine vllo alterius adiutorio, ſic, vt per illud mererentur homines poſteà accipere gratiam qua fierent Filij Dei. Quia verò S. Auguſtinus tale arbitrium impugnabat, ad illi concitandam invidiam, quaſi ſentiret liberum arbitrium per peccatum totalitèr periiſſe, eum Manichæum appellabant, contra quos exclamat: *Quis autem noſtrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?*

103 Rurſùs, poſtquam ſtatuit liberum arbitrium non niſi

niſi à Deo adiutum, & præeunte fide etiam ex gratia Dei, non habere poteſtatem ad ſupradicta opera, iterum excutit calumniam de neceſsitate ad peccandum, poſt peccatum, quam ei Pelagiani attribuebant, (Ibid. cap. 3.) inquiens: *Non itaque, ſicut dicunt nos quidem dicere, & iſte audet inſuper ſcribere, omnes in peccatum, veluti inuiti carnis ſuæ neceſſitate coguntur; ſed ſi iam in ea ætate ſunt, ut propriæ mentis vtantur arbitrio, & in peccato ſua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum, ſua voluntate præcipitantur.* Voluntate, ſcilicet, libera, alitèr non eſſet peccatum, quod non committi niſi deliberatione, & libertate, ſæpè docet (In Pſal. 140.) Auguſtinus.

104 Item, collationem faciens Manichæorum cum Pelagianis, de vtrorumque erroribus ait: (Libr. 2. cap. 1.) *Manichæi negant homini bono ex libero arbitrio fuiſſe initium mali. Pelagiani dicunt etiam hominem malum ſufficientèr habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum.* Eritne inter hæc extrema, aliqua aſſertio media quæ vera ſit? Eſt vtique. *Catholica vtroſque redarguit, & illos dicens: Fecit Deus hominem rectum. & iſtos dicens: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Nimirum, non negat homini malo liberum arbitrium, ſed tantummodo, quod ſine gratia liberatoris ſit ſufficiens.

105 Quod iterùm explicatiſsimis his verbis docet. *Hæc eſt noſtra reſponſio. Peccato* (Cap. 5.) *Adæ arbitrium liberum de hominum natura periiſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis Diabolo: ad benè autem piéque viuendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adiuta.* Hæc Auguſtinus, & ſimillima his quæ antea ſcripſerat Innocentius Papa, in ſuis ad Carthaginenſe (Cap. 4.) Concilium litteris, quæ ab eodem Auguſtino ibi allegata, dicit eſſe, claram, & manifeſtam *Sedis Apoſtolicæ ſententiam.*

106 Ampliùs adhuc, & ſemper repellens notam Manichæiſmi ſibi à Pelagianis obiectam, vtque redarguat laudantes immodicè liberum arbitrium, quaſi poſt peccatum Adæ æquè validum, ac antea remanſerit vt non indigeat gratia, vel *Ad hoc vt* (Libr. 4. cap. 3.) *gratia non adiuuet niſi meritum, ac ſic gratia, iam non ſit gratia.* Inquit: *Vtroſque damnat, atque deuitat, quiſquis ſecundum regulam Catholicæ fidei .... ſic aſſerit li-*

li-

liberum arbitriū, ut non ex natura neſcio qua ſemper mala, quæ nulla eſt, ſed ex ipſo arbitrio cœpiſſe dicat, & Angeli, & hominis malum; quod evertit hæreſim Manichæam. Nec ideò tamen poſſe captivam voluntatem, niſi Dei gratia reſpirare in ſalubrem libertatem, quod evertit hæreſim Pelagianam.

107 Ita porrò, & conſtantiſsimè S. Auguſtinus in laudatis Libris tuetur, ſtabilitque, ſemper liberum arbitrium poſt Adæ peccatum manens, ſic tamen indigens gratia liberatoris, ut a ſe nequaquam ſit ſufficiens ad quicquam meriti agendum: quia ſcilicet, voluntas captiva per peccatum, niſi Dei gratia non poteſt reſpirare in hanc libertatem quæ ſola ſalubris eſt, & qua Chriſtus nos liberavit.

108 Urget tamen Anonymus pro ſuo Queſnellio. Non id tantum non poteſt arbitrium captivatum, ſed nec poteſt quidquam boni agere, ait ex ibid. in Auguſtino: *Et liberum arbitrium captivatum, non niſi ad peccatum valet, ad iuſtitiam vero niſi divinitus liberatum, adiutumque non valet.* Nulla igitur ei poſt captivitatem peccati poteſtas remanſit ad opus ullum quod peccatum non ſit.

Libr. 1. cap. 8.

109 Cæterùm, ſtatuto Auguſtinum tot ſententijs ex hiſce Libris depromptis, tenere quod poſt Adæ peccatum manet in nobis arbitrium liberum, adiuvandum tamen à Deo ad opera ſalutaria, mihi exploratum eſt, eritque ſimilitèr cuivis non pravè præoccupato, quod numquam intenderit, illud ſolummodò manere liberum ad peccandum, impotens ex peccato bonum quodcumque facere, in ſenſu Queſnellianæ theſis, & ab Anonymo intento.

110 Senſus namque iſte pugnat aliunde apertiſsimè cum his etiam, & clariſsimis eiuſdem teſtimonijs, quibus ſupra allegatis docet, Paganos infideleſque, in quibus certè liberum arbitrium captivatum eſt, interdùm, ſeu aliquando, bonum aliquod honeſtum, quod & Deus remuneravit, operatos fuiſſe: ac poſſe peccatores conari, & ſe præparare cum Dei adiutorio, per actus timoris, fidei, & ſpei, ad iuſtificationem. Item, dilucidè affirmat, fidem quæ eſt ſalutis exordium, in noſtra eſſe poteſtate, ſicut & voluntatem credendi, cuius eſt liberè conſentire, aut diſſentire vocationi Dei; de quo illuſtre illius teſtimonium ſupra dedimus. Ergo qui tam clarè affirmat, quod conſentire, & diſſentire voluntatis eſt,

Pag. 560 num. 14 & 15.

Bbbb cen-

cenſet profectò quod in voluntate, adhuc a peccato non libera, eſt vera poteſtas nedùm ad ſemper diſentiendum, ſeù peccandum, ſed & ad conſentiendum, & rectè agendum.

111 Hæc cum ita ſint, neque vnquàm dicam Auguſtinum contraria, & pugnantia tenuiſſe, propterea ad perſcrutandum ſenſum illius in prædictis verbis obiectis ab Anonymo, me applicui; & qui mihi videtur tàm ab ipſo intentus, quàm ab ſcopo Queſnellij, & conatu Anonymi diſtans, eſt huiuſmodi. Quod videlicet liberum arbitrium per peccatum Adæ captivatum, non valet niſi ad peccatum, nimirùm ad concupiſcentiam ex peccato Adæ conſecutam, & in voluntate noſtra dominantem: non ita tamen vt illa ſit peccatum, nec ad peccandum tantum liberam relinquat voluntatem, & ad bene operandum impotentem: ſed imò cui conſentire, aut diſentire, adhùc ſit in illius poteſtate, ac præſertìm ſuppoſita gratia.

112 Quod hæc fuerit mens, & intentio Auguſtini, ex ipſo demonſtrandum eſt, ne videamur voluntariè, aut ex cerebro, hunc ſenſum excogitare. Qui niſi plurimùm fallor, ex his ipſis Libris, & ex propoſito S. Auguſtini manifeſtè eruitur. Quoniam igitur Pelagiani ipſi attribuebant cum prædicto errore circa liberum arbitrium, alium etiam circa Nuptias, quaſi eas damnaret, & opus Diaboli diceret, eo quod per illas geniti trahunt peccatum originale, & concupiſcentiam carnis, quæ à Pelagianis negabantur; hanc calumniam, in his etiam Libris refutat, quod & fuſius iam fecerat in Libris *de Nuptijs*, & *concupiſcentia*, Valerio Comiti nuncupatis.

113 Et primò ſcribens ad Bonifacium, docet, cur concupiſcentia cum peccatum non ſit, peccatum tamen dicatur, etiam quæ remiſſo peccato manet? vt baptizatus inquit: *Pia mente confligat: ſed hæc etiam ſic vocatur peccatum, non vtique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt.* Rurſùs: *Et ideò tam non ſit peccatum, ſed ſic vocetur, ſivè quod peccato facta ſit, ſive quod peccandi delectatione movea tur, & ſi ei, vincente delectatione iuſtitiæ non conſentiatur.* Eadem ferè habet in alijs ad Valerium Libris; & in eis *de Libero arbitrio*, atque alias ſæpè: ac ſemper iuxta illas Apoſtoli ſententias, quibus concupiſcentiam iſtam peccatum dicit, & le-

Libr. 1. cap. 13.

Libr. 1. cap. 13.
Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.
Ad Rom. cap. 6. & 7.
Seſſ. 5. de peccato orig.

legem peccati appellat. Unde & cohærenter Tridentinum in eodem ſenſu Apoſtolum explicat, & Auguſtinum ſic illum exponentem ſequitur.

114 Qui item docet, intelligendum eſſe Apoſtolum de ſe ipſo & in ſe ipſo de omnibus loquentem cum dicit: Ad Rom. cap. 7. & ſeq. *Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio.* Et ſequentia uſque ad illud: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Quæ S. Auguſtinus luculentèr exponit de eadem concupiſcentia ex peccato Adæ in Apoſtolo, & nobis facta, & captivante nos, etiam cum ei non conſentimus: Ibidem, cap. 10. *Etiam*, inquit, *ſi concupiſcentia non conſentit ad malum: Et ne quiſpiam conſentire carnis concupiſcentiæ ad opera mala ſuſpicetur Apoſtolum,* notat S. Auguſtinus, quod ipſe addidit: *Condelector legi Dei.*

115 Nihilominùs ipſe, & omnes captivati ſumus hac concupiſcentia quæ peccatum eſt, & lex peccati; quæ eſt in membris, & carne noſtra, & ſub illa venundati ſumus; etiam ſi nulla conſenſio ſit ad malum, ita namque Auguſtinus: *Quia dixit captivantem me, poteſt movere, ſi nulla conſenſio eſt.* Ibi. *Unde propter tria iſta, duo ſcilicet, de quibus tam diſputavimus, quo ait: Ego autem carnalis ſum, & venundatus ſub peccato, & hoc tertium: Captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis .... ſic & hoc poteſt intelligi, ut captivantem me, dixerit, carne non mente; motione, non conſenſione,*

116 His & alijs exponit ad rem S. Auguſtinus contra Pelagianos, hunc Apoſtoli difficilem textum, qui à ſe, *Diligentèr conſiderandus, & ſcrutandus, ne in eis aliqua obſcuritate delitеſcat error iſtorum,* Ibi. dicit. Et quia etiam exiſtimo Anonymũ quæſiviſſe errori Queſnellij latibulum in verbis Auguſtini, propterea hanc ſuæ mentis explicationem præmittere volui, qua perſpicuum ſit, quod cum poſteà ait: *Liberum arbitrium captivatum, non niſi ad peccatum valet;* ſenſus non eſt, quod liberum arbitrium poſt peccatum, nullas omninò habet vires, niſi duntaxàt ad peccandum.

117 Legitimus itaquè ſenſus ab eo intentus, & ſuperioribus ſat inſinuatus,

eſt, quod liberum arbitrium poſt peccatum Adæ, ita per iſtud manſit concupiſcentiæ obnoxium, vt tanquam venundatum, & captivatum ab illa, ei omninò ſubiaceat, non valens ſe ſolo ab ea, & eius lege, aut tyrannide liberari; proptereàque non niſi ad concupiſcendum, ſeu ſuſtinendum impulſus illius valet. Hæc enim eſt captivitas neceſſario conſecuta ex peccato, & hæc eſt ex ea captivitate inducta neceſſitas, nempè, ad ſtimulos carnis, & concupiſcentiæ perferendos, non autem ad peccandum; alioqui illa captivaret, non ſola motione, ſed & conſenſione: & Apoſtolus videns in ſe legem captivantem eam in lege peccati; foret peccato conſentiens, ac re ipſa peccans.

118 Hunc inſuper ſenſum confirmat S. Auguſtinus ex eodem Apoſtolo clamante: *Infœlix Ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Nimirùm, vt venundatus, & captivus, qui ſerviens *Carne legi peccati, concupiſcentiæ non conſentiendo,* ab ea ſervitute liberari deſiderat. Ergo vt optime in hoc ſenſu cohæret ſervire legi peccati, & non conſentire: ſimiliter in eodem cohæret, non niſi ad peccatum valere, & non proptereà peccare.

Vbi ſup. n. 4.

Aug. ſup.

119 In Libris autem de Nuptijs, & concupiſcentia, vbi Auguſtinus hoc idem argumentum ex inſtituto pertractat, eandem doctrinam, eamdemque textuum Pauli expoſitionem affert: vnde ſat erit aliquas excerpere ſententias, vt æquè appareat vtrobique conformitas. Etenim loquens de concubitu coniugali, ait, ita illum poſt peccatum Adæ ex derelicta concupiſcentia habere adiunctum morbum deſiderij libidinoſi, vt hoc non ſit in poteſtate hominum, quia ad id perijt per peccatum libertatis arbitrium. *Vt iſte*, inquit, *ſit concubitus, qui nihil morbidæ libidinis haberet adiunctum, ſi non præcedente peccato in eo periſſet libertatis arbitrium, quod nunc ideò habet adiunctum, vt non ſit voluntatis, ſed neceſſitatis.*

Lib. [illegible] cap. 8.

120 Quamvis autem prædicta concupiſcentia habeatur neceſſitate ex peccato, & non arbitrij libertate, hac nihilominus, & non neceſſariò, homo illi conſentit, aut illa vincitur. *Illo quippè*, ait S. Auguſtinus, *concupiſcentiæ malo vtitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis, atque indecoris motibus æſtuantem frænat, & cohibet, neque niſi propagationi conſulens, relaxat, atque adhibet.*

Poſt

Poſteaque explicans quando concupiſcentia ſine reatu eſt, ait: *Agit enim aliquid concu-* *Ibi. c. 27.* *piſcentia carnis, & quando non exhibetur ei, vel cordis aſſenſus ubi regnet; vel membra, velut arma quibus impleatur quod iubet, actus manet, reatus præterit.*

121 Actus autem concupiſcentiæ qui neceſſariò manent, ſunt deſideria mala, & turpia quæ ipſa movet. De quibus cum Apoſtolus dicat: *Ad Rom. 6.12.* *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis eius*, notat S. Auguſtinus. *Non enim ait, ad habenda deſideria eius, ſed ad obediendum deſideriis eius .... In hoc agonem iuſtitiæ, pudicitiæque ſervemus, ne illis obediamus: ut tamen, nec ipſa ſint deſideria velle debemus, etiamſi in corpore mortis huius id obtinere non poſſumus.* Quoniam non valet homo poſt peccatum liberare ſe ab eius lege, ſub qua captivus tenetur.

122 Hæc enim lex, ait: *Ubi sup. cap. 10.* *Ipſa iſta eſt de qua loquimur concupiſcentia, lex peccati, in carne peccati. Quod autem dixit: Et captivantem me, ſub lege peccati: hoc eſt, ſub ſe ipſa quæ eſt in membris meis. Aut captivantem dixit captivare conantem .... Aut potius quod non habet controverſiam, captivantem ſecundum carnem, quam niſi teneret carnalis concupiſcentia, quam legem peccati vocat, non utique in ea ullum illicitum deſiderium, cui mens obedire non debeat, commoveret.* Undè iterum ait: *Non adhibenda* *Ibi, c. 3. 13* *ſunt arma peccato, id eſt eidem ipſi concupiſcentiæ, quæ hoc carnale noſtrum captivum tenet.*

123 Satis iſta, dum plurima omitto, ad demonſtrandum in quam diverſo ſenſu à Queſnelliano, accipienda ſint verba Auguſtini ab Anonymo ex laudato loco deprompta. Ipſa enim naturaliſsime hunc, & non alium præſeferunt: quod, videlicet, quia liberum arbitrium ab eo tenetur captivatum, a quo imperium, & legem patitur: at hæc eſt concupiſcentia quæ ex peccato remanet, non peccatum quod tranſijt. Et cum dicitur, quod ita captivatus non niſi ad peccatum valet; non ſignificatur, quod ſolummodò peccare poteſt, ſed quod ſe ſolo non poteſt concupiſcentia carere, non valet à captivitate liberari, ſervitutem excutere, quam ex peccato conſecutam neceſſariò ſuſtinet.

124 Quinimò, neque ad id valet, etiam cum regularibus auxilijs gratiæ quæ homi-

nibus

nibus dantur; quoniam concupiſcentia omnibus ad agonem relinquitur, ad conflictum; dumque Viatores ſumus, & lutea vaſa portamus, vndique anguſtamur, coarctamur, & ingemiſcimus, vſque dum ait S. Auguſtinus: *Viuificatis mortalibus corporibus noſtris, non ſolum ad peccandum conſenſio nulla erit, ſed nec ipſa cui conſentiatur carnis concupiſcentia remanebit.* Interea autem, ſic eius legi, & imperio ſubdimur, vt non valeamus ab eo eximi. Quod plane ſignificat illud: *Non niſi ad peccatum valet*, ſcilicet, ad tolerandam concupiſcentiam quæ peccatum appellatur. In ſenſu autem Queſnellij volentis neceſſarios eſſe conſenſus pravos voluntatis poſt peccatum, debuiſſet S. Auguſtinus dicere, *Non niſi ad peccandum valet*, vt verbis præcedentibus loquitur.

Lib. 1. ad Bonif. cap. 11.

125 At non ita loqui poterat, qui tam perſpicuè, vt vidimus, diſtinguit neceſſitatem ſuſtinendi duram iſtam legem peccati, à libertate conſentiendi, & obediendi deſiderijs eius: quam ſemper in voluntate quamtumlibet ſubdita concupiſcentiæ, & per hanc ad peccandum inclinata, ſed non determinata, infirmata, ſed non impotente, cognoſcit. Alioqui ſemper poſt peccatum in ſuis tyrannicis motibus concupiſcentia noceret. Verum, *Nec nocet alicui*, inquit S. Auguſtinus, *niſi eius motibus ad illicita conſentiatur.*

Lib. 2. ad Ier. c. 34.

126 Aliud ergo eſt peccatum quod committimus conſenſione libera: aliudque eſt peccatum (concupiſcentia) quod perferimus perpeſſione neceſſaria. Quæ ſi Queſnellius, vt debuerat, diſtingueret, ſi eius defenſores non inique contunderent quæ alias extant explicatiſſima per Tridentinum, neque ille forſam propoſitionem adeo abſonam pronunciaſſet; neque iſti tanta, & petulanti confidentia, Scripturam, & Patres, ac maxime Auguſtinum, pro ea allegaſſent vſurpantes inconſulto, quæ ab Apoſtolo, & PP. ſub nomine *peccati*, de concupiſcentia homini neceſſaria poſt peccatum Adæ dicuntur, tanquam dicta de peccatis; quæ à peccatore poſt peccatum, non quidèm neceſſario, ſed liberè, plena libertate contrarietatis perpetrantur.

127 Præſtat tamen audire adhuc in alijs ſuorum operum locis S. Auguſtinum, vt ſemper ſibi conſtans appareat in attribuendis voluntati viribus, quamvis per peccatum infirmatis, & humano arbi-

bitrio libertatem, & poteſtatem, tametſi ex peccato languidam ad bene operandum: vt & indè præſagire quis poſsit qualis fuerit mens illius de *Gratia*, de quâ in ſequentibus. Et quamvis plurima ſint teſtimonia illius in ſuperioribus allegata, ac proximè adductis omnino conformia, quæ manifeſtè ſuadent, aut ſupponunt in peccatore libertatem, potentiam, & vires ad agendum, ſive per ſe, opera moralia honeſta ordinis naturæ, ſive cum Dei adiutorio opera ſupernaturalia: quæ vt quis reviſere poſſit loca ad marginem notamus: vlteriùs alijs ſuæ mentis expreſsionibus eius ſententia fiet manifeſtior.

De Timore. De Antiq. & novo fœdere, paſsim. Pag. 145 n. 140. Pag. 263 n. 116. Pag. 300 n. 18. Pag. 312 n. 16. & ſeq. Pag. 318 n. 13. Pag. 434. n. 16. & ſeq. Pag. 449 n. 14. Pag. 462 num. 15.

128 Et primò reſpondens ad quæſtiones ſibi ab Hilario propoſitas, quarum ſecunda eſt *de Libero arbitrio*: hanc contra Pelagianos ſimul, & Manichæos ſic reſolvit, vt in arbitrio, & voluntate hominis agnoſcat libertatem, & poteſtatem, quæ vt ſufficiens ſit ad opera ſalutaria, indiget adiuvari à Deo. *Valet itaque*, ait, *liberum arbitrium ad opera bona, ſi divinitùs adiuvetur, quod fit humilitèr petendo, & faciendo.* Non ſcilicet ſuperbiendo de viribus proprijs, & maximè poſt peccatum: *Non itaque de ſuis viribus præſumat ægrotus.* Ergo quemadmodum in ægroto vires propriæ ſunt, tametsi debiles: ſi namque nullæ forent, inutilis eſſet medicina, & ſi vires ſanæ eſſent, ea non egerent, ſimilitèr in peccatore.

Epiſt. 79. Vet. Edit.

129 Unde diſertè addit: *Neque enim voluntatis arbitrium, ideò tollitur, quia iuvatur; ſed ideò iuvatur, quia non tollitur.* Ut agnoſcat Queſnellius, quod animæ poſt peccatum remanet aliquid quod non eſt impotentia, ſed imò aliquid potentiæ, quæ nimirum iavatur, & quæ adiuta poteſt facere aliquod opus bonum, nempè orare vt ampliùs iuvetur. *Deſinant ergo*, inquit, *ſic inſanire, & ad hoc ſe intelligant habere quantum poſſunt liberum arbitrium, non vt ſuperba voluntate reſpuant adiutorium, ſed vt pia voluntate invocent Dominum. Hæc enim voluntas libera, tanto erit liberior, quanto ſanior; tanto autem ſanior, quanto divinæ miſericordiæ, gratiæque ſubiectior.*

130 De quo exemplum adhibet in Davide petente, à Deo adiutorium, & ne ſibi dominetur iniquitas. *Quomodo enim*, inquit, *libera eſt cui dominatur iniquitas? Ut autem ei non dominetur, vide ab illo quid invocetur. Non* *Pſal. 118. 133.*

enim

enim ait: Itinera mea dirige ſecundum liberum arbitrium, quia non dominatur mihi omnis iniquitas: ſed itinere mea dirige ſecundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Precatur, non pollicetur; confitetur, non profitetur: optat pleniſſimam libertatem, non iactat propriam poteſtatem.

131 Rursùs. *Qui enim Deo dicit, Adiutor meus eſto, confitetur ſe velle implere quod iuſſit, ſed ab eo qui iuſſit, adiutorium poſcere vt poſſit. Sic & iſte cum ſciret neminem eſſe poſſe continentem, niſi Deus det, adijt Dominum, & deprecatus eſt: vtique volens adijt, volens deprecatus eſt, nec petiſſet niſi eſſet voluntas: ſed niſi petiſſet, quantum poſſet voluntas? Quia & ſi poſſit antequam petat, quid ei prodeſt, niſi illi agat gratias ex eo quod poteſt, à quo petendum eſt quod nondum poteſt? ... Adiuuabit autem ſi non de noſtris præſumentes .... de his quæ iam poſſumus gratias agamus, & pro iis quæ nondum poſſumus Deum ſuppliciter inhiante voluntate poſcamus, adminiculantes orationem noſtram nunc fructuoſis operibus.* Non potuit clariùs dilucidius tradi, & explicari propria poteſtas voluntatis adiutæ à Deo.

132 In Libro *de Natura, & Gratia*, agitat etiam contra Pelagianos præſens argumentum de *Libero arbitrio*, & de omnimoda poſſibilitate, aut poteſtate, quam intemeratam, robuſtam, vt à natura congenitam, & propterea nec peccato debilitatam illi attribuebant; quam ſolam, ſuppoſita gratia creationis, ſine indigentia alterius gratiæ ſupernaturalis per Chriſtum, ſufficientem ad omnia opera ſalutaria propugnabant. Quos S. Auguſtinus, eorumque rationes, multis oppugnat: non ea tamen quæ in promptu erat, & nihil quo inniterent Pelagianis relinqueret, quia ſcilicet, omnes arbitrij vires omninò, aut penitùs extinctæ fuerunt per peccatum.

133 Non inquam ita reſpondet Auguſtinus. Sed ſuppoſito quod natura per peccatum viciata ſit, & debilitata, vireſque voluntatis, & potentia arbitrij fuerint infirmatæ, ſic vt vix valeat peccator reſurgere; eo quippè modo (nam iſto vtitur exemplo) quo qui omninò à cibo abſtineret, ita debilitaretur, *vt vix* Cap. 40. *poſſet ad cibum ſumendum revocare*, ſed quamvis *vix*, tamen adiutus poſſet. ita porrò, ait, voluntas peccato ægrota, non totaliter viribus deſti-

deſtituta, poteſt non ſine adjutorio, & gratia Dei, a malo abſtinere, & ſalubriter operari. Sic nimirùm, vt nunquam concedatur Pelagio, id poſſe viribus tantum proprijs: Neque item voluntati negetur, quod id poteſt auxilijs divinis præventa, & præmunita.

135 *Nemo ei dicit*, inquit S. Auguſtinus, *ſic hominem factum, vt de iuſtitia quidem poſſet in peccatum ire, & de peccato ad iuſtitiam redire non poſſet: ſed vt in peccatum iret, ſufficit ei liberum arbitrium quo ſe ipſum vitiavit: vt autem redeat ad iuſtitiam, opus habet medico quoniam ſanus non eſt.* Hoc tamen quod nemo, neque Auguſtinus Pelagio dicit, omnibus enuntiat Queſnellius, videlicet, quod nulla eſt in homine vitiato, & vitioſo poteſtas, qua redeat ad iuſtitiam. Nos autem cum Auguſtino dicimus, conſtantérque dicemus, eſſe in eo homine poteſtatem liberam, eſſe vires arbitrij, quamvis infirmas, proptereaque indigentes gratia, quibus eius voluntas redire poteſt, vt potuit ire in peccatum: *Non quaſi ſola ſua voluntate, ſe poſſit ſanare, quia eum potuit ſola vitiare.* Cap. 23.

136 Advertendumque, quod hæc dicit Auguſtinus non adhuc de quibuslibet peccatoribus, ſed de peſſimis, obſtinatis, obcœcatiſque, quos Deus deſerit, quia dignos deſeri ſe faciunt, quoſque S. Auguſtinus deſcribit his funeſtis coloribus, quibus Queſnellius quemcumque, vel ex ſola fragilitate peccatorem, vnoque tantum peccato lethali vitiatum, depingit. De illis autem adhuc affirmat S. Doct. poſſe ſaltem hoc opus bonum facere: *Ut ideò tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Rurſus: *Quid pariant aliud, quam hæc omnia quæ commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, ſi dicto obaudiant: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.*

137 Iterùm comparans peccatorem homini ſaucio, quem Latrones ſemivivum reliquerunt, de quo ſupra, inquit: *Non ita poteſt ad iuſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit indè deſcendere. Qui etiam ſi iam in ſtabulo eſt, adhuc curatur: non igitur Deus impoſſibilia iubet, ſed in iubendo admonet, & facere quod poſſit, & petere quod non poſſit.* Num. 44. Quæ quia ſupponunt in homine ſaucio qualemcumque potentiam, reprobant hoc ipſo generalem impoten-

tiam quam illi attribuit Queſnellius.

138 Inſtat tamen Anonymus. S. Auguſtinus affirmat quod, *libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum. Ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſervus eſt. Undè ad iuſtè faciendum, liber non erit niſi à peccato liberatus.* Ita Anonymus conſuit ſeparatas Auguſtini ſententias, vt copulatæ videantur efficaciores ad ſuadendam totalem, quam ſuus Queſnellius intendit, liberi arbitrij extinctionem, & perditionem per peccatum. Enchir. 30.

139 Sed in verbis ita conſutis, ſenſus vnus occurrit, qui, quia prorſus alienus ab Auguſtino, & eo indignus, hoc ipſo cenſendum eſt, minimè id ſentire, quod Queſnellius aſſerit, vel quod Anonymus conatur ex ipſo exprimere. Si namque ob totalem perditionem liberi arbitrij per peccatum, homo ita nequaquam liber eſt, vt omninò ſervus ſit peccati, & nihil iam boni facere poſsit niſi à peccato liberatus: oporteret, quod priùs à peccato liberaretur, vt ſic reſtituta libertate, poſteà poſsit benè agere. Id quippe verba illa ſonant. Neceſſe ergo erit, vt priùs Deus ſua gratia mundet illum à peccato, quo ipſe poſteà valeat credere, orare, ſperare, ipſam etiam ſui peccati veniam. Unde hæc nunquam erit ab ipſo credenda, & ſperanda futura, ſed ſolummodò præterita. Quàm tum verò id repugnet Scripturæ, Concicilijs, Auguſtino, ac reliquis Patribus, morum etiam Diſciplinæ, Religioni, imò, & Rationi, quis non videt?

140 Ne igitur ſenſus adeo abſonus dicatur Auguſtini, perſcrutandus eſt alius in verbis eius, & ex ipſis enucleatis, eruendus, qui vt Auguſtino dignus, nequaquam ad intentum Queſnellij, & Anonymi deſervit. Ergo recolendæ ſunt tres illæ libertates, quas ſuperiùs ex S. Bernardo explicuimus; nempè libertatem naturæ, quæ eſt libertas à neceſsitate: libertatem gratiæ, quæ eſt libertas à culpa: & libertatem gloriæ, quæ eſt libertas ab omni miſeria. Quo ſuppoſito, cenſeo Auguſtinum eo loci, & prædictis verbis loqui de libertate gratiæ, & iuſtitiæ originalis, quam Adamus ſuo peccato ſibi, & poſteris omninò perdidit, quamque de gratia medicinali, & ſanante, homines ſæpè ſuis peccatis penitùs amittunt. Num. 90

141 Ut namque nihil de Gratia innocentiæ, manſit cum peccato Adæ, nihilque

de

de Gratia modo ſanctificante homines, poteſt ſimul eſſe cum peccato mortali: veriſsimumque eſt dicere, Adamum peccato illo ſuo perdidiſſe ſibi, & poſteris totam illam gratiam quam Deus ei in origine contulit, veriſsimumque eſt dicere, hominem quolibet peccato mortali amittere totam gratiam ſanctificantem: ſimiliter verum eſt, totam libertatem quæ eſt, & dicitur gratiæ, amitti per quodcumque peccatum læthale, ſive originale, ſivè perſonale. Cum enim illa ſit libertas à culpa, vbi totus homo ſit proprij criminis reus, vbi nihil illius immune eſt à culpa, nec aliquid manet gratum Deo, cui odium eſt impius, & impietas eius, conſequentèr tota libertas gratiæ amittitur, & deperditur.

142 Quod hanc perdiderit homo male vtens libero arbitrio, eſt quod probare aggredimur intendiſſe, & docuiſſe Auguſtinum teſtimonio allegato. Et primò id ſit manifeſtum ex ſino, & vero ſenſu in quo accipi debent illa vltima verba: *Liber non erit, niſi à peccato liberatus*, ſcilicet, libertate gratiæ, eo quod, cum illam per peccatum omnino perdiderit, non poteſt eam habere, non recuperata gratia per quam à peccato liberatur, quia cum nequeant ſimul eſſe peccatum, & gratia, nec poſſunt ſimul eſſe libertas gratiæ, & ſervitus peccati: Ergo in hoc ſenſu neceſſario intelligendus eſt Auguſtinus, ne in alio quem intendit Anonymus, quidquam diſſonum, & ſibi adverſum colligatur.

143 Secundò, eam dicit perditam per peccatum libertatem, quæ neceſſaria eſt, *ad iuſte faciendum*: quo loquendi modo ſignificantur opera facta in iuſtitia, & gratia, & præſertim apud Auguſtinum; nam *iuſtè facit*, qui iuſtus eſt: quod & clare indicant verba quæ addit, & quæ Anonymus prætermittens deſiderare facit ad iuſtam ſententiæ concluſionem. Ait namque. *Undè ad iuſte faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus eſſe iuſtitiæ cœperit ſervus.* Eſt itaque iuxta ipſum, libertas gratiæ, illa quæ per peccatum totaliter deperditur. *Ipſa eſt*, ſubiungit, *vera libertas propter recti facti lætitiam, ſimul & pia ſervitus propter præcepti obedientiam.*

144 Tertiò, hoc apertè ſignificat, cum paulò poſt, & eodem ſermonis contextu dicit. *Tunc ergo efficimur verè liberi, cum Deus nos fingit, ideſt, format, & creat, non*

ut homines ſimus, quod iam fecit, ſed ut boni homines ſimus, quod nunc gratia ſua facit, ut ſimus in Chriſto Ieſu nova creatura, ſecundum quod dictum eſt: Cor mundum crea in me Deus. Neque enim cor eius quantum pertinet ad naturam cordis humani, non iam creaverat Deus, ſed renovationem animæ demorantis in corde Propheta poſtulat. Cum itaque ea quæ fuit perdita, ſit libertas reparata, qua de novo liberi efficimur, ea abſque dubio eſt Auguſtino, libertas illius gratiæ, qua ſola Deus nos format, recreat, mundat, & renovat. Alia autem libertas naturæ, cum homine, & corde humano concreata, non indiget iterum creari, quia non fuit ad nihilum redacta per peccatum.

145 Id ipſum alibi S. D. expreſsit inquiens: *Sunt enim homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi, ſauciæque naturæ. Verum eſt, magnas arbitrij liberi vires, homo cum conderetur accepit, ſed peccando amiſit: in mortem lapſus eſt, infirmus factus eſt.* Vires quas homo peccando amiſit, ſunt profectò magnæ illæ vires gratiæ, quam cum liber conderetur accepit: in iſtarum mortem lapſus eſt, quia has penitùs amiſit: non ita naturales, quarum tantum inops, ſaucius, & infirmus factus eſt, quæ & propterea indigent ad opera facultatem earum excedentia, per gratiam roborari, & præmuniri.

De Verb. Ap. ſer. 11.

146 Niſi enim ita verba hæc, & alia quam plurima S. Auguſtini intelligantur, vix, aut ne vix, poterunt loca illius conciliari, ubi hominem peccato iam mortuum, iam infirmum; vireſque arbitrij omninò extinctas, & tantum debilitatas, totaliter amiſſas, & quadantenus retentas, ſæpiùs affirmat. Et inſuper omnia bene, & æquè prædicta intelligentia conſtare, perſpicuum eſt atque eam eſſe propriiſſimam teſtimonij ab Anonymo allegati, probatum eſt, & ni fallor evidenter: ut pateat quam facile ſit in re iſta de qua multa Auguſtinus, tùm contra Manichæos negantes voluntati omnem poteſtatem vitandi peccata, cùm adverſus Pelagianos ſolam illam ad idem potentiſſimam aſſerentes; eas invenire ſententias, quæ applicari poſſint, vel pro uno, vel pro alio aſſerto.

147 Neque hoc S. Auguſtino vitio vertendum eſt. Satis enim clarè loquitur volenti illum intelligere in eo ſano ſenſu, quo ſemper utrumque extremum prædictorum hæ-

hæreticorum devitat. Culpa ſola eſt eorum qui ad vnum, vel alterum inclinantes, & ſuis erroribus tantam authoritatem prætendentes, Auguſtinum, quamvis invitum, in ſuæ ſententiæ confirmationem trahunt. Ita porrò Anonymus ſenſum pro ſuo Queſnellio in ſuperiori teſtimonio ab ipſo extorquet.

148 Atque & ita alij quondam abutebantur etiam illa Apoſtoli ſententia: *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.... perficere autem bonum non invenio.* Ad quæ, & ad rem quoque noſtram, S. Auguſtinus. *His verbis videtur non rectè intelligentibus, velut auferre liberum arbitrium. Sed quomodo aufert cum dicat: Velle adiacet mihi? Certè enim ipſum velle in poteſtate eſt, quoniam adiacet nobis, ſed quod perficere bonum, non eſt in poteſtate, ad meritum pertinet originalis peccati.*

Ad Rom. 7. 17.

Lib. 1 ad Simplic. q. 1.

149 Sic illi abutebantur ſententia Pauli, ſic, & ad idem Anonymus abutitur teſtimonijs S. Auguſtini, qui nedum in locis a me hactenus allegatis, ſed in alijs innumeris, ac maximè ex libris, vbi ex inſtituto de libero arbitrio agit, quæ modo omitto, ne longior ſim, & quia in ſequentibus nonnulla adducam: ſemper ſibi conſtans, vires proprias non omninò per peccatum deperditas, ſed & poſt illud in voluntate derelictas, verbis perſpicuis fatetur, quamvis ita eas debilitatas dicat, quod ad opera ſalutaria inſufficientes ſint, niſi divina gratia roboratæ, & adiutæ. Nec ſolam, vel quamcomque ad id potentiam illi attribuit, ſed & qua poſſit velle, & conari, & orare pro vberiori gratia qua ſanetur. Quod manifeſte, & expreſſiſsimis vocibus contradicit Queſnellio generalem impotentiam ad omne opus bonum illi attribuenti, tanquam vnicè ex peccato reſiduam.

150 A quo ſenſu quam longè diſtet mens S. Auguſtini, quantum verba, & ſententia illius diſcrepent, patentiſsimè notum fiet comparanti tantummodò, cum præfixa propoſitione ſequentia verba. *Homini victo, damnato, captivo, & nec ſaltem accepta lege victori, ſed potius prævaricatori, humiliter exclamandum eſt, Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum-Chriſtum Dominum noſtrum. Hoc enim reſtat in iſta mortali vita libero arbitrio, non vt impleat homo iuſtitiam cum vo-*

Ibidem.

lue-

luerit, ſed vt ſe ſupplici pietate convertat ad eum cuius dono etiam poſſit implere. Hoc, teſte Auguſtino, manet, reſtat homini adhuc in eo miſero peccati ſtatu. Iam ergo de propoſitione Queſnellij, & de eius per Anonymum defenſione, Lector iudicium ferat.

151 Nos interea cenſere audemus, quod qui de Auguſtino dicunt, fuiſſe per ſæpe, aut interdum, iniquiorem libero arbitrio, eo quod oppugnans Pelagianos dixerit per peccatum Adæ fuiſſe amiſſum, vel quod illud perdidit homo male vtens: forſitam non nunc exceſſum illi adſcriberent, non etiam Janſeniſtis hanc de Auguſtino opinionem probarent: ſi ſerio animadvertiſſent, quod vbi ait, fuiſſe amiſſum, ſeu perditum, loquitur de libertate gratiæ, ſeu à culpa. De libertate autem naturali, ſeu à neceſsitate loquens, numquam, & nullibi affirmat illud peccato amiſſum, aut perditum, ſed dumtaxat infirmatum, vel debilitatum.

In Vindic. cap. 5 §. 4.

152 Quod accuratiùs obſervare debuit Cardinalis Noriſius, vt vindicias S. Auguſtini de hac re preſſiores faceret. Non tam enim mihi videtur illum à præfacta cenſura vindicare, quam Cenſoribus conſentire, & inſuper Janſeniſtis nova ad ſuum dogma confirmandum ex Arauſicano, & Pontificibus arma præbere. Vnumque, quod Auguſtini pro ſe loquentis teſtimonium allegat, in quo inquit: *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periiſſe non dicimus;* parum, aut nihil Cenſores tangit, nec ad redarguendam valet cenſuram, quæ non affirmat Auguſtinum ſemper, ſed per ſæpe, aut interdùm, libero arbitrio iniquiorem ſtetiſſe.

153 Oportet namque in cauſa graviſsima, & quæ vt non ſemel inſinuavi, non levis momenti, aut importunæ conſequentiæ eſt ad firmandas ſententias eiuſdem S. Auguſtini *de Gratia, & Prædeſtinatione*, quas ijdem Cenſores obſcuras, quin & inconſtantes dicunt, quaſque & Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ vt ſibi faventes confidenter allegant, oportet, inquam, ſolidiori, & ex inveſtigata mente illius eruta ſolutione, præfatæ cenſuræ occurrere: ne dùm varius circa libertatem humani arbitrij haberi permittitur, inconſtans etiam circa dogmata gratiæ conſequenter cenſeatur habendus.

Hæc

154 Hæc porrò inconvenientia, non ſane parvipendenda, noſtra vitantur expoſitione. Utque hæc a nemine poſsit iure reprobari, ſat ſit, quod cohæreat menti, & ſenſui Auguſtini: ſat inſupèr, quod ex S. Bernardi doctrina ſit deſumpta: & quod amplius eſt, quia expoſitio eſt S. Thomæ, qui cum non ſemel, aut bis, ſed tertio, ac quarto, vt in locis ad marginem notatis videri poteſt, opponat prædicta verba Auguſtini, ex Enchirid. dicentis, hominem malè vtentem libero arbitrio, iſtud perdidiſſe, cum ſemper, & conſtantèr ita exponit: *Quia quandam libertatem amiſit, quæ quidem eſt à peccato, & à miſeria.* Quin & approbat diviſionem eamdem à Magiſtro Sententiarum explicatam, & ad verba S. Auguſtini ſimiliter dicente: *Quia perdita eſt per peccatum libertas non à neceſsitate, ſed à peccato.*

1. p. q. 83. art. 1. ad 3. 2. diſt. 24. art. 1. ad 4. Et diſt. 26. art. 5. de Malo, q. 6. art. Unic. ad 23.

De verit. q. 24. ar. 4. in 6.

155 Tanta igitur authoritate, quanta eſt S. Thomæ, illaſtratur ſenſus Auguſtini in præfatis verbis; poſſemque quam plurima ab eodem Angelico Magiſtro tàm in adnotatis locis, quàm in alijs propè infinitis apertè oppugnantia præſentem Queſnellij theſim adducere, quæ relinquo Lectoribus videnda, ne Queſnelliſtæ, ex eis tanquam ex incude Scholaſtica conflata, argumenta contemnant: qui forsàm non adeo impudentiori ſupercilio excipient S. Thomam, non a ſe redarguentem ipſos, ſed tantummodò mentem S. Auguſtini exponentem.

156 Quod ſi adhuc eius interpretationi acquieſcere nolunt, ſuſtineant ſaltem ab ipſo Auguſtino, tam de propria in re iſta ſententia, quam de ipſorum circa illam errore; deque inſupèr religioſa animi ad Catholicam Eccleſiam pro illo corrigendo, debita ſubiectione, edoceri. *Librum*, inquit, *ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos Dei ſemper indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos qui cum Joviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare. Uterque tollit arbitrij libertatem. Nos verò dicimus hominem ſemper, & peccare poſſe, vt nos liberi confiteamur eſſe arbitrij. Hæc eſt fides, dilectiſsimi Fratres, quam in Catholica didicimus Eccleſia, quamque ſemper tenuimus, & tenemus, quam*

Ser. 191. de Temp.

quam credimus & à nobis deinceps poſſe teneri.

157 Hunc S. Auguſtinus pulchrum ſermoni impoſuit colophonem de ſua ſententia circa liberum arbitrium, de ſua in ea conſtantia, de ſua fide hauſta ab Eccleſia Catholica, vt congruus iſte finis, apte, & diſerte reſponderet eiuſdem ſermonis principio, cuius nec verba omittam, vt & eis ad Queſnelliſtas, ac ſi liceat (& cur non liceat?) Ad nonnullos etiam loquar Galliarum Epiſcopos, *In tantum autem nunc inſurrexerunt contra fidem, ita vt multos ex nobis polluerint, & aures noſtras commoverint, vt animas laniarent. Scelerata autem hæreſi ſua perfidiam tegunt .... & ideo indeficiens nobis eſt oratio dilectiſſimi Fratres. Primo, vt Sancta Domini, & Catholica Eccleſia diſſenſionibus omnibus, & hæreticis carens, vnitatem ſpiritus in vinculo charitatis vbique conſervet, quam per fidem rectam, & vitam immaculatam tenere, amplecti, ſervare, cuſtodire, omnibus invocantibus Dominum, eſt quidem iuſtum; præcipuè Epiſcopis qui Eccleſiis præſunt. Secundo, vt Eccleſiæ regula, ſanctaque Patrum traditio, atque iudicia in perpetuum firma, ſolidaque permaneant.*

XXXIX. PROPOS. COND.

Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis niſi ad aberrandum, ardoris niſi ad ſe præcipitandum: Virium niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

Math. 10 30. *La volontè que la grace ne previent point, n' à de lumiere que pour s' egarer, d' ardeur que pour ſe precipiter, de force que pour ſe bleſſer, capable de tout mal, impuiſſante à tout bien.*

REFLEXIONES ANONYMI.

V*Oluntas levis, & inconſtans eſt* (proſequitur P. Queſnellius) *cum non ducitur, & dirigitur per voluntatem æternam: quanto magis illa feſtinat, aut conatur operari, tanto magis deficit, & peccat.* Hoc eſt exſcribere tranſlata ex Authore Tractatus *de Vocatione Gentium*, verba quæ infra allegantur ſub XLVIII. propoſitione.

Omnes iſtæ propoſitiones nihil aliud enuntiant, niſi quod Eccleſia canit ad Spiritum S. *Sine tuo Numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.* Et alibi: *Deus ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum.* In Pontificali Romano, in Subdiaconorum Ordinatione, hæc illis Epiſcopus dicit. *Eſtote in vera Catholica fide fundati, quoniam ut ait Apoſtolus Quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Debueratne P. Queſnellius alio, & non iſto Eccleſiæ, & Patrum ſermone, uti ad inſtructionem, ædificationemque fidelium?

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Cap. 8. AUTHOR Tractatus de Vocatione Gentium adſcripti S. Leoni. *Quod in natura perijt, non reſtituitur niſi ab Authore Naturæ .... qui ſi non operatur in nobis, nullius poſſumus participes eſſe virtutis. Sine hoc quippè bono, nihil eſt bonum, ſine hac luce, nihil lucidum, ſine hac ſapientia, nihil ſanum, ſine hac iuſtitia, nihil rectum .... homo namque mortalis, damnata in Adam origine carnalitèr natus, ad ſpiritalem novi generis dignitatem, niſi Spiritu Sancto regente, non pervenit. Sed nec vllo hanc deſiderio appetit, qui calorem ſui deſiderij non accepit, de quo dicit Dominus. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat? Ignis autem iſte dilectio eſt Dei quam amator mundi non poteſt captivo corde comprehendere, &c.*

ANIMADVERSIONES.

1 AC ſi non ſatis in præcedenti propoſitione oſtendiſſet Queſnellius liberum arbitrium poſt peccatum totalitèr egenum, & nedum morali, ſed phyſica impotentia ad quidquam boni agendum laborans: ne quiſquam quamtumvis nominis illius ſtudioſus, valeat, improba etiam benignitate, ipſum in aliquo bono ſenſu accipere, iterùm in hac propoſitione tam perſpicuis verbis eam impotentiam attribuit voluntati, vt penitùs ad bona, vel vera adhuc videnda, extinctum dicat lumen ipſum rationis, quod à Conditore ſuper nos ſignatum, tota hominis dignitas naturalis eſt, & humani arbitrij, tanta, & congenita perfectio, vt per illud maximè homo dicatur à S. Bernardo, *Nobilis Deo creatura.* Sed iam per Queſnellium, adeo tenebroſum ex quocumque peccato mortali redditur, vt nullam aliam perferre valeat miſeræ voluntati lucem, niſi ad aberrandum, ad ſe præcipitandum, ad ſe vulnerandum, nempè: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

2 Quamobrèm fallitur Hilarius Diaconus dicens, quod

In Epiſt. ad Rom. 5.

quod in ipſis Gentilibus, *Nec lex naturalis penitus obtorpuerat.* Deſipit & S. Auguſtinus, qui ſolummodò de peccatore perditiſsimo Deum penitus deſerente, & propterea merito deſerto à Deo, dicit eſſe.

De nat. & grat. cap. 22.

Prævaricatorem legis, quem dignè lux deſerat veritatis. Quâ deſertus utique fit cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat .... Utique iſta obſcuratio vindicta, & pœna iam fuit: & tamen per hanc pœnam, ideſt per cordis cæcitatem quæ fit deſerente luce ſapientiæ, in plura, & gravia peccata collapſi ſunt. An nè Queſnellio placet, aut licet, obſtinatiſsimis his peccatoribus, & quorum ingentia crimina Deus permiſſione aliorum peccatorum juſtiſsimè punit, comparare qui tenuiter, vel ex infirmitate, & vel uno peccato cadentem?

3 Solus itaque ipſe ſapit, qui docet, totum rationis lumen penitus depravatum in cunctis hominibus, neque tantum ex malitia, & pluries, ſed & aliquandò, aut ſemèl, & ex infirmitate peccantibus. Nam quolibet peccato mortali, ſic ait depravatam præſtantiorem illam humanæ animæ portionem, ut nullum illi lumen, niſi ad aberrandum relinquatur, nullæ prorſus ſint vires in voluntate carente omninò lumine rationali, niſi tantum ad aſſentiendum tenebroſis flagitiorum obiectis, inter quæ ſolummodò libera illi remanet electio. At contra, S. Auguſtinus, etiam de peccatore impijſsimo, & juſto iudicio Dei obdurato, excæcatoque malitia ſua, etiam ſi ſupra indurationem, Diaboli ſuggeſtio accedat, inquit: *Quamvis ne ab ipſo quidem ſi negaret aſſenſum, potuit tentatore compelli.*

Lib. 4. de Prædeſt. & Grat.

4 Item alibi exponens induratiónem Pharaonis, docet Deum expectare peccatorem, *Qui ſemel, ſecundò, ac tertiò, & gravia peccata commiſerit, ut convertatur, & vivat.*

De Temp. Serm. 1. poſt. 2. Dominic. Quad.

Fruſtranea prorſus foret in Deo expectatio, ſi ille nihil luminis niſi ad aberrandum haberet. *Cum vero, ait, in peccatis ſuis cœperit permanere, de multitudine peccatorum naſcitur deſperatio, ex deſperatione obduratio generatur.* Non ergo ad quodlibet peccatum ſequitur totalis obduratio, excæcatio, & impotentia. Quapropter cum Pharao induratus, poſt decem plagas, populum abire permiſit, id quod tunc compulſus fecit, potuit ſanè antea poſt pri-

mam plagam liberè facere. *Quod enim decem plagis percuſſus feciſſe legitur, poſt primam caſtigationem implere potuiſſe cognoſcitur.* Non ergo tunc lumen tantùm ad aberrandum, aut vires duntaxat ad ſe vulnerandum habebat.

5 Hinc ex periculo Pharaonis ſequens à nobis ſummendum, S. Auguſtinus dat documentum, quod alias abominatur Queſnellius, & qui nolunt lapſum in peccato, ſtatìm reconciliari, & quantocyus ad pœnitentiam admitti, fortè, vt in deſideratam ab eis obdurationem præcipitetur. *Nos vero*, inquit *Fratres charissimi, qui in veritate agnoſcimus, quod ex multitudine peccatorum deſperatio naſcitur, & ex deſperatione obduratio generatur .... quoties nobis aliqua peccata ſurrepſerint, ſine vlla mora medicamentum eleemoſynæ, & pœnitentiæ feſtinemus animarum noſtrarum vulneribus providere. Vtilitèr enim malagma, vel fibula calidis adhuc vulneribus apponitur, & cito ad ſanitatem vulnus reducitur, quod putreſcere longa abuſione non ſinitur.*

Vid. Propoſ. de Diſciplin. pænit. Pag. 61.

6 Cui poſt vnum peccatum læthale non ſuppetunt vires niſi ad ſe vulnerandum, iniquè, imò & malignè, hoc conſilium daretur, vt vulnus peccati protinùs curaret, quod perinde eſſet ac conſulere, vt ibi ſuperadderet vulnera; niſi dicas nova vulnera, vulneris inflicti medicinam eſſe. Et qui nullum poſt peccatum lumen niſi ad aberrandum habet, quomodo agnoſcere poterit vulnus cui mederi tenetur? Hanc porrò a lumine ipſo rationis cognitionem habere qui peccant, ſat apertè contra ſuperiorem propoſitionem oſtendimus ex Scriptura, & ex PP. maximè ex SS. Cypriano, & Ambroſio. Quam abſdubio habuit peccator ille qui dicebat: *Iniquitatem meam ego cognoſco.* Ad quæ S. Auguſtinus: *Tu agnoſce, & Deus ignoſcet. Nam quo pacto Deus dignet ignoſcere, quod in ſe homo dedignatur agnoſcere?*

Pag. 54. num. 41. 42. 48. & 50.

Pſal. 50.

Vbi ſup.

7 Forsàn opponet Queſnellius, aut pro ipſo Anonymus. Prius eſt vulneri mederi, quàm quod homo ea præſertim parte, in qua vulnus accepit, poſſit quidquam rectum agere. Cum autem homo per peccatum acceperit in lumine rationis, ſeu intellectu, vulnus ignorantiæ, niſi divina præveniatur gratia, quæ vnicè potentiſſimum remedium tantæ plagæ eſt, non poteſt eo lumine obtenebrato,

to, niſi ſemper aberrare, ſeque iterum præcipitare, & vulnerare.

8 Unde manifeſtum fit qualem deliberant Queſnellius, & ſocij, Gratiam ad præſentaneum tantæ calamitatis remedium; nimirum quæ medicinalis, & luminoſa ſit, quæ lucens in caliginoſo loco, & ſimul ardore charitatis inflammata, tenebras peccati diſpellat, Uno verbo, *Fidem*, nam iuxta ipſum: *Fides iuſtificat quando operatur, & non niſi per charitatem operatur*: cohærenter omninò cum ſui Janſenij doctrina proprijs expreſſa verbis ſupra allegatis. Quod adverſa fronte pugnare cum Scriptura, Concilijs, & Patribus, ſat in ſuperioribus oſtendimus, & iterum agentes de *Gratia* demonſtrandum erit.

Pag. 442

Pag. 531 num. 15.

9 Attamen quia è re præſenti eſt evincere, non ita omninò relinqui ex peccato obcæcatum intellectum, & lumen rationis extinctum, quod ſine gratia præveniente, non valeat niſi ad aberrandum, nullaſque vires habeat niſi ad ſe vulnerandum, nullum ardorem niſi ad ſe præcipitandum: id per quam falſum, & erroneum eſſe, oſtendam ex SS. PP. quod alias Theologi Scholaſtici agentes de *Gratia* locupletiſsimis diſputationibus diſquirunt; & quamvis diverſis ſententijs, omnes unanimiter, & Catholicè in eo conveniunt, quod lumen rationis non eſt impotens, aut inſufficiens defectu virium contracto ex vulnere ignorantiæ, ad cognoſcendas aliquas veritates naturales, ſeu ſpeculativas, ſeu practicas.

10 In qua re, quia modo Theologum non Scholaſticum ago, ita me geram, ut ſupra etiam feci, quod praſcindens à diverſis opinionibus exigentium auxilium ſpeciale ordinis naturæ, vel ad cognitiones omnes, ſeu ſpeculativas, ſeu practicas; vel tantum ad illas: aut ex his, vel ad ſingulas diviſim, vel ad omnes collectivè: & inſuper ex ſingulis, an tantum ad diuturniores cogitatu, ſit auxilium ſpeciale neceſſarium; an generatim, & abſolutè, ad nullas? Ab his inquam ſuperſedeo ſententijs, quas omnes tanquam probabiles modò approbo: cum illarum Patroni conformiter ſupponant, nullam prædicti auxilij ſpecialis neceſsitatem eſſe, ex defectu totali virium intellectus, & luminis rationis per peccatum inducto.

Pag. 550 num. 70. & ſeq.

11 Ea quippe olim fuit exiſtimatio quorumdam, quos S. Thomas innominatos allegat, ut dicerent, intellectum

In 2. diſt. 28. q. 1. art. 5.

agen-

mam plagam liberè facere. *Quod enim decem plagis percuſſus feciſſe legitur, poſt primam caſtigationem implere potuiſſe cognoſcitur.* Non ergo tunc lumen tantùm ad aberrandum, aut vires dumtaxat ad ſe vulnerandum habebat.

5 Hinc ex periculo Pharaonis ſequens à nobis ſumendum, S. Auguſtinus dat documentum, quod alias abominatur Queſnellius, & qui nolunt lapſum in peccato, ſtatim reconciliari, & quantocyus ad pœnitentiam admitti, forte, vt in deſideratam ab eis obdurationem præcipitetur. *Nos vero,* inquit *Fratres chariſsimi, qui in veritate agnoſcimus, quod ex multitudine peccatorum deſperatio naſcitur, & ex deſperatione obduratio generatur .... quoties nobis aliqua peccata ſurrepſerint, ſine vlla mora medicamentum eleemoſynæ, & pœnitentiæ feſtinemus animarum noſtrarum vulneribus providere. Utilitèr enim malagma, vel fibula calidis adhuc vulneribus apponitur, & cito ad ſanitatem vulnus reducitur, quod putreſcere longa abuſione non ſinitur.*

Vid. Propoſ. de Diſciplin. pœnit. Pag. 61.

6 Cui poſt vnum peccatum læthale non ſuppetunt vires niſi ad ſe vulnerandum, inaniter, imò & malignè, hoc conſilium daretur, vt vulnus peccati proximis curaret, quod perinde eſſet ac conſulere, vt ſibi ſuperadderet vulnera, niſi dicas nova vulnera, vulneris inflicti medicinam eſſe. Et qui nullum poſt peccatum lumen niſi ad aberrandum habet, quomodo agnoſcere poterit vulnus cui mederi tenetur? Hanc porrò a lumine ipſo rationis cognitionem habere qui peccant, ſat aperte contra ſuperiorem propoſitionem oſtendimus ex Scriptura, & ex PP. maximè ex SS. Cypriano, & Ambroſio. Quam abſdubio habuit peccator ille qui dicebat: *Iniquitatem meam ego cognoſco.* Ad quæ S. Auguſtinus: *Tu agnoſce, & Deus ignoſcet. Nam quo pacto Deus ignoſcet, ei ignoſcere, quod in ſe homo dedignatur agnoſcere?*

Pag. 141. num. 42. 43. 48. & 50.

Pſal. 50.

Vbi ſup.

7 Forsàn opponet Queſnelius, aut pro ipſo Anonymus. Priùs eſt vulneri mederi, quam quod homo ea præſertim parte, in qua vulnus accepit, poſſit quidquam rectum agere. Cum autem homo per peccatum acceperit in lumine rationis, ſeu intellectu, vulnus ignorantiæ, niſi divina præveniatur gratia, quæ vnicè potentiſsimum remedium tantæ plagæ eſt, non poteſt eo lumine obtenebra-

to, niſi ſemper aberrare, ſeque iterùm præcipitare, & vulnerare.

8 Unde manifeſtum fit qualem deſiderant Queſnellius, & Socij, Gratiam ad præſentatem tantæ calamitatis remedium; nimirum quæ medicinalis, & luminoſa ſit, quæ lucens in caliginoſo loco, & ſimul ardore charitatis inflammata, tenebras peccati diſpellat, Vno verbo, *Fidem*, nam iuxta ipſum: *Fides noſtra tunc quando operatur, & non niſi per charitatem operatur*: coherenter omninò cum ſui Janſenij doctrina proprijs expreſſa verbis ſupra allegatis. Quod adverſa fronte pugnare cum Scriptura, Concilijs, & Patribus, ſic in ſuperioribus oſtendimus, & iterum agentes de *Gratia* demonſtrandum erit. Pag. 442 Pag. 531 num. 15.

9 Attamen quia è re præſenti eſt evincere, non ita omninò relinqui ex peccato obcæcatum intellectum, & lumen rationis extinctum, quod ſine gratia præveniente, non valeat niſi ad aberrandum, nullaſque vires habeat niſi ad ſe vulnerandum, nullum ardorem niſi ad ſe præcipitandum: id per quam falſum, & erroneum eſſe, oſtendam ex SS. PP. quod alias Theologi Scholaſtici agentes de *Gratia* locupletiſsimis diſputationibus diſquirunt; & quamvis diverſis ſententijs, omnes vnanimiter, & Catholicè in eo conveniunt, quod lumen rationis non eſt impotens, aut inſufficiens defectu virium contracto ex vulnere ignorantiæ, ad cognoſcendas aliquas veritates naturales, ſeu ſpeculativas, ſeu practicas.

10 In qua re, quia modo Theologum non Scholaſticum ago, ita me geram, vt ſupra etiam feci, quod præſcindens à diverſis opinionibus exigentium auxilium ſpeciale ordinis naturæ, vel ad cognitiones omnes, ſeu ſpeculativas, ſeu practicas; vel tantum ad illas: aut ex his, vel ad ſingulas diviſim, vel ad omnes collectivè, & inſuper ex ſingulis, an tantum ad difficiliores cognita, ſit auxilium ſpeciale neceſſarium; an generatim, & abſolutè, ad nullas? Ab his inquam ſuperſedeo ſententijs, quas omnes tanquam probabiles modo approbo: cum illarum Patroni conformiter ſupponant, nullam prædicti auxilij ſpecialis neceſsitatem eſſe, ex defectu totali virium intellectus, & luminis rationis per peccatum inducto. Pag. 510 num. 70. & ſeq.

11 Ea quippè olim fuit exiſtimatio quorundam, quos S. Thomas inominatos allegat, vt dicerent, intellectum In 2. diſt. 28. q. 1. art. 5.

agen-

agentem eſſe unum omnium, nempè Deum, è quo neceſſe eſt, quod deſcendat gratia gratis data, tanquam radius è lucido emiſſus, vt fiant intelligibiles veritates cognoſcendæ. Quam poſitionem refellit S. Thomas, tum quia error eſt ille unius intellectus omnium: tum quia impertinens, illa multiplex, & ſucceſsiva luminis emanatio, quia una fixa, & permanens ſufficiens eſt. Cum eiuſmodi fuerit hæc opinio, acquieſcere nequeo his qui dicunt S. Thomam in ea anticipatò refutaſſe errorem Janſenij, & Queſnellij: quoniam manifeſtum ex dictis eſt, prædictam poſitionem, in qua nihil de homine lapſo, ex alijs capitibus erroneam eſſe, ex quibus eam reprobat S. Thomas.

12 Quamvis autem per hæc non refellat Queſnellianam theſim, illi nihilominùs patenter adverſatur, dum inquirens ibidem, *Utrum homo poſsit ſcire aliquid verum ſine gratia?* Ita definit quæſtionem de veris naturalibus, quæ concludi poſſunt ex primis *Ibi in corp.* principijs per ſe notis: *Dicendum, quod hæc vera, ſine omni lumine gratiæ ſuperaddito, per lumen naturale intellectus agentis cognoſci poſſunt.* Item, eo ad id argumento utitur, quod poſtea Theologi ad idem inducunt efficaciſsime urgentes, videlicet, *Damaſcenus dicit, quod nulla res* *6. Sed. cont.* *deſtituatur propria operatione, ſed intelligere verum, eſt propria operatio intellectus: Ergo ſine omni gratia ſuperaddita, veri cognitionem habere poteſt.* Nota expreſsiones illas, *Sine omni lumine. Sine omni gratia.*

13 Damaſcenus namque ab ipſo laudatus, congenitas rebus omnibus dicit potentias, ſeu facultates, atque his ſuas actiones naturales, ſeu vitales, ita vt neque illis, neque iſtis carere poſsint. *Neque enim fieri poteſt, vt res ulla actionis naturalis expers ſit. Actio rurſus eſt vis ea, qua cuiuſque rei natura declaratur.* *Lib. 2. de Fide, cap. 23.* Naturæque humanæ, & rationalis, propria potentia, qua alias naturas excedit, eſt intellectus, ſeu lumen rationis, nobiliſsimaque illius actio, eſt intellectio: *Actio eſt naturalis, ac prima perpetuo motu prædita intellectualis animæ facultas, hoc eſt perennis ipſius ratio.* Cujus actio naturalis, vitalis voluntaria, & libera eſt: *Porrò prima, ac ſola, veraque naturæ actio, eſt voluntaria, ſive naturalis, arbitrique libertate prædita vita, quæque ſpeciem noſtram conſtituit.*

14 Ex his validum fit ar-

argumentum pro libertate arbitrij humani nunquam deperdita, nunquam totaliter extincto lumine rationis. Nam ſi his omninò deſtitueretur homo, non iam tantum comparandus foret iumentis inſipientibus, ſed peior, aut deterioris conditionis quam illa, imò & quam inanimata redderetur; quoniam iſta numquam privantur facultatibus, & motibus proprijs ſuarum naturarum, quibus poſſunt immutari, & re ipſa immutantur.

15 Homo autem quamvis ſimiliter mutationi obnoxius, non poſſet nobiliori, & perfecta ſuæ naturæ mutatione per electionem immutari. *Et quidem ea*, inquit Damaſcenus, *quæ anima carent, itemque bruta animantia, juxta corporeos eos quos antea commemoravimus modos immutantur: quæ autem ratione prædita ſunt, electionis ratione.* Ex quo concludit: *Quod cum ita ſe habeat, arbitrij libertas rationi adnexa ſit, neceſſe eſt. Aut enim rationis particeps homo non erit, aut ſi ratione præditus ſis, penès eum quoque actionum arbitrium, ac poteſtas futura eſt.* Ibid. cap. 27.

16 Nec quia homo ob peccatum meretur privari ſuæ naturæ perfectione, dicendum, eſt reapsè privatum eſſe: nam etiam annichilari meretur, nec tamen ad nihilum reipſa redactus eſt: quia videlicèt clementiſsima Dei bonitas, non condignè, ſed ſemper infra, peccatorem punit, Qui & ſi pluries multiplicet peccata, eaque graviſſima, adhuc, ait S. Thomas: *Impoſsibile eſt, quod per peccatum tollatur totaliter bonum naturæ, quod eſt aptitudo, vel habilitas ad gratiam, propriæ creaturæ rationalis.* De Malo, q. 2. art. 12.

17 Cum autem bonum potiſsimum quod a ſuo Conditore habet homo ſupra alias creaturas ipſo inferiores, ſit lumen rationis, quo ipſe naturam ducit, & quo carentes aliæ creaturæ, a natura ducuntur; niſi totalitèr naturam mutet, quod per peccatum non fit, alioqui poſt unum peccatum non amplius peccaret, nec peccare poſſet: manifeſtum eſt, quod nec lumen illud peccato ſic extinguit, ut tantummodò potens ſit ad aberrandum, & ſe præcipitandum: quamvis aliàs verum ſit quod per peccatum, tanquam obſtaculo interpoſito, lumen obnubilat, bonumque tantum ſuæ naturæ diminuit, eamque vulneribus pravæ inclinationis, malitiæ, & ignorantiæ ſauciat: ut diſertè etiam docet S. Thomas. Art. 12.

Quod

18 Quod verò attinet ad vulnus ignorantiæ ex peccato inflictum, non adeò, neque in quocumque peccante mortaliter tale eſt, quod reddat ita obtenebratum lumen, & obcœcatum omninò hominem, ut non niſi ad deinceps ſe vulnerandum valeat. Id quippe ſolummodò dici, ac verum eſſe poteſt, de flagitioſiſſimis, & obſtinatiſſimis peccatoribus, & quos malitia ſua obcœcavit, de quibus ſupra S. Auguſtinus: a quibus oportet diſcernere alios ex infirmitate, aut paſsione, & ſemèl, ſeu interdum tantum peccantes, ne cum pares in excœcatione omnes Queſnellius facit, æqualia in ipſis peccata, paresque in pœnis cogatur fateri, contra expreſſam illam divinam Sententiam: *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

Apoc. cap. 18. 7.

19 Et quidem, de peccantibus ex infirmitate, aut paſsione, dilucida eſt, & manifeſtè adverſa Queſnellio, doctrina S. Thomæ ſuſtinentis poſſe hominem *Scientem, ex infirmitate peccare*: ſcientem nempe ratione, quæ inquit: *Eſt regitiva omnium interiorum affectionum.* V. g. ira, vel timore, vel concupiſcentia, vel alia paſsione. Tunc enim, & plerumque cum affectio non eſt moderata per regimen rationis, homo ex infirmitate peccat. Habens nimirum ſcientiam ſpeculativam, & in univerſali de eo, quod iſtæ immoderatæ affectiones peccata ſunt, & vitandæ, quam ſcientiam paſſio intangens impedit ne applicetur ad praxim, & uſum, cum ipſa reſidens in appetitu ſenſitivo, & particularia reſpiciens, fortiùs movet ad particulare exequendum, atque ita motum contrarium ſcientiæ repellit, rationem ligans, & ſic homo tunc ſciens ex infirmitate peccat.

Quæſt. 3. de Malo, art. 9.

20 Hanc doctrinam S. Thomæ quam quiſque in ſemetipſo veram experiri poteſt, Queſnellius ſua propoſitione improbat: quia ſi homini poſt peccatum non remanet lumen rationis quo regatur, niſi penitus obtenebratum, non poterit unquam ſciens peccare: imò neque poſt unum peccatum per quod amiſit gratiam, quæ juxta Janſenium, & Queſnellium præveniendus erat, poterit deinceps ex infirmitate peccare. Miranda prorsùs doctrina, quæ hominem ex nimia infirmitate, minimè infirmum prædicat.

21 Nec minùs illa adverſatur Scripturæ, & Patribus, qui exponentes illud: *Fa-*

1. Geneſ. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, vnanimi conſenſione docent, per id ſignificari lumen rationis, cuius principatu homo, Dei imaginem maximè præfert, & Deo, præ omnibus alijs creaturis, aſſimilatur, quia ita fuit illi divino ſpiraculo impreſſum, & ſignatum ſuper nos lumen, quod quamvis per peccatum fœdari, & obnubilari poſſit, non tamen penitùs aboleri.

22 S. Chryſoſtomus: *Imaginem dicit, ad principatus rationem.* Ex quo tantam poteſtatem agnoſcit in hominis voluntate, vt addat: Hom. 9. in 1. Geneſ. *Animæ vero tuæ Ratio conceſſa eſt, & Dei timor, & alia vndequaque adminicula: ne igitur prætextus, & cauſationes affer: potes enim ſi vis, manſuetus eſſe, & placidus, & æquus.* At Queſnellius prætextum quod afferat, habet, quia, ſcilicet, per peccatum totum illud lumen rationis dirigentis extinctam eſt, totus principatus deperditus. Sed contra Chryſoſtomus, non ita illud totaliter amiſſum dicit, quamvis omnem libertatem gratiæ, & eius dignitatem amiſſerimus. *Ubi autem*, inquit, *per inobedientiam, libertatem, & dignitatem noſtram amiſimus, etiam principatus noſter mutilatus eſt.* Nimirùm, nolente Deo ob ſuam bonitatem, totale crimen, totali pœna punire. *Conſidera quomodo Adam totum mandatum ſubverterit, & totam legem tranſgreſſus ſit: miſericors autem Deus bonitate ſua, noſtra vincens delicta, non omnem honorem abſtulerit, neque toto deiecerit principatu.*

23 S. Ambroſius dicit eſſe à Deo impreſſum nobis lumen rationis, in quo & ſtat opinio boni, & mali, eſſe inſitam omnibus legem naturalem, de qua Apoſtolus: *Gentes quæ legem non habent, naturalitèr ea quæ legis ſunt faciunt.* Ad Rom. 2. 14. Quo etiam apertè liquet, lumen hoc in peccatore ad aliquid bonum naturæ valere, & non tantum ad aberrandum. Illud inſupèr per peccatum non omnino extinctam, vel ita obtenebratum, vt voluntatem impotentem ſe applicare ad pœnitentiam faciat, his etiam verbis docet Ambroſius: *Cum Deus noſter miſericors reſpuendi erroris remedium reſeruauerit, abolendique omnis contagij, non aboleverit facultatem.* Libr. de Paradiſo, cap. 8.

24 De ſententia S. Auguſtini, nec leviter poteſt dubitare, qui ipſam audierit eam data opera ſupra explicantem. Et ſi plura adhuc deſi-

Eeee

Ad præcid. Prop. n. 103. deſiderantur, aptiſſima ſunt omnia quæ habet in Libris de Libero arbitrio, ſtatuens paſſim, neque illud manſiſſe per peccatum deperditum, quamvis ſit debilitatum, nec lumen rationis quo regitur, fuiſſe extinctum, quamvis obnubilatum, vnde voluntas ſemper ipſi libera eſt ad eligendum quod voluerit. *Quid autem*, inquit, *quiſque ſectandum, & amplectendum eligat, in voluntate eſſe poſitum conſtitit: nullaque re de arce dominandi, rectoque ordine, mentem deponi, niſi voluntate.* Libr. 1. cap. 16.

25 Et quamvis peccato ſuo Adam, vt ſeductus, factus fuerit ſtultus, vnde & omnes noxam ex illo trahentes, ſimul conſecutam pœnam ignorantiæ cauſantis errores, & difficultatem, aut, ſi mavis, moralem impotentiam ad benè agendum, trahamus: *Nam ſunt*, ait, *revera omni peccanti animæ, duo iſta pœnalia ignorantia, & difficultas: ex ignorantia dehoneſtat error, ex difficultate cruciatus affligit.* Non autem ea ignorantia fuit totaliter extinctum rationis lumen; neque ea difficultas, eſt omnimoda virium impoſsibilitas. *Nulli enim homini ablatum eſt ſcire vtilitèr, quod inutilitèr ignoratur, & humilitèr confitendam eſſe imbecillitatem, vt quærenti, & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dum ſubvenit, nec laborat.* Libr. 3. cap. 18. & 19.

26 Fuit, fateor, pœna peccati ignorantia, taliſque & tanta, vt homo comparetur iumentis inſipientibus, qua & ſe ipſum, cum peccat, ignorat. Ita S. Gregor. Magnus: *Quanta peregrinationi noſtræ pœna nos perculit, qui in eam cæcitatem venimus, vt nos ipſos ignoremus. Perpetramus mala, nec tamen hæc celeriùs deprehendimus, vel perpetrata. Excluſa quippè mens à luce veritatis, nil in ſe niſi tenebras invenit.* Sed ne propterea quis cum Queſnellio cenſeat, hominem omninò cæcum manere, aut S. Gregorium id ſentire, ſcire oportet, quod lumen cuius amiſſione cæcus factus eſt, lumen illud fuit innocentiæ, & perfectum, quod ante peccatum habebat: non lumen naturale rationis, quo adhuc poſt peccatum, id ſaltem videt quod iam illo alio lumine non videt, quod illo privatus, cæcus & ignorans factus eſt; *non enim illi ablatum eſt id vtilitèr ſcire*, nempe iuxta illud: *Memento vnde excideris*, vt ipſam ſuam cæcitatem perhorreſcat. Moral. lib. 11. cap. 42. & 8.

27 Ita expreſsè S. Gregorius ibi: *Humanum genus contemplationem lucis intimæ ha-* Ibid. 593

habuit in Paradyſo, ſed ſibimetipſi placens, quo à ſe receſſit, lumen Conditoris perdidit .... ſed ecce poſt culpam, venit in pœnam: ex pœna autem ad amorem reddit, quia quis fuerit culpæ fructus invenit: atque illam faciem quam timuit in culpa, excitatus requirit ex pœna; ut iam caliginem cæcitatis ſuæ fugiat, atque hoc ipſum quod Authorem ſuum non videt, graviter perhorreſcat. Ergo ad hoc, lumen aliquod poſt peccatum animæ manet, quo ſaltèm videat, ſe non iam videre, ſe perdidiſſe nobilius aliud lumen: qua pœna excitatus, culpam perhorreſcat, & cœcitatem fugiat. Non itaque illi tantum reſiduum eſt lumen ad aberrandum, & ad ſe præcipitandum.

28 Quin niſi ipſe Queſnellius ſupponat in peccatore lumen, quo non tantum vtatur ad aberrandum, ſed etiam ad ſe videndum lumine gratiæ privatum; neſcio plane ad quid tam ſtudiosè illius cœcitatem prædicat? An ne id facit, vt peccator ſciat, ſe ſat luminis habere ad aberrandum, nihilque ad rectè agendum, ac ſi & hoc ignorare poſſet? Et hoc, bone Deus! dignum reflexionum moralium opus, & negotium eſt? Oporteret potiùs peccatorem hortari, vt illuſtrationibus, quibus Deus eius obtenebratam mentem continuò excitat (nemini enim, neque vnquam deeſt hæc ſua luminoſa gratia præveniens) ſinat ſuum proprium lumen roborari, & adiuvari; vt ſaltèm ſciat vtilitèr ſe tenebris peccatorum obſcuratum, & exinde tantam caliginem perhorreſcat. *Lumen quippè Dei eſt gratia præveniens. Quæ ſi in noſtro corde nequaquam gratuito conſurgeret, profectò mens noſtra in peccatorum ſuorum tenebris obſcura remaneret.* Inquit alibi S. Gregorius. *Lib. 17. Moral. cap. 14.*

29 Queſnellius autem videtur ſupponere Deum non ſemper prævenire hac ſua gratia voluntatem humanam, dum ait: *Voluntas quam gratia non prævenit.* Cum namque tantum agnoſcat gratiam illam Janſenianam, quæ aliquibus, etiam iuſtis, etiamque conantibus, & volentibus, interdum deeſt; propterea non ſemper ipſi eſt voluntas humana, præſertim in peccatore, præventa à Deo, nec lumen rationis ab ipſo illuſtratum: nec conſequentèr Deus ſeriò ſemper vult, vt omnes convertantur, & vivant; ſed illi tantum quos prævenit ea ineluctabili gratia,

 tia,

tia, qua determinatè, & neceſſariò convertuntur, vivuntque.

30 Reliqui autem omnes hac gratia deſtituti, ſine ulla prorsùs neque inter ipſos, neque ſuorum peccatorum diſcretione, æqualiter manent obcæcati, & indurati, vt æquè lumine rationis privati, & nulla alia deſuper illuſtratione præventi. Qui dum volunt, & conantur è tenebris emergere; neque ita volentes, & conantes, bonum aliquod agunt, quinimò peccant: neque Deus, facientibus quod in ſe ipſis eſt, ſinit in cordibus eorum lumen ſuæ gratiæ conſurgere. Porrò, ſat erat audire tot, taliaque impia dogmata planè à Queſnelio aſſerta, vt horrore ſuæ impietatis, & in Deum blaſphemiæ, refutata haberentur.

31 Tanta verò eſt animi ſemel immoderato ſtudio abalienati contumacia, vt hæc quæ inexplicabili ſcelere ſanctiſsimam Dei Clementiam, Religionem, & bonos mores pervertunt; audet ſuſtinere, quin & tanquam pijſsima documenta Eccleſiæ, & Doctoribus ſuis accepta, commendare, Anonymus. Nec pudet ipſum id iterum approbare ex contextu Queſnellij dicentis *Quanto magis voluntas, dum non ducitur immutabili voluntate Dei, conatur operari, tanto magis deficit, & peccat;* ac ſi huiuſmodi conatus haberi poſsint Deo illos non excitante, qui peccatori dicit: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo*: vel ac ſi à Deo excitati adhuc forent invisi voluntati clamantis: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Apoc. 20.

32 Eoque audacia Anonymi procedit, vt dicat Queſnellium non alio in ijs ſermone uti, niſi quo vtitur Eccleſia cum Spiritui S. dicit: *Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium*. Et, *Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum*. Eoque etiam quo vtitur Epiſcopus in Subdiaconorum ordinatione dicens *Eſtote fundati in vera, & Catholica fide, quoniam, vt ait Apoſtolus: Quod non eſt ex fide peccatum eſt*. Inſuper, affert Anonymus in confirmationem, verba alia Authoris tractatus *de Vocatione Gentium*, cuius adhùc aliud teſtimonium ab ipſo pro alia propoſitione poſteà allegandum, dicit eſſe ipſiſsima verba à Queſnellio in præſenti vſurpata.

33 Sed revera Anonymus, aut furore delirat, aut pla-

planè nugatur, dum iſta garrit, quæ cum ſuis Queſnellianis ex diametro oppoſita, diametro dictant. Cum namque nullum ſit donum, nullum ſit lumen etiam naturale, quod deſuper non ſit deſcendens à Patre luminum, & ſine quo nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium: propterea hæc aptiſsimè dicit Eccleſia laudans, & alloquens Spiritum S. qui Author donorum eſt. Non ita eum laudare poteſt Queſnellius, cum blaſphemo ore de hoc ipſo lumine rationis quod eſt ipſius donum, vt qui *Spiritus ſapientiæ, & intellectus eſt*, aſſerit, non valere niſi ad aberrandum.

34 Et ſi Anonymus contendat hoc lumen ſine ſua gratia Janſeniana, non eſſe Spiritus S. donum, audiat S. Thomam ad ſimile argumentum reſpondentem. Argumentum erat: *Videtur quod ſine gratia, homo nihil verum ſcire poſſit. Primò, per id quod dicitur 1. Corinth. 12. Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto, vbi dicit Ambroſius, quod omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto eſt; ſed Spiritus Sanctus non habitat in nobis niſi per gratiam: Ergo nullum verum dici, aut ſciri ſine gratia poteſt.* In 2. ſent. diſt. 28. art. 5.

35 En tuum Anonyme argumentum, quo tuo Queſnellio applaudas: ſed habeto ad vtriuſque oris obturamentum, ſequentem ſolutionem. Ad 1.
Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Deus operatur in natura, & continet virtutem naturalem, ita etiam operatur in intellectu, & continet virtutem intellectualem. Unde ſicuti nullum opus naturale eſt, niſi in Deo ſicut in continente, nec ambulatio, nec aliquid huiuſmodi; ita etiam nec cognitio veritatis eſt, niſi in Spiritu Sancto, qui in intellectu operatur, & ipſum conſervat. Ita S. Thomas qui ibidem immediatè antea docet: *Quod hæc vera ſine omni lumine gratiæ ſuperaddito, per lumen naturale intellectus agentis cognoſci poſſunt.* Ibi in corp.

36 Oratio etiam Eccleſiæ ab Anonymo laudata, tam non favet Queſnellio, quod potiùs ipſi, & ſuis dogmatis planè adverſatur. Quod namque Eccleſia dicat, ſine Deo nihil validum, nihil ſanctum eſſe: obvio ſuo ſenſu ſignificat, ſine charitate à qua eſt valor operum, nullum opus eſſe validum: ſine ſanctitate, quæ à gratia habituali habetur, nullum opus ſanctum eſſe. At adhuc ſine vtraque, poteſt aliquod opus bonum eſſe, quamvis nec validum, nec

nec ſanctum ſit: poteſtque ad illud lumen rationis, & arbitrium humanum valere. Cum v.g. homo, vera, & bona temporalia moderatè appetens, alia rectè cognoſcit, & alijs bene vtitur, non eis adhærens tanquam vltimo fini: quod Queſnellius poſſe fieri ſine culpa negat, cum tamen Eccleſia eadem oratione petat à Deo, vt ipſo Rectore, Duce, *Sic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna.*

Domin. 4 poſt Pent.

37 Verba quæ in Ordinatione Subdiaconorum ab Epiſcopo dicuntur, quia ſupponunt ordinādos licitè accedentes, in gratia exiſtere; ſolummodò ſignificant eos in eadem fide formata, debere ſemper fundatos eſſe, neque amittere vnquam per peccatum charitatem, & gratiam. Cui ſenſui adaptantur verba illa Apoſtoli, quæ etiam alios, & congruentes habent, iam à nobis ex Patribus expicatos. Debueratque Anonymus non interrumpere illa, quæ & Epiſcopus dicit: *Quod non eſt ex fide peccatum eſt, ſchiſmaticum eſt, & extra unitatem Eccleſiæ eſt.* Ut enim non omne quod non eſt ex fide, ſchiſmaticum eſt, aut vnitatem Eccleſiæ ſcindit, ſic etiam nec peccatum eſt, vt intendit Queſnellius. Maluit verò Anonymus truncare verba, quibus ipſe & Queſnellius de ſchiſmate, & diviſione accuſari poterant.

Pag. 161 n. 161.

38 Teſtimonia ex Tract. *de Vocatione Gentium*, non promovēt, ſed potius labefactant cauſam: & vt modo nihil dicam de loco quem Anonymus hìc tantum indicat, & poſteà ad confirmandam Propoſ. XLVIII. exſcribit, vbi ſenſus illius examinandus eſt: Teſtimonium autem quod ad præſentem propoſitionem fulciendam affert, ea qua ſolet ſinceritate Anonymus allegat, vt ſola relatione verborum quæ præcedunt, & quæ ipſe dolosè, quamvis concatenata, decerpit, tota propoſitio Queſnellij, totumque dogma Janſenij, cui illam deſervit, ſic manifeſtè refelluntur, vt plane confirmantur quæ ex alijs SS. PP. ad præſentem, & ad præcedentem propoſitionem hactenùs à nobis allata ſunt.

39 Loquens namque Author ad peccatorem, admonenſque nè de viribus ſuis fidat, & nè de eiſdem omninò deſperet, inquit: *Nec quia ſpiritu Dei agitur, ideo ſe putet liberum arbitrium non habere; quod nè tunc quidem perdidit,* quan-

quando Diabolo voluntate ſe dedit, à quo iudicium voluntatis depravatum eſt, non ablatum. Quod ergo non interfectum eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus ſanatur, non natura removetur. Sed quod in natura perijt, non reſtituitur niſi &c.

40 Cum in his vltimis verbis ex quibus Anonymus inchoat, eam particulam *Sed* omittit, ſat manifeſtat ſe ea quæ ſeligit allegare, quaſi cum præcedentibus inconnexa: ne ſcilicèt appareat, Authorem in poſtremis verbis non negare, quod poſt peccatum maneat liberum arbitrium, & iudicium rationis, quod in prioribus apertiſsimè confitetur manere poſt peccatum. Manet ergo *quamvis depravatum, non ablatum.* Manet, quod *per vulnerantem non interfectum eſt.* Ut ante vulnus erat lumen diſcernens bonum, & malum, poſt vulnus etiam lumen eſt ad id ipſum quadantenùs diſcernendum, & non ſolum ad aberrandum.

41 Cumque per hoc maximè ſtet in voluntate poteſtas ad vtrumque, libera ſcilicèt, plena libertate indifferentiæ ad eligendum vnum, vel alterum extremum: hæc propterea, neque per peccatum amittitum, neque per divinam gratiam qua eget voluntas ad ſalubriter operandum, nec cum ſpiritu Dei agitur, illi adimitur: quia per medentem non tollitur, quod per vulnerantem non eſt interfectum. Unde evidenter liquet, quantum errori Queſnellij, & ſimul dogmati Janſeniſtico *de Gratia neceſsitante*, Author illius teſtimonij adverſetur.

42 Quæ autem ſubdit Anonymus, ne cum prædictis aperte pugnent, accipienda ſunt de libertate gratiæ, & a culpa, quæ per illam totalitèr perijt, & per ſolam gratiam a Deo reſtituitur; qua ipſe operatur in nobis quidquid eſt bonum, lucidum, & iuſtum, hoc eſt, dignificatum gratia, valoratum charitate, in homine ad ſpiritalem dignitatem iam evecto per Spiritum Sanctum inhabitantem, & regentem cor illius, vt ardentia deſideria concipere, & parere poſsit. Hic eſt ſenſus per ea verba naturaliſsimè ſignificatus.

43 Pudeat ergo Anonymum violentèr alium pro ſuo Queſnellio extorquere. Suppudeat.

deatque adhùc amplius ipſum, & reliquos Queſnelliſtas, quod Sedi Apoſtolicæ, quæ per Sacroſanctam Conſtitutionem *UNIGENITUS* eos edocere curat de hoc circa liberum arbitrium articulo, obedire renuunt, & nefariè pertinaciſsimi reſiſtere malunt.

44 Non hoc profectò à S. Auguſtino quem jactant, diſcere potuerunt, qui ſe accingens ad refutandos ſexdecim articulos ſibi falsò impoſitos, quorum quintus, & ſextus continent eoſdem errores de libero arbitrio, quos Queſnellius propugnat, ſe authoritate Sanctæ Sedis munitum, ab eis liberum, & alienum profitetur: & inſupèr eorumdem aſſertores dignos ceaſet ſupplicio, de quo alias tantis clamoribus Queſnelliſtæ conqueruntur.

45 *Propoſitis ergo*, inquit, *ſingulatim ſexdecim articulis ſub unoquoque eorum ſenſus noſtri, & fidei quam contra Pelagianos ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate defendimus, verba ponemus, ut qui paululum ſeſe ad hæc legenda dignati fuerint occupari, evidentèr agnoſcant impiarum prophanarumque opinionum nullum cordibus noſtris inhæſiſſe veſtigium, & blaſphemias quas perſpexerint noſtra profeſsione damnari, in earumdem repertoribus cenſeant debere puniri.* *Lib. de art. falſ. imp.*

***

XXXVIII.

XXXVIII. PROP. COND.

Peccator non eſt liber niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Lucæ 8. 29. *Le Pecheur n'eſt libre que pour le mal, ſans la grace du Liberateur.*

REFLEXIONES ANONYMI.

ILLA ſola (ſubiungit P. Queſnellius) *reddit eum liberum ad faciendum bonum, rumpendo catenas quas ſibi propria voluntate fecerat.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Enchir. 30. SANCT. Auguſtinus. *Libero arbitrio male vtens homo, & ſe perdidit, & ipſum. Ac per hoc ad peccandum liber eſt. Unde ad iuſtè faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus.* Ita ſine vlla interpunctione Anonymus.

Oper Imperf. lib. 3 cap. 110. Idem. *Ecce quod iam dixi, iterum dico, & vobis video ſæpè dicendum. Nemo niſi per gratiam Chriſti ad bonum quod vult agendum, & ad malum quod odit non agendum, poteſt habere liberum voluntatis arbitrium.*

ANIMADVERSIONES.

1 HAlitu Lutherano hæc propoſitio infecta, eam tamdem peccatori libertatem concedit, qua ſolummodò peccare poſsit, ideſt, qua cum nihil boni agere valeat antequam per gratiam Chriſti à peccato liberetur, nullam illi diſpoſitionem, nullos actus, nec fidei, nec ſpei, quibus ad eam gratiam recipiendam præparetur, peccatori poſsibiles relinquit: qui dum non eſt à peccato liberatus, non ſolùm etiam liber eſt ad benè

operandum, ſed ita determinatus ad malum, vt liber tantum ſit ad hoc, vel illud malum eligendum; ad hoc, vel illud peccatum perpetrandum.

2 Hic eſt obvius, & naturalis ſenſus præſentis propoſitionis, quam à Luthero hauſit Queſnellius, vel forsàm ab alijs Luthero antiquioribus, vt ipſa verborum conformitas indicat, quos ſolo, & digno hæreticorum nomine, allegat S. Thomas, & quorum ſententiam ſenſu, & verbis cum Queſnelliana theſi cohærentem, ſequentibus refert.

In Epiſt. ad Georg. Spalat.

3 *Alij verò naturam liberi arbitrij ſervare volentes, dicunt quidem quod homo ſecundum naturalem ſuam virtutem hoc modo conditus eſt, vt peccatum vitare poſſit: ſed per peccatum virtus illa adeo immutata eſt, vt homo in peccato exiſtens, vitare peccatum non poſsit, ſed in aliud peccatum præcipitetur, niſi per gratiam liberetur. Ne autem omninò peccatum neceſſarium ponere videantur, dicunt quod homo in peccato mortali exiſtens, poteſt quidem hoc, vel illud peccatum vitare, non tamen omnia.*

2. diſt. vel q. 1. art. 2. in corp.

4 Ita illi hæretici: atque ita ſimilitèr, & totidem ferme verbis Queſnellius hac ſua propoſitione enuntiat; vt nullum ſuas partes agentibus reſtet effugium, quo eum ab hæreſi valeant excuſare, cum adeò aperte neget peccatori potentiam nedum moralem, ſed & phyſicam, ad vitandum peccatum, quando ſolam illi relinquit poteſtatem ad eligendum inter ipſa peccata. Quapropter S. Thomas ſic cenſet ab eis hæreticis negari peccatori potentiam phyſicam, vt ipſorum errorem ibi ex hoc capite refellat, ſtatuens in eo nondum per gratiam liberato, poteſtatem phyſicam ad peccata vitanda, ſolamque difficultatem, ſeu moralem impotentiam in ipſo agnoſcens. Itèm, iam extat damnata præfata propoſitio à Summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. inter Bayanas ordine 27.

5 Per eam inſupèr Queſnellius tam apertè contradicit S. Auguſtino, vt indicare poterit qui non præoccupatus ſequens eius teſtimonium legat. *Liberum arbitrium perfectè fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non eſt liberum arbitrium vt non peccemus, ſed tantum vt peccare nolimus. Gratia verò efficit, vt non tantum velimus rectè facere, ſed etiam poſsimus, non viribus noſtris,*

In Expoſit. Ep. ad Rom. 13.

tris, ſed Liberatoris auxilio, qui nobis etiam perfectam pacem tribuit in reſurrectione, quæ pax perfecta bonam voluntatem conſequitur. Non poteſt ſanè clarius reprobari ſenſus Queſnellij, nec verbis apertius contrarijs: cum S. Auguſtinus affirmet, in homine ante gratiam Liberatoris, eſſe liberum arbitrium, quo peccare nolit.

6 Cum itaque Queſnellius aſſerat hominem ante gratiam Liberatoris non eſſe liberum niſi ad malum: aut tenetur dicere, quod nolle malum, nolle peccare, malum eſt; aut cogitur fateri, quod expreſsè adverſatur Auguſtino, hæc ſua propoſitio: *Peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratia Liberatoris.* Neque ſolus Auguſtinus ei contradicit, ſed & plures alij SS. PP. quorum laudata teſtimonia, vt & alia eiuſdem S. Doct. nec minùs propoſitioni huic repugnantia, dedimus ſupra, quæ propterea modo contenti ſumus ad marginem adnotare, neque inculcare volumus.

Pag. 548 n. 43. & ſeq. Pag. 566 n. 117. & ſeq.

7 In prædictis autem S. Auguſtini verbis, id occurrit, quod cum dicat, in homine ante gratiam eſſe liberum arbitrium, vt peccare nolit: poſtea addit, quod gratia efficit, vt velit rectè facere, & vt poſsit, non viribus ſuis, ſed Liberatoris auxilio, quibus cum videatur innuere quod ſine gratia Liberatoris poteſt nolle malè agere, non autem poteſt velle benè agere; poſſet forsàm ſuſpicari, quod *nolle peccare*, ante gratiam non eſt liberum, quia tunc *velle rectè facere*, non eſt ſine gratia homini poſsibile: & vbi, aut quando ex duobus extremis, alterum non eſt poſsibile, alterum hoc ipſo fit neceſſarium.

8 Propter hoc explicatione indigent ea verba Auguſtini. Nec tamen præfata de illis dubitatio quidquam pro Queſnellio facit, qui non dicit *nolle peccare* eſſe neceſſarium peccatori, ſine gratia Liberatoris; ſed potiùs affirmat eſſe illi impoſsibile, cui nimirùm tantum attribuit potentiam ita liberam ad peccandum, vt hoc vel illud peccatum velle poſsit, non vt peccare nolit. Auguſtinus autem ex adverſo, planè cenſet, hominem ante gratiam Liberatoris, poſſe ex libero arbitrio *nolle peccare*: atque ad hoc tantum exigit gratiam Liberatoris, vt illa habita poſsit *velle rectè facere.*

9 Nihil igitur ad Queſnellium prædictæ difficultas de verbis S. Auguſtini, quorum

ſenſus ſemper manet contra ipſum apertiſsimus. Adhucque adverſus ipſum facilè difficultatem expedirem dicendo, S. Auguſtinum ibi duplicem in homine lapſo inſinuare libertatem: aliam contradictionis, inter *velle*, & *nolle* peccare, quam ante gratiam illi attribuit cum poteſtate propria ad vtrumque extremum. Alteram contrarietatis, ad *velle peccare*, & *velle rectè agere*, quam quo ad hoc extremum, cenſet habere non poteſt ſine gratia Liberatoris.

10 Hæc clariſsima ſolutio eſt, & verbis S. Auguſtini ſatis conſona, ac propoſitioni Queſnellij patenter contraria, quia ſi peccator poteſt liberè ſine gratia nolle peccare, liquet apertè, falſiſsimum eſſe quod ſine gratia non eſt liber niſi ad malum. Inſupèr, commendatur ſolutio authoritate S. Thomæ, qui loco allegato hac eadem via procedit contra illos hæreticos, qui, vt Queſnellius, tenebant, quod homo lapſus ſine gratia, tantum erat potens liberè ad peccandum, ita quod nequaquam poterat omnia peccata mortalia vitare, vt dicitur neminem poſſe vitare omnia venialia.

11 Contra quos S. Thomas ſtatuere curat, non quod poteſt liberè bene agere, ſed quod poteſt liberè vitare, fugere, lethale peccatum, *Quantumcumque in peccato mortali exiſtat. Et cum poteſt vitare hoc, & illud, poteſt eadem ratione vitare omnia... quia liberum arbitrium reſiſtens malo, non efficitur infirmum ad malum vitandum, ſed multò fortius: undè multò magis poſteà poteſt vitare peccatum, quam ante.* Nec ſimile eſt quod dicitur de evitatione impoſsibili omnium venialium, quoniam iſta plerumque in motibus indeliberatis, & ſubitis conſiſtunt: & dum *homo vni obſtare nititur, ex alia parte alius motus inſurgit*; ob quod non poſſunt omnia vitari. *Vbi ſupr.*

12 Quamvis hac doctrina ſufficientèr ſedari poſſet ſuperior dubitatio de ſenſu S. Auguſtini: aliud nec minùs repugnans propoſitioni Queſnellij mihi videtur S. Doctorem eis verbis intendiſſe. Videlicet, quod in primo homine fuit perfectè liberum arbitrium, quia erat liberum triplici illa libertate à neceſsitate, à culpa, & à miſeria. In nobis autem ante gratiam, non eſt liberum libertate à culpa, & à miſeria: ſed tantum à neceſsitate, qua ſcilicèt, poſſumus nolle peccare;

quia

quia nulla neceſsitate ex præcedente peccato, ſeu originali, ſeu perſonali, determinamur ad volendum peccare, cuius contrarium enuntiat Queſnellius. Sic tamen nolentes peccare, poſſumus velle benè agere: nam nolle peccare, eſt revera hoc ſaltèm bonum velle, quod eſt non peccare. Cæterùm vt poſsimus rectè facere, indigemus gratia Liberatoris, qua reſtituatur nobis libertas à culpa, ad quam conſequitur in reſurrectione libertas à miſeria, quam S. Auguſtinus dicit pacem perfectam.

13 Hic niſi fallor, eſt ſenſus naturaliſsimus verborum S. Auguſtini: quo conſtat quod nolle peccare in peccatore ante gratiam, eſt omninò liberum, non ſolum quia poteſt velle peccare, ſed & quia poteſt à Deo vocatus, illuſtratus, & adiutus, velle benè agere. Quod autem non poteſt rectè facere ſine gratia Liberatoris, & idcircò hac indiget, quia illa efficit vt poſsit rectum facere; hoc perindè eſt, ac non poſſe reipſa liberari à peccato præexiſtente, ſine gratia quæ efficit libertatem à culpa, & quæ propterea propriè dicitur *Liberatoris*, qua talis; & qua ſuppoſita, opera quæ homo facit, eo vel maximè recta ſunt, & dicuntur, quia per illam dignificata.

14 Quod iſtum, & non alium ſenſum intenderit S. Auguſtinus, fiet perſpicuum legenti integrum illud principium ſuæ expoſitionis Epiſt. ad Romanos, vſque ad præfata verba, quæ non longè diſtant. Ibi namque extant tres prædictæ libertates non obſcurè inſinuatæ; & inſupèr ſequentia verba, quæ ſenſum noſtrum confirmant, & ſimul palam refutant propoſitionem Queſnellij, & dogmata Janſenij. *Sic ergo iacens, cum ſe quiſque cognoverit, per ſe ipſum ſurgere non valere, imploret Liberatoris auxilium. Venit ergo gratia quæ donet peccata præterita, & conantem adiuvet, & tribuat charitatem iuſtitiæ, & auferat metum.* III.

15 En vt poteſt homo in peccato iacens, cognoſcere ſuum miſerum ſtatum, è quo emergere per ſe no valet, quia à ſervitute peccati, ad libertatem à culpa, ſolummodò poteſt tranſire per gratiam remiſsivam culpæ. Sed tamen poteſt idem homo iacens, hoc ipſum agnoſcere, vt non omninò obtenebratum, & ſufficiens dumtaxàt ad aberrandum, ſuum rationis lumen videat Queſnellius. Poteſt inſupèr implorare liberatoris auxilium: quæ imploratio non ſanè

ſanè malum opus eſt, ſed bonum. Poteſt etiam conari; alioqui gratia veniens, non inveniret conantem quem liberaret. Hæc omnia poteſt peccator, & adhuc iacens, cum adiutorio Dei, cum alijs, ſcilicet, auxilijs, quibus ita ſe diſponit, vt veniat ipſa gratia Liberatoris, quæ peccata donans, reſtituit ei libertatem à culpa, & tribuit charitatem, qua deinceps recta, & meritoria opera faciat.

16 Qui attente perpendat integrum iſtud S. Auguſtini teſtimonium, videbit illo plane confutari non ſolum præſentem, & reliquas ſub hoc titulo Queſnellij propoſitiones, ſed & omnes, quæ de *Diſciplina pœnitentiæ, & de Timore, & Amore*, in ſuperioribus refellimus. Videbitque ſimùl, quam diverſa ſit à Gratia Janſeniſtica, Gratia quam Auguſtinus deſiderat, vt voluntas conſentiat, & poſsit conſentire divinis vocationibus. Videbitque demùm, ineptam, & malitioſam confuſionem libertatis à neceſsitate, & libertatis à culpa: libertatis, inquam, naturæ, & libertatis gratiæ, quarum indiſcretio cauſa eſt tot perverſarum ſententiarum horum Novatorum circa gratiam, & liberum arbitrium.

17 Eadem confuſione Anonymus vſurpat loca quæ pro ſuo Queſnellio ex Auguſtino allegat. Primum ex Enchirid, ſupra nec perfunctoriè, expendimus, atque ex eodem Auguſtino patuit, liberum arbitrium, quod ait ab Adamo perditum, eſſe ipſi libertatem non naturalem, ſed gratiæ, quam Adam per peccatum amiſsit. Vtque ibidem notavimus truncata ab Anonymo verba, vt alium pro ſuo Queſnellio ſenſum ibi extorqueat, hoc ipſum in præſenti animadvertendum volumus. Etenim ipſe, & Author Hexaplorum, ea hic ſine vlla interpunctione afferunt, quæ non ita apud S. Auguſtinum continuata extant, vt vnam ex partibus disiunctis componant ſententiam, propoſitioni Queſnellij quomodolibet conſonam.

Pag. 570 n. 148.

18 Et quia neque adhuc ita ad omnimodam conſonantiam ſufficiunt, oportuit claudere periodum, vbi Auguſtinus comma, non punctum habet. Ait namque: *Vndè ad iuſtè faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus, eſſe iuſtitiæ cœperit ſervus.* Anonymus autem hæc vltima verba omittit, vt finita ſententia verbo illo, *liberatus*, ſignificetur, ſine gratia Janſeniana liberante à peccato, hominem nullam liberta-

ta-

tatem habere ad quicquam boni agendum, ſed ſolum ad peccandum.

19 At, quod Auguſtinus intenderit, per gratiam reſtitui libertatem non naturæ, ſed gratiæ, & ad facienda opera meritoria, & propria iuſtitiæ, vltimis eis verbis ſatis ſignificata, in loco adnotato demonſtratum eſt. Quod aliunde evincunt, ſequentia verba duabus tantum lineis, quas & ſupra exſcripſimus, a prioribus diſsita: *Sed iſta libertas ad benè faciendum, vnde erit homini addicto, & venundato, niſi redimat ille cuius vox eſt: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis?*

N. 141.

Enchir. cap. 30.

20 Secundum teſtimonium a ſeductum etiam ab Authore Hexaplorum, eadem extorſione ſenſus, & ſimul intempeſtiva clauſula ab eis allegatur. Quod enim Auguſtinus loquatur de libertate gratiæ, quando dicit, quod ſine hac nemo poteſt habere liberum voluntatis arbitrium, evidenter liquet ex his quæ ſubiungit, & nequaquam ſunt à prioribus puncto diſiuncta, ſed ita ſe habent: *Nemo poteſt habere liberum voluntatis arbitrium: non vt voluntas eius ad bonum, ſicut ad malum captiva rapiatur; ſed vt à captivitate liberata, ad Liberatorem ſuum liberali ſua-vitate amoris, non ſervili amaritudine timoris adtrahatur.*

Oper. Imp. lib. 1. cap. 111.

21 Plura & obſervatu digniſsima hæc verba præſeferunt, quæ notare oportet. Primum, quod in toto teſtimonio non loquitur S. Auguſtinus ſingulariter de homine exiſtente in peccato, ſed de omnibus, aut de quocumque, vt ſignificatur per vocem illam, *Nemo*: Ergo pluſquam id quod Queſnellius intendit, diceret Auguſtinus, ſi eis verbis vellet ſignificare liberum arbitrium naturale, non haberi ſine gratia Chriſti.

22 Secundum notandum, quod non dicit: *Nemo niſi per gratiam Chriſti habet liberum arbitrium*. Sed dicit: *Nemo poteſt habere liberum arbitrium*: quo ſane ſignificat, neminem poſſe habere poteſtatem; nam liberum arbitrium poteſtas eſt: Ergo aperte indicat ſe loqui de libertate gratiæ: quoniam de libertate naturæ, adeo per ſe notum eſt, neminem a ſe poſſe illam habere, quemadmodum indubitatum eſt, neminem à ſe poſſe habere naturam: foretque talis affirmatio indigna Auguſtino, vt de ſubiecto non ſupponente, & nullo contradicente. De libertate autem gratiæ, ideſt, de ea quam gratia nobis affert, vt poſsimus me-

meritoriè operari; vere, & Catholicè, ac maximè contra Pelagianos, prædicatur quod Nemo à ſe poteſt illam habere: Ergo de hac loquitur S. Auguſtinus.

23 Tertium, & valde obſervandum contra Janſenium, & Queſnellum eſt, quod gratia Chriſti quam S. Auguſtinus exigit, talis non eſt, quæ rapiat voluntatem ad bonum, ſicut concupiſcentia quæ tenet voluntatem captivam, rapit iſtam ad malum: hoc enim ſuo ſenſu hæc verba ſignificant: *Non ut voluntas eius ad bonum, ſicut ad malum captiva rapiatur.* At concupiſcentia, quamvis captivam teneat voluntatem, non ita illam rapit ad malum, vt non ſit in eius poteſtate libere conſentire, aut diſentire; obedire, aut reſiſtere deſiderijs eius, vt multis ex Auguſtino ſupra oſtenſum eſt: Ergo talis eſt gratia Chriſti quam deſiderat, vt quæ cum minùs rapiat voluntatem, non certe illam neceſsitat, ſed relinquit liberam, vt poſsit conſentire, aut diſentire; obedire, aut obſiſtere: quo corruunt cuncta dogmata Janſenij, de quibus ſuo loco.

Pag. 565 n. 21.

24 Quartum denique in hoc teſtimonio notandum eſt, quam dilucide diſtinguit S. Auguſtinus libertatem gratiæ, à libertate naturæ per ea vltima verba: *Ut à captivitate liberata, ad Liberatorem ſuum liberali ſuavitate amoris, non ſervili amaritudine timoris attrahatur.* Quibus clare ſignificat, voluntatem fieri liberam per gratiam, quia fit à captivitate liberata. Ergo hanc libertatem tribuit illi gratia, quæ conſiſtit in liberatione à captivitate, quia hanc amiſsit omnino per ſervitutem peccati. Non autem illi dat aliam libertatem naturalem, quaſi fuerit penitùs deperdita, & quæ conſiſtit in poteſtate eligendi: quoniam hanc retinet adhùc etiam in ipſo captiverio, & ſervitute.

25 Eſt ergo luce meridiana clarius, quod apud S. Auguſtinum, aliud eſt, voluntatem eſſe liberam abſolutè, & aliud, voluntatem eſſe liberam à peccato. Primum habet à natura, ſecundum tantum à gratia. Primum ſignificat poteſtatem eligendi pro nutu; ſecundum, liberationem a ſervitute peccati. Nec quia aliquis ab hac liberatus ſit, hoc ipſo ſolummodò liber eſt, libertate ab omni neceſsitate; quia ſi à Deo determinetur ad neceſſariò operandum, vt fieri poteſt, operabitur non libere, quamvis à peccati ſervitute liberatus. Atque ſimiliter, qui peccati ſervus eſt, non propterea

reà

reà liber non eſt à neceſsitate, quoniam neque à peccato, neque ab eius ſeruitute determinatur ad neceſſariò agendum.

26 Iniquiſsima itaque eſt vtriuſque libertatis confuſio, cum illæ clarè diſtinguantur, & ad inuicem ſeparentur, atque ita differunt, vt *eſſe liberum, & eſſe liberatum*, quæ à Janſeniſtis, & Queſnellio pro eodem vſurpata (vt conſtat evidenter ex verbis iſtius, quæ in ſua reflexione allegat Anonymus) ſuorum errorum circa dogmata gratiæ præcipuum efficiunt fundamentum; quod & Sanctis Patribus, ac præſertim Auguſtino, quin etiam Apoſtolo, malè ab ipſis intellectis, attribuunt, vt ſuis locis videbimus. Intereà ſufficiat id de mente S. Auguſtini præmonſtratum habere, quod & alijs teſtimonijs poſteà deinceps confirmabimus.

27 Non autem modò omittam aliud, quo clariſsimè reprobat præſentem propoſitionem, & ſimul laudatum ſenſum disertè manifeſtat. Ait namque: *Liberum itaque arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum, confitendum eſt nos habere: ſed in malo faciendo liber eſt quiſque iuſtitiæ, ſeruuſque peccati: in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo qui dixit: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Non poteſt equidem apertius reprobari Queſnelliana theſis, nec fieri patentior differentia vtriuſque libertatis à neceſsitate, & à culpa. (De correp. & grat. cap. 1.)

28 His iam duntaxàt adijciam teſtimonium vnum Authoris, Tract. *De Vocatione Gentium*, quia hunc Anonymus crebrò ad has allegat tui Queſnellij propoſitiones: & quia vnum hoc quod ex eo adducam, cunctis illis manifeſte contradicit, præſentem penitùs diſsipat: & omnia quæ, de Paganis, aut impijs benè operantibus, & à Deo remuneratis temporali præmio, quamvis non æterno, defectu relationis operum per charitatem, ſuperius diximus, planè confirmant. (Pag. 501 n. 1. & ſeq.)

29 Loquens namque de voluntate humana ante gratiam, ait: *Quæ priuſquam Spiritu Dei agatur, etiam ſi ſupra ſenſualem motum ſe attollere poteſt, tamen ſine ſummi amoris participatione in terrenis, occiduiſque verſatur. In hac humana etiam ingenia, ſi corporea voluptate non turpiter ſeruiant;* (Libr. 1. cap. 2.)

volant, & cupiditates ſuas iuſtitiæ, atque honeſtatis legibus temperent, nihil ſupra mercedem gloriæ temporalis acquirunt. Et cum præſentem vitam decentèr exornent, æternæ tamen beatitudinis præmium non habent, quia rectas actiones, & bona ſtudia ſua, non ad eius laudem, atque honorem referunt, à quo acceperunt, vt in ipſa animali diſcretione ſublimius ſaperent, & excellentius cæteris eniteſcerent.

30 Habes itaque Anonyme refragantem tuo Queſnellio Authorem tibi, mihi, & cunctis probatum, qui in homine lapſo agnoſcit, & fatetur libertatem qua poteſt ſe attollere ſupra ſenſualem motum: Virtutem, quæ decentèr exornat præſentem vitam: quæ non turpitèr ſerviat corporeæ voluptati: quæ honeſtatis legibus ſerviens, bona habeat ſtudia, rectas actiones faciat, præmijs temporalibus dignas, non æternis, quia non eas ad honorem Dei refert per charitatem.

31 Et contra tam apertam ſententiam conaberis adhùc tuum Queſnellium iuſtiſſimè per Sacram Conſtitutionem *VNIGENITUS*, de adverſo ſibi grato errore damnatum, defendere, & æquiſſimum de illo iudicium condemnare? Erit nè tantus Author à te damnandus, vt abſolvatur tuus Queſnellius, à contrario clamans: *Peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratia Liberatoris?* Itanè, & tibi liceat adverſus illum, cuius patrocinio in hac ipſa re gloriaris, decernere? Imò fas erit omnibus hominibus contra te, & tuum Queſnellium, naturam ſuam ita, & ſolummodò ad peccandum tantum potentem, deprimentes, inſurgere. *Quis*, ait opportunè S. Cyrillus Alexandrinus, *hanc modeſti naturam feret in deteriora mutatam ſortem? Exurgant homines, & generoſo animo, nativam ſuam nobilitatem tutentur: non patiantur, oro, ſe in tantum indignitatis gradum deprimi.* *Lib. 5. in Evang. Ioann. cap. 5.*

XL.

XL. PROPOS. COND.

Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

2. Theſal. 3. 18. *Aimons avec lui cette grace, ſans la quelle nous ne pouvons rien aimer qu' à notre condamnation.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

CONCILIUM II. Arauſicanum. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum.*

REFLEXIONES ANONYMI.

HÆc XL. propoſitio nihil aliud eſt, niſi expreſsio iſtius locutionis S. Auguſtini: *Quidquid enim bene amas, charitas amas.* Atque etiam iſtius: *Charitas ſola non peccat.*

ANIMADVERSIONES.

1 MEmini me olim ſcribentem de *Geniis* (quando nec nomen Queſnellij audiveram, aliam præſenti propoſitioni ſimilimam offendiſſe apud P. Malebranche in ſuo *de inquirenda veritate* Libro, quem, & Authorem, tunc me vltra modum laudaviſſe, modo ingenuè fateor. Loquens namque de lumine intellectuali, hæc pronuntiat. *Lumen illud mentis ſolum eſt, ut loqui amant, gratia ſufficiens, quæ ad noſtram condemnationem dumtaxàt conferre valet.* Quæ ſententia illicò dura mihi, & intoleranda viſa eſt, coincidenſque cum erroribus Lutheri, & cum propoſitione 27. Baij damnata.

In tom. Prolegom Prol. 1. §. 8. 385 & 390.

Libr. 3. c. 4. n. 4.

2 De quo & admonui eruditum quemdam virum amicum noſtrum, & Malebranche ſtudioſiſsimum, qui & mihi impoſuit vt viderem authographum gallicum (vtebar namque exemplari Latino) ſi fortè exindè eruere poſſem ſenſum pium, quem Authori ſibi commendato

attribuerem; quod lubens feci, & quamvis invenerim translationem Latinam apprimè reſpondentem gallico ſermoni, quædam tamen verba adverti in vtroque exemplari ſuperioribus ſubiuncta, quæ in gratiam amici illi repoſui, ad aliqualem ſui Malebranche benignam excuſationem.

3 Ea porrò Latine ſunt. *Quæ nobis infirmitatem noſtram manifeſtat, quantumque ad illum à quo omnis pendet vis noſtra precibus confugere opus habeamus.* Quæ annexa cum præcedentibus, videntur poſſe ſignificare lumen rationis non omninò inutile à Malebranche haberi, quod deſervire dicit ad cognoſcendas infirmas vires noſtras, vt proindè auxilium à Deo imploremus. Quapropter cum priori ſententia aſſerit, *Lumen tantum conferre ad noſtram condemnationem*, ſic explicari poterat quaſi intenderit: *Conferre ad accuſandam ignorantiam, & imbecillitatem noſtram*, nimirùm ex Cicerone vtente verbo *Condemno*, ad accuſandum. Quem alias ſenſum, quia tunc ad negotium quod è re noſtra erat opportunum exiſtimavi, non omninò reieci.

s. in Verr. 1. in Catil.

4 Nec tamen propterea valui, aut volui ibidem abſolvere prorsùs Malebranche, ac multò minùs modò poſt damnatam præſentem Queſnellij propoſitionem, quo locutionem eius excuſare: Quin pœnitet de ſtudio quod ad eius purgationem adhibui, quamvis tunc Cenſorem Theologum non agerem; debui namque, vt vel ſaltèm ab immodicis eiuſdem laudibus abſtinerem, attendere quod verba illa: *Lumen rationis ſolum eſt vt loqui amant gratia ſufficiens*, neſcio quid Janſeniſmi, quinimò & Pelagianiſmi, redoleat.

Vol. 1. 93.

5 Cum verò iſta tolerari non poſsint, quamvis per ea Malebranche non aſſerat lumen rationis omninò extinctum, ſed dumtaxàt debilitatum, & ſaltèm ſufficiens ad hoc vt quiſque cognoſcat ſuam infirmitatem, ex quo ad implorandum Dei auxilium accedat: qua, rogo, indulgentia erga Queſnellium, poſſumus perferre quod ipſe in hac propoſitione enunciat? Quæ tam verbis ipſis clariſsimis, quam ex ſenſu antecedentium, & conſequentium, ſignificat non tantummodò obnubilatum lumen rationis; non pronam dumtaxàt ad malum humanam voluntatem, ſed illud ita penitùs obcæcatum, & hanc ſic totaliter perverſam, vt ſine Gratia Dei non niſi ad noſtram

tiam condemnationem deſerviant.

6 Id porrò nulla benigna, quamvis violenta expoſitione, nullo ſenſu quamvis à longè coacto, poteſt ab errore purgari, & toto humano generi non iniurioſum dici. Ut namque evidens eſt, quod voluntas ſit potens amare bonum ſibi, aut alteri, aut bene ſe gerere erga quæcumque obiecta; ex quo intellectus lumine proprio verum bonum honeſtum, aut vtile, præcognoſcit, & illi proponit: ſimiliter manifeſtum eſt, quod ſi voluntas nihil poſſet amare niſi ad proprij ſubiecti condemnationem, hoc ipſo neceſſariò ſupponitur intellectum nihil verum poſſe lumine ſuo cognoſcere; nihil bonum amari dignum, nihilque malum dignum odio, neque ipſam hominis condemnationem, quæ maximè mala, & fugienda eſt, poſſe diſcernere, & voluntati proponere.

7 At hoc adeò falſum, & erroneum eſt, vt quia S. Auguſtinus quondam dixerat: *Deus qui niſi mundos corde, Verum ſcire noluiſti*: hoc retractandum cenſuit quamvis alioqui nomen illud *verum* apud ipſum ita poſſet aſſumi, quo locutio excuſari poterat. Ait quippe: *Non approbo, quod in oratione dixi: Deus qui niſi mundos corde, verum ſcire noluiſti. Reſponderi enim poteſt, multos etiam non mundos, multa ſcire vera. Neque enim definitum eſt hic quid ſit verum, quod niſi mundi ſcire non poſſint*: Homo ergo a peccato non mundus, & conſequenter ſine gratia, lumen habet quo verum ſciat, & multi non mundi reipſa multa vera ſciunt, quod & S. Thomas ſupra nos docuit.

Soliloq. lib. 1.

Lib. 1. Retra. & cap. 4.

8 Atque contrarium S. Auguſtinus dignum iudicavit retractari, quamvis ſua alias ſententia, quod apud ipſum vnicè *Verum* propriè eſt, & *verum* dici meretur, non niſi à mundis ſciri valeat, ſcientia etiam quæ vera ſapientia ſit. De quibus multa habet contra Academicos, & in eiſdem Soliloquiorum Libris, quæ iam notavimus cum ex ipſo uiti ſumus contra Queſnellium, virtutes in Paganis, & impijs, non eſſe Auguſtino vitia, quamvis apud ipſum non ſint virtutes veræ: cuius de hac re ſententia, & modus loquendi, non modicam ex præſentibus lucem, & confirmationem accipiunt.

Pag. 778 num. 10. Pag. 118 num. 50.

9 Quia tamen cum S. Auguſti-

guſtinus ea orationis verba protulit, non tunc agebat, aut nondùm egerat, de illa perfecta, & ſibi grata veritatis, & ſcientiæ notione; viſum ei fuit, non dignum approbatione ſua, ſed imò retractatione dignum, ſcilicèt, hoc ipſum quod Malebranche poſteà confidenter enunciat, quod Queſnellius approbat, & ſupponit: quodque Anonymus Auguſtino ipſo, licet reluctanti, & ſua ipſa retractatione obſiſtenti, molitur adſcribere, omittens alias locorum quos hic allegat notas.

10 Sed quia dixerit, quod *quidquid benè amatur, charitate amatur*, quid quæſo facit, aut refert, ad hoc, quod ſine gratia nihil poſſumus amare niſi ad noſtram condemnationem? Id quippè benè amatur, quod in ordine ad ſalutem æternam amatur: hocque intendit S. Auguſtinus, cui tota cura eſt homines hortari ad ſic bene operandum, vt ſalvi fiant. Verùm, an ideò qui aliquid honeſtum, & moderatè amat, nondùm per charitatem ordinatum, id ad ſuam condemnationem amat? Vel exiſtimandum eſt, hoc doceri ab Auguſtino, qui infinitis prope locis amorem proprium, amorem propinquorum, & amicorum, amorem temporalium, amorem nondùm charitate ordinatum, in ipſis etiam infidelibus, & impijs, commendat, laudat, vel ſaltem non reprobat?

Serm. 11. in Pſal. 71. cap. 13.

Pag. 111 n. 16. & ſeq.

11 Profectò cum aliquando dicat: *Errat quiſquis putat veritatem ſe poſſe cognoſcere, cum adhuc nequiter vivat*: qui verba hæc in ſenſu Queſnellij, & Anonymi accipiat, tenebitur aſſerere, Auguſtinum erraviſſe, cum retractatione illa ſua ſateatur, *multos etiam non mundos multa ſcire vera*. Ergo vt caute, & diligentèr diſtinguenda ſunt vera iſta, à veritate illa: ita etiam diſtingui debent bona moralia purè honeſta, à bonitate perfecta; vt rectum de his iudicium feramus, & cum Auguſtino ſentiamus, voluntatem circa priora ſe gerere poſſe ſine culpa, quamvis non cum meritò; non ad ſalutem, ſed non idcircò ad condemnationem: quemadmodùm intellectus ſe habet circa ea priora vera, non ad errandum, ſed ad ſciendum, quamvis non prout oportet ſapere. Alioqui dum peccator ſpe ſalutis, ſalutem ſibi amat, eam ad ſuam condem-

De agone Chriſt. cap. 10.

demnationem amabit: quo nihil abſurdiùs, quin neque ſtultiùs dici poteſt.

12 Quod tamen à Queſnellio hac propoſitione impiè affirmatum, & à ſuo defenſore impudenter propugnatum, à S. Bernardo reprobatur verbis adeò perſpicuis, quæ nec poſſunt vividiùs explicare miſerrimum ſtatū peccatoris. *Omnem animā*, inquit, *licet oneratam vitijs, peccatis irretitam, captam illecebris, exilio captivam, corpore carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, diſtentam negotijs, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, ſollicitudinibus anxiam, ſuſpicionibus inquietam, & poſtremò advenam in terra inimicorum ... coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui in inferno ſunt: licet, inquam, ſic damnatam, & ſic deſperatam, docemus tamen hanc, in ſe ſe poſſe advertere non modo unde reſpirare in ſpem veniæ, in ſpem miſericordiæ queat, ſed etiam unde audeat aſpirare ad nuptias Verbi.*

Serm 83. in Cant

13 Iam verò ſi ſcire aves, quid hoc ſit quod animæ tot calamitatibus obrutæ relinquitur, ut tantum audere poſſit? Audi: *Quid enim non tutè audeat apud eum, cuius ſe inſignem cernit imagine, illuſtrem ſimilitudine novit? ... Et utique ad hoc Author ipſe Deus divinæ inſigne generoſitatis perpetuo voluit in anima conſervari, ut ſempèr hac in ſe ſe ex verbo habeat quo admoneatur ſempèr, aut ſtare cum Verbo, aut redire ſi mota fuerit.* Manet itaque, conſervatur in anima etiam immerſa peccatis, liberum arbitrium, naturaleque rationis lumen (de quibus antea Bernardus, & nos poſteà ex ipſo) quæ ſunt ſuæ ſimilitudinis cum Deo inſignia, & quibus ſe agnoſcens privatam gratia, & tot peccatis deturpatam, tot ærumnis afflictam, conari poteſt, reſpirare poteſt in ſpem veniæ: quo certè aliquid non ad ſuam condemnationem, ſed potiùs ad ſuam liberationem amat.

14 Quamvis verò perſeverante in peccatore amore peccati, nequeat ſimùl quidquam benè amare, nec multò minùs in ſpem miſericordiæ Dei reſpirare, horum enim amorum contrarietas, facit eos infœderabiles: priorque amor cuius impulſu reliqua amat, om-

nia deturpat, vt alibi diximus. Cæterùm nec tunc, & quando homo deſperata ſalute ita operatur, dicendum eſt, quod nihil amare poteſt niſi ad ſuam condemnationem. Poteſt namque, & quando pravè amat, & quando deſperat, quia liberè habet vtramque voluntatem, qua ſalvus eſſe non volt, quod poteſt velle. S. Auguſtinus: *Qui pietatem Chriſtianæ converſationis, & fidei deſerentes, in prophanos errores, aut in damnabiles mores irrevocabiliter tranſierunt, non dubium eſt, quod talem voluntatem habentes ſalvi eſſe nolunt; & quamdiù ſalvi eſſe nolunt, ſalvi eſſe non poſſunt.*

Pag. 351 n. 71. & ſeq.

Ad artic. ſalſ. imp. 7.

15 Utque cum prædicto amore peccati, non ſtat ſimul alius amor bonus; ſimiliter à contrario, cum amore charitatis erga Deum, non compatitur amor perverſus: in quo ſenſu veriſsimum eſt, quod *Charitas ſola non peccat*, quam item ſententiam alibi ab Anonymo obiectam explicavimus. Sed quemadmodum qui Charitate Deum amat, actu etiam ferventiſsimo, habet tunc, & ſimul, poteſtatem amandi alia ad ſuam condemnationem; quia prædictus amor Dei extra patriam, non tollit, aut impedit prædictam poteſtatem: ita ſimiliter, qui ſine gratia amat, etiam perditiſsimè, turpia quæque, habet tunc, & ſimul poteſtatem amandi aliquid aliud quod ad ſuam non conferat condemnationem.

Epiſt. V. Epiſt. ad Innoc.

Pag. 403 num. 21.

16 Opponit tamen Anonymus Concilium Arauſicanum hæc dicens: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum.* Nec pudet tertiò allegare, quod ſemel, & iterum, ab ipſo obiectum, toties à nobis, & abunde manet explicatum. *Unde mirandum eſt*, aiebat S. Auguſtinus, *Obijcientem tertio repetiſſe, quod ſemel dixiſſe ſufficerat. Sed ut res eſt, numerum criminationis augere voluit, quia ſenſum vitiare non potuit.* Et quidem non potuit Anonymus ſic variare ſenſum Concilij, vt faceret illum ſenſui Queſnellij, aut ſenſui Janſenij circa gratiam neceſsitantem, conſonantem, vt locis adnotatis vidimus.

Pag. 159 n. 157. Pag. 158 num. 18.

Vbi ſupr. Art. 9.

17 Præterea, hoc ipſum quod Concilium dicit, etiam S. Auguſtinus affirmat. *Mendacium*, inquit, *de proprio loquitur.* Sed tamen cum addat: *Et liber à men-*

Ibi art. 6

mendacio non erit, niſi eum veritas liberaverit,. planè ſignificat poteſtatem, & libertatem quam homo per Liberatorem recipit, eſſe libertatem à culpa, non à neceſsitate, de quibus ſupra: Ut proindè cenſendum ſit, quod cum apud ipſum, & Concilium dicitur, hominem non habere de ſuo niſi mendacium, & peccatum; per hæc nolunt ſignificare, quod ſine Dei gratia eſt phyſicè neceſsitatus ad peccandum, ſeu impotens ad benè agendum: ſed tantummodò ſignificant impotentiam moralem, ſeu nimiam difficultatem ex perverſa pronitate, ad ſe abſtinendum à peccato, & mendacio. In ſenſu autem alio, & quem Queſnellius intendit, male poterat Auguſtinus pro ſe reſpondere obijcienti ipſi inter allegatos articulos: Quod voluntas humana *naturali motu non poſsit non peccare.* Ibi. art. 5.

18 Importunis itaque ſuffragijs molitur Anonymus propoſitionem Queſnellij inſtaurare, quæ, me iudice, melius confirmaretur ipſa Queſnellij, & Anonymi cum eo errantis, cæcitate, qua decepti, & pervicacia arrepti, ad everſionem liberi voluntatis arbitrij ſic ſunt obſtinati, quod ſuam propriam libertatem cogant, vt tantum errare amet, ad ſuam nimirum condemnationem, ſententia per Sacroſanctam Conſtitutionem *VNIGENITUS* æquiſsimè pronunciata. *Datum eſt enim*, ait etiam S. Auguſtinus, *animæ liberum arbitrium*,. *quod qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conantur, vſque adeo cæci ſunt, ut ne iſta ipſa quidem vana, atque ſacrilega propria voluntate ſe dicere intelligant.* De Quant. animæ, cap. 36.

XLVIII. PROP. COND.

Quid aliud eſſe poſſumus niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate?

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Ad Epheſ. 5. 8. *Que peut-on etre autre choſe que tenebres qu' egarement, & peche, ſans la lumiere de la foi, ſans I. C. ſans Charitè.*

REFLEXIONES ANONYMI.

ID quod P. Queſnellius enunciat, in hac S. Pauli propoſitione continetur. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Epiſt. 2. SANCT. Clemens I. *Sine dono, & lumine quod Chriſtus nobis attulit, tota noſtra vita nihil aliud erat quam mors.*

Serm. 23. & 24. V. Pſal. 72. cap. 13. S. Auguſtinus. *Charitatem bibiſti. Si noſti illam Deus charitas eſt. Si ergo charitatem bibiſti, dic mihi in quo loco bibiſti? Si noſti illam, ſi vidiſti illam, ſi amas, unde amas? Quidquid enim bene amas, charitate amas.*

Lib. 3. ad Boniſ. cap. 5. Idem. *Sine ipſa verè* (Fide) *etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.*

Libr. 1. cap. 6. Author Tract. de Vocatione Gentium. *Ita humana natura in primi hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta, & auxilia Dei, ſemper in deteriorem eſt proclivior voluntatem, cui committi, non eſt aliud quam dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, inſtabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, &c. nihil in ſuis habet viribus, niſi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tan-*

tò

to citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.

ANIMADVERSIONES.

1 VEnenum quod reliquæ de hoc titulo propoſitiones diſperſum continent, præſens collectum tenet, atque incautis propinat, ſub ſæpiùs vſurpato ſpecioſo prætextu commendandi Chriſtum, fidem, & charitatem. Verùm nihil hactenus magis curavimus quam incomptam larvam iſtam retegere, quod præſertim fecimus explodentes propoſitiones ſub titulo *de Amore*, in queis hoc phantaſma pietatis Queſnellij, extollentis charitatem, & fidem ad errores ſuos perſuadendos, diſturbavimus, quos adhuc hac propoſitione inſtaurare adnititur, quamvis illa fuerit iam per Summos Pontifices Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. inter Baianas, hic adnotatas, quia nec ſemel relatas, proſcripta. *Prop. 11. 25. 34. 39. Baij.*

2 Ad præſens autem inſtitutum, ſat deſignatum per Anonymum propoſitiones locantem, quod maximè videtur à Queſnellio intendi eſt, exinanire liberum arbitrium, vſque ad totalem ob tenebrationem luminis rationis, & vſque ad omnimodam virium voluntatis impotentiam; ex quo neque intellectus poſsit circa quæcumque cognoſcibilia, non errare: neque voluntas valeat circa quæcumque appetibilia non peccare, ſemel quod homo ſupponatur divina gratia, & charitate privatus; ſine quibus apud Queſnellium, & Janſenium, neque Chriſtus eſt, neque vlla fides, quæ quicquam conferat ad quodcumque opus, & quomodolibet bonum, ſeu ſaltem non malum, agendum.

3 Hic eſt ſenſus propoſitionis à Queſnellio intentus, expreſſus, & reſpondens ſuis in reliquis erroribus, quem & Anonymus ſatagit confirmare teſtimonijs, quæ ad ipſum ſignificandum allegat, illi tamen apertiſsimè adverſatur Tridentinum, vel cum docet liberum arbitrium non fuiſſe totalitèr amiſſum, ſed viribus tantum attenuatum, & inclinatum; vel cum anathematizat aſſerentes, opera facta ante iuſtificationem, eſſe peccata, & attritionem *Seſſ. 6. cap. 1.* *Can. 5.* *Can. 7. & 8.*

peccatoris, eſſe hypocriſim. Hæc namque præſenti theſi firmantur.

4 Eſt & inſuper ſenſus palàm repugnans his perſpicuis ſententijs SS. PP. (Pag. 541 n. 43. & ſeq.) quibus affirmant manere in anima poſt peccatum lumen, quo ſaltèm videt, & horret (Pag. 557 n. 34.) ſe obnubilaſſe perfectiùs lumen: manere vires quibus ſaltem poteſt conari ad reſurgendum, & implorare fidem vivam, gratiamque quibus excutiat tenebras, & (Pag. 566 n. 127. ubi alia not.) peccatum. Quæ teſtimonia (Pag. 542 n. 103.) quia iam expenſa contra præcedentes propoſitiones, modo non ſunt inculcanda: (Pag. 506 n. 15. & ſeq.) quemadmodum neque alia quam plurima quibus Patres aſſerunt infideles, & Paganos, ſine fide, ſine Chriſto, ſine charitate, poſſe honeſtè operari, & reipſa bona aliquando opera moralia egiſſe. Hæc enim etiam abunde ex ſuperioribus conſtant.

5 Alijs itaque, nec minùs manifeſtis eorumdem Patrum teſtimonijs, hoc ipſum argumentum contra præſentem propoſitionem vrgendum eſt, quo adhùc pleniùs innoteſcat veritas cauſæ quæ tam multis, & invicem cohærentibus ſuffragijs confirmatur. Et primò, ad redarguendos apertè Queſnellium, & Anonymum, vtar Scriptura per SS. Auguſtinum, & Chryſoſtomum interpretata. Ad illa namque verba: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me: da mihi intellectum ut diſcam mandata tua* (Pſ. 118. 73.): S. Auguſtinus ita vel inquirit, vel dubitat. *Nonnè ipſi natura humana intellectus eſt inditus, ut eo diſcernatur à pecore?* (Conc. 18.) *Aut ſic eſt deformata peccando, ut etiam hoc in ea reformandum ſit?*

6 Nimirum, vt Apoſtolus de Gentilibus ait: *Sicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui: tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum: qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt, &c.* (Ad Epheſ. 4. 17. & ſeq.) De his autem inquit S. Auguſtinus priori dubitationi reſpondens, non ſunt intelligenda illa verba Pſalmi, ſed de ipſis Epheſijs, quibus Apoſtolus ſcribit, & dicit: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ* (V. 23.); & quos ibi, & capite ſequenti, de multis peccatis redarguit, hortaturque ad pœnitentiam; quæ *non ſolum Epheſijs*, ait S. Chryſoſtomus, *ſed nobis quoque nunc dicuntur.* (Hom. 13.)

7 In iſtis ergo peccato-

ribus;

ribus, quia non, ſicut illi Gentiles, malitia ſua obcæcati ſunt, & deſperantes; non ſunt etiam tales tenebræ, quales dicit Queſnellius, nempè, tantum ad aberrandum, & ad ſemper peccandum. Non enim ille intellectus naturæ inditus, omninò per peccatum oculos, & lumen amiſit, niſi quando neque ullus timor Dei (quem maximè Queſnellius reprobat) peccatori relinquitur. *In mentis oculis*, ait S. Chryſoſtomus, *fit cordis excæcatio, quando nullus timor animam concutit.* Ergo non aberrat, nec penitùs obtenebratus eſt peccator, qui adhùc ſine fide viva, ſine charitate, ſine Chriſto cui adhæreat, timet, & concutitur.

Ibi, Hom. 23.

8 Non quidèm aberrat, nec omninò cæcus eſt intellectus qui quamvis obnubilatus, lumen proprium habet ad implorandum fidei lumen, & ampliorem intellectum. Ita S. Auguſtinus. *Propter hos igitur interiores oculos, quorum cæcitas eſt Deum non intelligere: ut aperiantur, & magis, magiſque ſerenentur, fide mundentur corda, Da mihi, inquit, intellectum, ut diſcam mandata tua. Quamvis enim niſi aliquid intelligat, nemo poſſit credere in Deum, tamen ipſa fide qua credit, ſanatur, ut intelligat ampliora.* Non ita porro Queſnellius, qui abſolute de omnibus peccatoribus, etiam non obduratis, aſfirmat adeò obcæcatum habere lumen rationis, ut neque petere queant intellectum, neque valeant quidquam intelligere, ut poſſint credere: quia *aliud eſſe non poſſunt niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum.*

Id, ſup. Pſalm.

9 Cui iterùm contradicit apertè S. Auguſtinus ſequentia addens. *Qui ergo dicit Deo: Da mihi intellectum ut diſcam mandata tua, non omnimodo expers eius eſt, velut pecus, nec ita quamvis homo, ut in eorum numero deputandus ſit, qui ambulant in vanitate mentis ſuæ, obſcurati intelligentia, alienati à vita Dei. nam ſi talis eſſet, nec hoc diceret. Non autem parvi eſt intellectus noſſe à quo poſcendus eſt intellectus.* Non iam non parvi, ſed nullius intellectus ſunt Queſnellio, quicumque peccatores, ſivè obdurati, ſivè non, ſive ex infirmitate, ſivè ex malitia, ſivè ſemel, ſive pluries peccantes, quoniam ipſe omnes,

nes, nullo dempto, in eorum numero deputat, quos Apoſtolus obtenebratos, cæcos, deſperantes dicit.

10 Unde Epheſios cum Gentibus excæcatis iniquè confundit, atque impie, & erroneè ipſe, & Anonymus, de eiſdem, & de alijs quibuſcumque peccatoribus, audent hac propoſitione dicere, id ipſum quod illi iuxta Apoſtolum fuere, ante ſuam ab idololatria converſionem, videlicet: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, multiplici indiſcretione errantes, dum peccata, & peccatores confundunt, & dum ad id abutuntur verbis Apoſtoli, qui alias perſpicue peccatores, peccata, & tempora diſtinguit: quare ad ea S. Chryſoſtomus ait: *Hoc eſt, & vos aliquando his digni fuiſtis, ſed amplius non eſtis.* Rom. 13

11 Non porrò ijs denſiſsimis tenebris quicumque peccantes ſunt digni, vt penitùs obcæcati reddantur, & lumen rationis totalitèr in ſe extinguant, nec ſaltèm videant ſe obnubilatos, & lumine fidei vivæ, gratiaque egentes, vt ad implorandum à Deo intellectum, ſuamque amicitiam, conſurgant, & conentur. Quin, & inter ipſos Gentiles, qui non omninò vitioſi erant, vt fuere iſti, de quibus S. Paulus; lumen habebant non ſolummodò ad aberrandum, ſed & aptum, ſufficienſque ad diſcernenda, & ordinanda vtilia temporalia, circa quæ honeſtè, & laudabilitèr in Republica, & multis rebus ſe gerebant.

12 De hoc non adhuc ambigendum, iudicat Sanct. Proſper, inſignis alias divinæ gratiæ aſſertor, & S. Auguſtini vindex contra Pelagianos. *De illis*, inquit, *qui alieni à gratia Chriſtiana, quædam ad ſimilitudinem legalium mandatorum proprio iudicio ſanciebant, intelligentes mores Civitatum, concordiamque populorum non poſſe alitèr contineri, niſi vt rectè factis præmia, & peccatis pœna decernerentur: quis ambigat, hanc ſapientiam humano generi ad temporalis vitæ vtilitatem ex natura à Deo conditæ ſuper eſſe reliquijs? Si enim neque ad iſta terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata eſſet, ſed extincta natura.* Pulchra profectò iſta, & expreſsiſsima adverſus Queſnellium, prolata alioqui à fidiſsi- Cont. Collat. cap. 22.

diſsimo Auguſtini Diſcipulo, & Interprete.

13 Non itaque homines illi quamvis alieni a gratia Chriſtiana, & ideò ſine lumine fidei, ſine Chriſto, ſine charitate, ita erant obtenebrati, vt nihil niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum forent. Quod ſi de iſtis hæc verè, & rationabilitèr affirmat S. Proſper, quantò magis de Chriſtianis quamlibet peccatoribus, in quibus adhùc fides, & ſpes remanent, cenſendum eſt, non penitùs lumine rationis deſtitutos, non omninò impotentes eſſe, quales ſua propoſitione depingit Queſnellius, vt nec ſaltem reſidua fide quid quam videre queant, neque ſpe remanente vllo modo ſublevari valeant?

Pag. 607 num. 12. 14 Vehementèr his erroribus reclamat S. Bernardus, tùm teſtimonio ſuperiùs allegato, cum & alijs æquè expreſsis ſententijs, quibus aſſerit, quin & data opera propugnat, manere in anima peccante, trinam ſimilitudinem cùm Deo, conſiſtentem *in Simplicitate eſſentiæ, in Immortalitate, & in Libertate arbitrij.* Ac tria hæc nequaquam per peccatum deleta fuiſſe, ita conſtanter affirmat, vt cum ſibi objiciat nonnulla Scripturæ loca quæ videntur contrarium ſonare, inquit: *Et in Deo, & in anima ſunt, & ſemper inſunt, nec eſt, quod nos aliquid horum dixiſſe pœniteat, ita totum ſubnixum eſt indubitata, & abſolutiſsima veritate. Sed quod Scriptura loquitur de diſſimilitudine facta; non quia ſimilitudo iſta deleta ſit, loquitur, ſed quia alia ſuperducta.* (Ser. 81. de Cant.; Ser. 82. in Cant.)

15 Ad cuius confirmationem allegans illud: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* (Thren. 4.) Inquit: *Obſcuratum aurum plangit, ſed aurum tamen: mutatum colorem optimum, ſed non fundamentum coloris revulſum. Manet in fundamento prorsùs inconcuſſa Simplicitas .... Perſeverat nihilominùs in omni anima cum originali duplicitate generalis ſimplicitas .... Perſeverat æquè immortalitas .... Factum eſt non quidem vt libertate propria nudaretur .... manente libertate, proptèr voluntatem.* Hæc omnia, iuxta Bernardum, manent, perſeverant, relinquuntur animæ peccantis cum apud Queſnellium non maneant, non relinquantur

illi

illi niſi tenebræ, niſi aberratio, niſi peccatum, & generalis impotentia, ac reliqua funeſta quæ in priori propoſitione, & in alijs de hoc titulo habentur.

16 Iam ſi quæras ad quid maneat in anima ita ſordibus peccatorum deturpata, tam excellens cum Deo ſimilitudo? Reſpondet S. Bernardus: vt videns homo quantam ex peccato ſuperinduerit diſſimilitudiné, factus iumentis inſipientibus ſimilis, hanc perhorreſcat, quia illam deformavit. *Nam manet prima ſimilitudo, & ideò illa plus diſplicet, quod iſta manet. O quantum bonum iſta, quantumque malum illa!* Et quid ex tanto horrore, & diſplicentia? Vt nimirum clamet ad Deum, & ex timore tantæ turpitudinis, confugiat ad infinitam clementiam, ſperet veniam, revertatur vnde diſceſsit.

17 Hæc enim adhùc in peccatis iacens, facere poteſt, cum Dei adiutorio, anima Chriſtiana: & quamvis illa reprobentur à Queſnellio execrante horrorem turpitudinis culpæ, clamores peccatoris, ſpem ſine charitate, poteſtatemque propriam ad accedendum ad Deum; approbantur tamen à Bernardo, vt appareat quam diſſimiles ſint eius *Reflexiones morales*, à Queſnellianis. Ait quippè: *Cum ergo anima tantam in ſe vna rerum diſtantiam cernit, quidni clamet inter ſpem, & deſperationem poſita, Domine quis ſimilis tui? Trahitur in deſperationem pro tanto malo, ſed revocatur in ſpem à tanto bono. Inde eſt, vt quo ſibi plus diſplicet in malo quod in ſe videt, eo ſe ardentiùs ad bonum quod æquè in ſe conſpicit, trahat, cupiatque fieri ad quod facta eſt ſimplex, & recta, ac timens Deum, & recedens à malo. Quidni recedere poſſit, ad quod accedere potuit? Quidni accedere, à quo recedere potuit?* *Ibid.*

18 Peccatori itaque ad hanc ſui ad Deum converſionem, relinquitur inextinctum rationis lumen, quo ſe aberrantem intuens, non certò aberrat, ſe agnoſcens peccatorem, non ſanè peccat; imò ſe in tenebris veræ ſui cognitione latentem invenit, vt ita per horrorem, per lachrymas, per gemitus, per clamores convertatur ad Deum. Nam id, quamvis ingratum Queſnellio, expreſſum etiam eſt S.

S. Bernardi, alibi peccantem animam admodum miſeram deſcribentis, ſed tamen potentem hac vera ſuæ miſeriæ cognitione ad ſalutem accedere. *Nonnè*, inquit, *ſe ita intuens clara luce veritatis inveniet ſe in regione diſſimilitudinis, & ſuſpirans miſera, quam iam latere non poterit quod verè miſera ſit ... cum ſe perceperit oneratam peccatis, carnalium deſideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam.... proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes.*

Ser. 36. in Cant.

19 At inquit Queſnellius. Etiam, & idcircò, quia ita ſe miſerrimam anima videt, non poteſt è tenebris oculos mentis extollere, non poteſt levare caput: quin tanto horrore, & tot ærumnis percita, ad peccatum, ad tenebras convertetur, non ad ſalutem, non ad aliquam veram cognitionem, niſi lumine fidei vivę, & in funiculis charitatis trahatur. Verùm audiat S. Bernardum id ipſum ſibi ſtatim, & elegantèr obijcientem. *Undè huic iam extollentia oculorum? Undè levare caput? Nonnè magis convertetur in ærumna ſua dum configitur ſpina?*

20 Non equidèm, reſpondet illicò. *Convertetur inquam ad lachrymas, convertetur ad planctus, & gemitus, convertetur ad Dominum, & in humilitate clamavit: Sana animam meam, quia peccavi tibi. Porrò converſa ad Dominum accipiet conſolationem, quia Pater eſt miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* Per ea igitur media, tantopere exoſa Queſnellio, poteſt anima Chriſtiana converti, convertetur que, non per charitatem, quam ipſe cenſet cum eis medijs imcomponibilem, quamque, converſa, accipiet à Deo: vt perſpicuum ſit, quod adhuc ſine charitate poſſumus eſſe non tenebræ, non aberratio, non peccatum.

21 Hæc ſatis, & manifeſta contra Queſnellium. Venio iam ad Anonymum conantem illius errorem conſulcire contra ſententiam adeò expreſſam S. Bernardi. Quod facit argumentis adeò infirmis, vt exiguo negotio refutentur. Et quod attinet ad textum S. Pauli in ſua reflexione allegato, Sup. n. 4. liquet ex ſupradictis quantum ab illius ſenſu, theſis Queſnellij diſtet.

22 Quin, & teſtimonium quod aducit ex illa S.

Clementis I. Epiſtola (non eſt eiuſdem indubitatum opus) intelligendum eſt iuxta ea quibus SS. Auguſtinus, & Chryſoſtomus exponunt verba Apoſtoli ad Epheſios, nempè, de Gentilibus, ſeu Idololatris, obcæcatis, & mente prorsùs captis, quorum vita proindè mors erat. Teſtimonium enim, quod mutilatum, ſub nomine Clementis, affert Anonymus, integrum eſt huiuſmodi. *Epiſt. ad Corinth. ex Coteler. 1.* *Qui mente eramus capti, & adorabamus lapides, ligna, aurum, argentum, atque æs, hominum opera, & tota noſtra vita, nihil aliud erat quam mors.*

23 Prior etiam locus S. Auguſtini, nihil ad præſentem theſim confert, manifeſto ipſo ſenſu ſuo, ſub quo neque alius latet. *Ex Ser. 23. in Pſal. 72* Quis enim ambigit, quod qui charitatem iam bibit, quodcumque ex ea amat, benè amat? Amat profectò benè, imò, & perfectè, & fructuosè. Sed an ideò qui bonum aliquid ante charitatem amat, non bene amat? *Pag. 420 num. 10.* Ineptiæ. Vide ſup. In poſtremo loco, non aſſerit S. *Ex lib. 1. ad Bonif. cap. 5.* Doctor, quod vertuntur in peccata opera bona ſine fide facta; ſed opera *quæ videntur bona*; nimirùm illa, quæ ſubrepente vanagloria, foris apparent bona, & intùs vitiantur. *Prop. de Amore. Pag. 306* De quibus abundè ſuperiùs.

24 Uultimum ex Authore Tract. *de Vocat. Gentium* teſtimonium, eſt hoc ipſum vndè, iuxta Anonymam, Queſnellius deſumpſit verba Propoſ. XXXIX. *Pag. 171 in Reflex.* Illud tamen neque ad illam, neque ad iſtam confirmandam pertinet, quoniam toto cœlo diſtat à ſenſu, & propoſito vtriuſque, ſenſus, & intentum laudati Authoris. Qui eo loco quod tot eis verbis ſatagit ponderare, eſt, *Lib. 1. cap. 6.* periculum imminens, ex vitio naturæ humanæ cadendi in philautiam, & vanam gloriam, dum vult etiam honeſta opera facere: proptèr quem facilem lapſum, ait, illa *in deteriorem eſt procliuior voluntatem.* Et quod *tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.*

25 Ubi notandum quod dicit *tanto citius propinquat*, non verò ait, *tanto magis deficit, & peccat*, vt ex Queſnellio allegato ad prædictam propoſ. tranſcribit Anonymus, vt appareat quam infidelitèr, & captiosè ambo verba Patrum vſurpant, ac ſi idem omninò foret, propinquare

ini-

iniquitati, & iniquitatem ipſam perpetrare: eſſe pronum ad peccandum, & reipſa peccare. Non itaque tranſtulit, ſed vitiavit, ex laudato Authore, Queſnellius, verba quæ ex iſto ibi Anonymus allegat.

26 Quod autem ille intenderit prædicto teſtimonio ponderare dumtaxat periculum vanæ gloriæ in voluntate vitiata ex peccato: & quod propterea aliena ſit mens illius a ſenſu præſentis propoſitionis, in qua non periculum, ſed tenebræ, ſed aberratio, ſed peccata ipſa de voluntate enuntiantur: patentiſsimè liquet ex toto illius capitis contexto, vndè ſententiam deſumpſit Anonymus; maximèque ex paucis verbis, quæ ſub illo *&c.* veluti clauſa, & inallegata prætermiſsit: qua porrò ſinceritate, iudicent qui legant; hæc namque ſunt. *In cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloria quam virtutum avidior, famæ quam conſcientia diligentior.*

27 Hæc profectò produnt manifeſte intentionem Authoris, quæ ſane non exprimunt voluntatem ex peccato omninò obtenebratam, reipſa aberrantem, & peccantem ſemper, ſed dumtaxàt pronam, ſed inclinatam ad peccandum, etiam per honeſta opera, ex cupiditate vanæ gloriæ, ex aviditate famæ, & honorum, elicita, vnde & ſubiungit: *Quia etiam ſi in bonis moribus agat, malè adhùc vivit, ſi non in Dei gloriam vivit.* Videlicèt, ſi ſui gloriolam in his quæ agit, Dei gloriæ præferat. Alioqui, ſi tantum non ea referat ad gloriam Dei, non propterea prava erunt eius ſtudia, ſed moraliter bona: non erunt actiones perverſæ, ſed honeſtæ, & quibus vitam decentèr exornet, & præmia temporalia mereatur; vt idem Author expreſsè tenet loco alibi à me allegato, & cuius verba palàm evincunt conſentaneam ipſi expoſitionem meam, & repugnantem eius menti intelligentiam Anonymi. Pag. 402 num. 19.

28 Sed enimverò iſte, & qui ſimilitèr protervi in ſuis perſiſtunt erroribus; neque illuminari ſe ſinunt à ſupremo Eccleſiæ Hierarcha, apud quem depoſitum eſt lucis illius, qui ſimul veritas irrefragabilis eſt, de ſe dicens, *Ego ſum lux mundi*: hi inquam ex cor-

corde obtenebrati, ex animo aberrantes, & ex malitia peccantes ſunt, dignique cum fulgorem reſpuunt, quod fulgure concidant, quia diligentes magis tenebras, quam lucem, per id probantur intellectu cœci, quia corde, & animo graviter affecti, quibus, & de reipſa quam diſcutimus, Nacianzenus poterat iſta dicere: *Ne hæretico ullo affectu tenearis .... Sunt enim quidam ita malè affecti, ut alios omninò perdita eſſe natura putent, alios ſalutem accepturæ: alios denique ut eos, vel ad virtutem, vel ad vitium voluntas duxerit, ita ſe habere.* Orat. 32.

KLL

XLI. PROPOS. COND.

Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi à Deo, & ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Rom. 1. 19. *Toute connoiſſance de Dieu, meme naturelle, meme dans les Philoſophes Paiens, ne peut venir que de Dieu: Sans la grace, elle ne produit qu' orgueil, que vanitè, qu' oppoſition à Dieu meme, au lieu des ſentimens de adoration, de reconnoiſſance, & de amour.*

REFLEXIONES ANONYMI.

VErſiculus S. Pauli aſſerit, cognitiones naturales quas Philoſophi habebant de Deo, ab ipſo Deo eſſe. Eiuſdemque Apoſtoli Verſiculus 21. dicit, illos, eis cognitionibus vſos fuiſſe, quemadmodùm his deſcribit P. Queſnellius. Itaque tota ſuæ propoſitionis doctrina S. Pauli eſt in præſenti loco.

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De Ver. Præd. & grat. ll. 1. cap. 22. & 23.

SANCT. Fulgentius, loquens de Philoſophis quorum mentio fit, cap. 1. Epiſt. ad Rom. *Illa itaque manifeſtatio, qua cognoverunt Deum, qui cognitum non dilexerunt, gratiam non habuit qua Deus ſic cognoſcitur, vt ametur. Quia ergo gratiam non acceperunt, proptereà cognoſcentes Deum, gratias non egerunt: & quia vaſa iræ fuerunt aptata in interitum, hoc in eis operata eſt illa manifeſtatio qua Deum cognoverunt, vt cognoſcendo ſuperbirent, non vt ſe humiliando, diligerent.*

ANI-

ANIMADVERSIONES.

1 HÆC propoſitio non abſimilis, ſed imò germana, & conſentanea videtur primæ quæ extat ſub titulo *de Amore Dei*, & quæ per Sacram Conſtitutionem *UNIGENITUS* damnatur ordine XLIV. Cum namque in ea Queſnellius reprobet omnem amorem naturalem non relatum ad Deum per charitatem; ex quo & ſæpius ingeminat, opera omnia Ethnicorum vitioſa eſſe, id quod neceſſario ſupponit defectuoſam naturalem cognitionem in eis qui ita operantur, & amant, facit ſimiliter theſim illam ab iſta omninò dependentem, vt quæ iſtius veluti appendix, aut conſectarium eſt. *Pag. 104*

2 Quapropter cenſeri debet comprehenſa eadem damnatione qua Pius V. & Gregorius XIII. confixere 34. & 37. propoſitiones Baij, & ſimul illa qua Alexander VIII. 7. & 8. proſcripſit. Quinimò aliquid amplius, & plane abominandum hæc ſignificat: quoniam affirmans cognitionem naturalem Dei venientem ab ipſo Deo, ſine gratia, non producere niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad Deum, tanquam inevitabiles ab homine effectus; per hæc, inquam, ſignificat prædicta opera eſſe per ſe, & propriè à Deo ſui cognitionem dante, & gratiam negante. Quod iam confoſſum eſt ſequenti, & iuſtiſsimo Tridentini anathemate. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona Deum operari ..... anathema ſit* *Seſſ. 6. Can. 6.*

3 Ne autem quis exiſtimet nos imponere Queſnellio ſenſum hunc adeò perverſum, iureque prædamnatum, ſciat illum, non tantùm à nobis, ſed ab eiùs defenſore Anonymo ſua reflexione indicatum, & explicatum eſſe, quem & miranda alioqui audacia S. Paulo adſcribit. Quia namquè Apoſtolus dicit, Deum ſe manifeſtaſſe Philoſophis, quem iſti non glorificaverunt, nec coluerunt: colligit, eos habuiſſe à Deo ſui cognitionem, quæ, ſine eius gratia, non alios niſi turpiſsimos, & deteſtandos in eis habuerit effectus: in eis inquam, qui Dei gratia caren-

tentes, hoc ipſo carebant poteſtate illos vitandi, vt decantatiſsima Queſnellij ex Janſenio doctrina eſt, propoſitionumque ſub hoc titulo materia propria, & quam Anonymus, teſtimonio quod allegat S. Fulgentij conatur confirmare, vt conſtabit attente legenti omnia, & comparanti.

4 Ut autem Queſnellij in hac theſi impietatem, & effrænatam in eius propugnatione Anonymi petulantiam ſimul demonſtrem, non alijs vtar argumentis, niſi ipſis Apoſtoli verbis, quibus nefarie abutuntur, adiuncta expoſitione SS. PP. Quamvis enim hæc propoſitio, quia eſt, vt dixi, veluti præmiſſa neceſſaria ad alias iam prænotatas *de Amore Dei*, ſat confutatione iſtarum exploſſa ſit; quia tamen artificioſa ſimulatione audent ad iſtam confirmandam præcerpere ſententias Apoſtoli quæ Janſenij doctrinæ aperte obſiſtunt, oportet oſtendere quantum eidem, & huic propoſitioni illæ repugnent.

5 Ad id evidentiùs evincendum, neceſſe eſt præmittere verſiculos ipſos à Queſnellio, & Anonymo allegatos, & ſimul alium præcedentem, aliumque intermedium ab eis prætermiſſos. Ita enim ſe habent. *Revelatur enim ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitiam detinent: Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & divinitas: ita vt ſint inexcuſabiles. Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* *Epiſt. ad Rom. c. 1. v. 18. 19. 20. & 21*

6 Ita Apoſtolus, ex cuius Verſiculo 19. colligit Queſnellius quod omnis cognitio naturalis Dei, etiam in Paganis, non poteſt venire niſi à Deo: Et ex Verſiculo 21. affirmat Anonymus deſumptum ab eodem, quod ea cognitio, ſine gratia, non producit in Paganis niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad Deum. Quapropter, quod tota hæc propoſitio intendit, & ſignificat, eſt, Paganos non potuiſſe à ſe, & ex naturalibus, habere cog-

nitionem etiam naturalem Dei, niſi à Deo illis fuiſſet immiſſa: quæ tamen ſine gratia, non ad vllum bonum opus, ſed dumtaxat ad peccandum valuit.

7 Senſum illum naturaliſsimè ipſa verba præſeferunt. Inſupèr ille ſolus aptus eſt ad rem de qua hìc agitur, quia probat in Paganis invalidum omninò lumen rationis ad vllam veram cognitionem Dei; & eorum voluntatem prorsùs impotentem ad aliquid boni agendum ſine divina gratia: quæ eſt propria præſentis inſtituti materia, & ad quam has propoſitiones ipſe Anonymus determinat. Deinde, locus quem affert S. Fulgentij, Paulini textus expoſitorius, niſi ad id ipſum ſignificandum traheretur, impertinentèr allegaretur, cum non aliud videantur eius verba ſonare.

8 Ac verè cuncti SS. PP. ſenſum alium, & huic apertiſsimè repugnantem tradunt, & ita apprimè conformem intento, & verbis Apoſtoli, vt tam eius menti conſentaneus ſit, quam Queſnellianus adverſus. Præmittit namque S. Paulus, V. 18. Iram Dei de Cœlo revelatam in homines impios, & iniuſtos, qui ipſam Dei veritatem in iniuſtitiam detinent. Et ob id, tantæ animis cæleſtibus iræ? Utique. Quia verum Deum quem potuerunt omnes, vel ex ipſa cœli fabrica agnoſcere, & agnoverunt; Deus enim illis manifeſtavit: potuerunt ſimilitèr colere, & non coluerunt. Idcircò, de Cœlo ipſo revelatur ira Dei in eorum impietatem. Hilarius Diaconus: *Ex ipſa enim* Comment. in 1. Epiſt. ad Rom. *Cœli fabrica iratus illi Deus videtur. Idcirco enim tam pulchra aſtra condidit, vt ex iis quantus, & quam admirabilis Creator eorum eſt, poſsit agnoſci, & ſolus adorari.*

9 Non erat itaque extinctum in eis lumen naturale, quo poterant Opificem Cœlorum, naturæ Authorem agnoſcere: non erant prorſus invalidæ voluntatis eorum vires, quibus poterant cognitum Deum adorare. Et ſi quæras, vnde, aut quomodò Dei cognitionem habuerunt? Reſpondet Apoſtolus: *Quia quod* V. 19. *notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit.* Sed non acquieſcit S. Chryſoſtomus; *Unde nàm*, inquit, *liquet* Homil. 3. *quod ipſis indidit Deus ſui cognitionem, ò Paule? Propte-*

verò quod inquit, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis. Hoc ipſum verò ſententia eſt, non demonſtratio. Tu porrò mihi adſtruito, probato, ac declarato, quod cognitio de Deo illis manifeſta fuerit, & quod ſponte ſua illam prætermiſſerint. Undenam igitur manifeſta erat? Vocem è ſupernis immiſit illis Deus? Nequaquam.

10 Cum ita Chryſoſtomus vrgeat Paulum vt adſtruat, probet, declaret, nec tantum proferat, vndenàm Paganis cognitio Dei, & vnde illis manifeſta? Quod ſtatim Apoſtolus planiſsimè explicat; non cauſentur Queſnellius, & Janſeniſtæ, ſi ipſos præmimus vt nobis dicant; vnde & quomodo venit à Deo, cognitio ſui naturalis, quam Philoſophi Ethnici habuerunt? Nam illam venire à Deo, dicit Queſnellius; ſed cum nihil amplius explicet, & aliunde ſæpiùs, & clariſsimis verbis aſſerat, nullam rationis lumen, niſi tantum ad aberrandum, peccatores habere, potiori ratione dubitamus de illorum ſenſu. Imò, nec dubitare licet, quod ſi intellectus Ethnicorum ſolummodò valet ad aberrandum, minimè ex naturalibus poterat hanc ſummam inter omnes veritatem agnoſcere, niſi Deus ipſe eis vocem, & lucem ſingularem de illa, e ſupernis immitteret.

11 At nequaquàm ita illis notam fuiſſe, docet Chryſoſtomus ex ipſo Apoſtolo ſe apertiùs ſic explicante. *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & divinitas.* V. 20 Quarè S. Chryſoſtomus prioribus ſequentia ſubiungit. *Sed quod illos voce validiùs illicere poterat, id fecit mundi creatione in medium propoſita, vt poſsit ſapiens, rudis, Scytha, Barbarus ex ipſo aſpectu eorum quæ oculis ſubiecta ſunt, pulchritudinem edoctus, ad Deum conſcendere.*

12 Erat igitur in quolibet Pagano, ſeu Philoſopho, ſeu barbaro, lumen rationis ſufficiens, vt poſſet ex his quæ videbat, & naturaliter cognoſcebat, conſcendere ad cognitionem naturalem Dei; ex his quæ animus noverat, ſurgere ad incognita quæ non noverat. Hanc enim facultatem, & potentiam agnoſcit Chryſoſtomus in intellectu cuiuſ-

cumque Pagani, nec minùs expreſſe in cunctis Hilarius, dicens. *Notitia Dei manifeſtata eſt ex mundi fabrica. Ut enim Deus qui natura inviſibilis eſt, etiam viſibilibus poſſet ſciri, opus factum eſt ab eo, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret, ut per certum, incertum poſſet ſciri.*

13 Et quidèm id adeò certum viſum eſt S. Auguſtino, vt non dubitaverit, allegato Salomone dicente non potuiſſe Gentiles agnoſcere Deum, aſſerere manifeſte comprobari contrarium ex Apoſtolo. Quare inquit: *Quos arguit Salomon, non cognoverunt per creaturam Creatorem; hos autem arguit Apoſtolus, cognoverunt; ſed gratias non egerunt.... Nam ſapientes gentium quod invenerint Creatorem, manifeſtè idem Apoſtolus cum Athenienſibus loqueretur, oſtendit; cum enim dixiſſet: Quia in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus, addidit. Sicut & quidam ſecundum vos dixerunt.* In Propoſ. Epiſ. ad Rom.

14 Hoc ipſum ſæpè, ac præſentem Paulinum textum allegans, docet S. Auguſtinus, explicans quomodo ex creaturis potuere Gentiles agnoſcere Creatorem, quem & plures illorum ſapientes agnoverunt, lumine proprio rationis, ad id ex viſibilibus, & ex ſui ipſius animi cognitione, ducente, & eam operante, quod proptereà minimè erat in eis extinctum, aut omninò obtenebratum: quamvis poſteà illo, & ea cognitione perversè vtentes, tenebris peccatorum obnubilatum reddiderunt. Ser. 55. de Verb. Dom. Et 141. de Temp. De Verb. Dom. Serm. 1.

15 Undè ex ipſo ſui intellectus lumine, & propria ſupra ipſum reflexione, pervenire poterant ad hanc Dei naturalem cognitionem. Ita enim intelligit S. Thomas verba illa Pauli: *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Ideſt*, inquit, *quod cognoſcibile eſt de Deo ab homine per rationem, manifeſtum eſt in illis, ideſt, manifeſtum eſt eis ex eo quod in illis eſt, ideſt, ex lumine intrinſeco.* Lumen ergo ipſum, quemadmodùm, & aliæ creaturæ: & erat medium, eiſque maximè coniunctum, ex quo, & erat facultas, aut potentia, cuius virtute, cognitionem naturalem Dei habere potuerunt. Lect. 6.

16 Sic namque, quod notum eſt Dei manifeſtum erat in illis, & Deus illis manifeſtavit. Etenim, inquit S. Thomas: *Deus dupliciter* Ibid.

tèr aliquid homini manifeſtat, uno modo infundendo lumen interius, per quod homo cognoſcit .... Alio modo proponendo ſua ſapientia ſigna exteriora .... Sic ergo Deus illis manifeſtavit, vel interiùs infundendo lumen, vel exteriùs proponendo viſibiles creaturas. Dixeratque paulò antea: *Huiuſmodi autem cognitionem habuerunt per lumen rationis: Pſalm.4. Multi dicunt quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Hæc iam ſatis ad oſtendendum quam apertè contradicit Apoſtolo, & tot graviſſimis eiuſdem Interpretibus, Queſnellius affirmans, lumen naturale intellectus Ethnicorum, quod & medium, & principium tantæ cognitionis eſſe naturalitèr poterat, fuiſſe in eis omninò tenebroſum, validumque tantummodò ad aberrandum.

17 Cum autem voluntatis, & arbitrij humani libertas, & potentia ad benè agendum, ſic dependeat à ratione verum cognoſcente, & rectè iudicante, vt ab iſta tanquam à ſui origine deducatur, & per rectum, aut pravum rerum iudicium, tanquam per primordialem rationem, bona, aut mala voluntas probetur: & quia natura humana ob id, ac maximè ob hanc Dei cognitionem ex viſibilibus, ſupra alias naturas extollatur; aiente S. Auguſtino. *Videamus quatenùs Ratio poſſit progredi à viſibilibus, ad inviſibilia, & à temporalibus ad æterna conſcendens: Non enim fruſtra, & inaniter intueri oportet pulchritudinem Cœli, ordinem ſyderum, candorem lucis, &c.* Et poſtea: *Itaque ſi rationalis vita ſecundum ſe ipſam iudicat, nulla iam eſt natura præſtantior.* *De Vera Relig. cap.29.*

18 Quia inquam, hæc certa, & explorata ſunt, propterea nec dubitare licet, quod Sapientes Ethnici qui eam de Deo cognitionem ex ſe ipſis, & ex alijs creaturis habuere, liberè poterant colere, & glorificare Supremum Opificem Deum: neque enim ea cognitio talis erat, vt eos ad cultum raperet neceſſariò: neque è contra, erat adeò inanis, & fruſtranea, vt nullatenùs illos ad gratitudinem, & pietatem moveret, & allliceret: ergo æquè poterant colere, & non colere Deum, gratias illi agere, & non

agere; ſine vlla vlterioris gratiæ, aut auxilij neceſsitate, quo poſſent benè agere: quemadmodum non eguerunt voce è ſupernis immiſſa, ad Dei notitiam habendam.

19 Nam neque Apoſtolus, neque prædicti Patres, iſtius gratiæ meminere: defectu cuius, ſi prorsùs neceſſaria foret, Ethnici Deum non colentes, excuſabiles redderentur. Quinimò S. Paulus poſtquam dixit Deum ſe illis manifeſtaſſe per ea quæ ab ipſo facta, ab eiſdem erant intellecta, dicens: *Ita vt ſint inexcuſabiles*, continuò addit tanquam vnicam inexcuſabilitatis rationem:

V. 21. *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Apertè ſignificans, ſolam illam cognitionem fuiſſe eis ſufficientem ad glorificandum, & adorandum Authorem rerum ab ipſis cognitarum, in queis ſempiterna eius virtus, & diuinitas reſplendebat.

20 Quapropter S. Chryſoſtomus, cum ſuperioribus verbis dixiſſet: *Quod cognitio de Deo illis manifeſta fuerit, & quod ſponte ſua illam prætermiſſerint*: quo ſatis innuit eorum poteſtatem liberam, nam per illud, *Sponte ſua*, non ſolam coactionem, ſed & omnem neceſsitatem excludit: id ipſum poſtea clariſsimè explicat his verbis. *Pro doctrina mundum in medium propoſuit: dedit mentem, & cogitationem quæ poſſet quod conueniens erat, intelligere: nulla re eiuſmodi ad ſalutem vſi ſunt qui id temporis vixerunt homines; quin potiùs quod acceperunt, id detorquentes in contrarium inuerterunt. Quid igitur faciendum erat? Ad neceſſitatem, ac vim veniendum? At non hoc licet fortibus, ac virtute præditis.* Ibi ſum

21 Profectò ſi à Janſenio, ſi à Queſnellio hoc quæreretur, planè reſponderent, veniendum vtique, non ad vim, ſed ad neceſsitatem inductam per gratiam, cui illi nec reſiſtant, nec reſiſtere valeant. Opus namque ea eſt quibus, ſine illa, nulla eſt potentia ad Deum glorificandum, & colendum, quibus ſine ea, hæc penitùs impoſsibilia erant. Ita illi. Ast, non ita Chryſoſtomus apertè dicens, Ethnicos potentes, fortes, virtute præditos ad eas con-

venientes actiones, per hoc tantum, quod mente, lumine rationis pollebant, & quia ipſa mundi cognitione tanquam doctrina dirigebantur.

22 Similitèr S. Theodoretus, ait: *Quod enim Deum eſſe cognoverunt, ipſi quoque teſtificantur ...... bonas autem, & quas par eſt opiniones de ipſo habere nolunt.* An verò nolunt, quia non poſſunt? Minime. *Stultas enim cogitationes ſecuti ſunt, & infidelitatis tenebras ſua ſponte ſuſceperunt.* Si rurſum quæras, vnde hæc illis poteſtas libera? *Cum vidiſſet*, inquit, *eos* (Deus) *nec velle per opificium ad effectorem deduci, neque vi rationis indita, meliora in rebus agendis eligere, deteriora autem fugere, illos ſua providentia privavit.* En ergo in eis voluntatem liberam, potentem eligere vi rationis indita.

In Epiſ. ad Rom.

23 Hanc eamdem potentiam ex prædicta cognitione, agnoſcit in eiſdem Ethnicis, Hilarius Diaconus dicens. *Potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere; fabrica mundi teſtificante Authorem Deum ſolum diligendum .... ſed impij facti ſunt non colendo Creatorem.* S. Thomas hoc etiam multis ibidem docet, & præſertim cum probat culpam illorum non fuiſſe ex ignorantia, inquiens: *Oſtenditur per hoc quod Dei cognitionem habentes, ea non ſunt vſi ad bonum.* Poterant ergo illa benè vti, alioqui culpa eorum, tametſi non ex ignorantia, non adhuc foret culpa.

Vbi ſup.

24 S. Auguſtinus qui ſæpè, aut plerumque de bonis actibus, & de potestate benè agendi ſic loquitur, vt ea attribuat gratiæ; cum iſta Apoſtoli verba exponit, nulla de gratia mentione facta, ſolummodò dicit: *Cognoſcentes Dominum, non vt Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Hoc caput eſt peccati .... Qui ſi gratias egiſſent Deo qui dederat hanc ſapientiam, non aliquid tribuiſſent cogitationibus ſuis.* Ex ea ergo cognitione potentes erant gratias agere, qui, quia ſic cognoſcentes non egerunt, peccavere.

25 Verum locupletiùs adhùc, & expreſsiùs ad rem eſt aliud eiuſdem S. Doctoris teſtimonium, pro-

latum occaſione quæſtionis quam agitat de eo, quod lex naturalis non videtur differre à lege gratiæ, eo quod ſi hæc dicitur in cordibus ſcripta, illa etiam videtur ſcripta in cordibus, vt de qua ait Apoſtolus: *Gentes quæ legem non habent, naturalitèr quæ legis ſunt faciunt.* Ad hanc quæſtionem enodandam, cenſet altius repetendum, nempè à noſtro textu, ſenſum Pauli, dicens: *Deinde loquitur de illis impiis quibus proptèr ſuperbiam, nec cognitio Dei profuit, quia non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.*

Rom. 2. 14.

De Spir. & Lit. cap. 26.

26 Cumque item præmittat: *Nec moveat, quod naturalitèr eos dixerit, quæ legis ſunt facere, non Spiritu Dei, non fide, non gratia.* Ne dicta à Paulo tantùm accipiantur de Gentilibus poſtquam ad Evangelium venerunt, de quo nos ſupra, poſtea hæc de Gentilibus noſtri textus habet. *Si autem hi qui naturalitèr quæ legis ſunt faciunt, nondùm ſunt habendi in numero eorum quos Chriſti iuſtificat gratia, ſed in eorum potiùs etiam impiorum, nec Deum verum, veracitèr iuſtèque colentium, quorum quædam tamen facta, vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundum iuſtitiæ regulam, non ſolum vituperare non poſſumus; verumetiam meritò, rectèque laudamus.*

Pag. 558 n. 154.

Ibi cap. 27.

27 Horum bonorum operum ſtatim hanc vnicam rationem agnoſcit, deſignatque: *Quia non uſque adeò in anima humana Imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt.* Rurſus: *Huiuſmodi homines ipſi ſibi ſunt lex, & ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis, ideſt, non omnimodò deletum eſt, quod ibi per Imaginem Dei cum crearentur impreſſum eſt.* Ex quibus ritè perpenſis, evidentèr colligitur S. Auguſtinum non abnuere, ſed expreſsè fateri in eis Ethnicis, *ſine Spiritu Dei, ſine Fide, ſine gratia,* poteſtatem liberam ad actus naturales gratitudinis erga Deum, quem Authorem ſui, & mundi naturalitèr cognoverunt lumine proprio rationis, non omnimodò deleto per culpam originalem, ſeu perſonalem.

28 Quinimò nec negat quod prædicti homines ipſa

ta fecere naturaliter bona quædam, & laudabilia, contentanea lumini rationis, ſeu legi naturali, vt affirmat Apoſtolus. Cumque præcipua pars legis naturalis ſit, vt *agnitus honoretur Creator*, vt ex laudato Hilario, ſub nomine Ambroſij, ſuperiùs diximus, quod etiam ſæpiſsimè docet S. Auguſtinus, dicens: *Nullam creaturam colendam eſſe animæ .... ſed ipſum tantummodò rerum quæ ſunt omnium Creatorem*: atque id eſſe præcipuum legis naturalis, imò & Philoſophiæ documentum, alibi affirmat: laudatque Varronem, quod hoc ipſum exiſtimavit, quamvis in cognitione Dei, quæ dicitur quidittativa, erraverit; poteſt etiam exinde colligi, neque prorsùs abſonum eſſe, neque futurum ingratum Auguſtino, ſi dicatur nonnullos, & ſapientiores ex Gentilibus, vt fecerunt alia opera laudabilia, hoc maxime ſuæ de Deo cognitioni conſentaneum non omiſiſſe, quod erat colere Deum quem naturaliter ex creaturis agnoverunt.

[*Pag. 515 num. 19. De Quæſt. An. c. 14. Lib. 2. de Ord. c. 7. Libr. 1. Muſ. c. 1. Libr. 4. de Civit. cap. 31.*]

29 Iam verò ex his manifeſtum eſt, quantum textus iſte Apoſtoli, eiuſque enucleatus ſenſus, tot SS. PP. acceptus, diſonet propoſitioni Queſnelij, quamque impudenter Anonymus illum malitiosè præoccupat, audens aſſerere totam propoſitionis doctrinam, S. Pauli eſſe in hoc loco. Cum revera ita illi adverſetur, vt ſumma illius, & expoſitionum Patrum, hæc longè alia, & aperte contraria propoſitio ſit. *Cognitio naturalis Dei in Philoſophis Ethnicis, eſt à lumine proprio rationis, dato à Deo, & ex creaturis ab ipſo conditis; quæ ſine alia gratia poteſt producere in omnibus, & producit in aliquibus, affectus naturales adorationis, gratitudinis, & amoris.*

30 Hæc eſt vera propoſitio, & doctrina Apoſtoli à SS. PP. illuſtrata, ex diametro oppoſita Queſnellianæ: illaque evincuntur falſiſsima, & erronea eſſe quæ in ſuperioribus effutit de infidelibus, & impijs, apud ipſum, impotentibus quicquam boni agere; quæ à nobis ſæpiùs refutata, denuò ex modo dictis, & planè refelluntur. Supereſt autem, vt teſtimonium S. Fulgentij, allatum

tum ab Anonymo examinemus, quod quia expoſitorium etiam textus Paulini, poterit cuiquam videri, non admodum cum laudatis Patrum expoſitionibus conforme, & propterea non omninò diſſidens à ſenſu Queſnellij.

31 Sed enimverò longè alius eſt ſenſus S. Fulgentij à Queſnelliano, & ab eo quem deducit Anonymus, nolens diſtinguere, aut amans confundere, omnes illos Philoſophos Ethnicos de quibus quæſtio eſt, actuſque omnes, & ſtatus diverſos illorum. Omnes namque lumine ſolo rationis potuerunt Deum cognoſcere, & cognoverunt, quod affirmant Apoſtolus, & Fulgentius, negat autem Queſnellius. Omnes item, ex ea cognitione potuerunt glorificare Deum (& fortaſis aliqui glorificaverunt) quod aſſerit Apoſtolus, & cum alijs PP. S. Fulgentius; inficiatur autem Queſnellius. Ubi ergo eſt conſonantia illius Sancti Patris cum Queſnellio?

32 At inquit Anonymus: S. Fulgentius ait: illa cognitio de Deo *gratiam non habuit*, & idcircò non amaverunt Deum: ergo in hoc cohærent, quod ſanè aliud non eſt, niſi nihil boni fieri poſſe ſine gratia Dei. Sed, rogo, an proindè conſtet, quod ea cognitio produxerit in eiſdem præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad Deum? Eſtne prorsùs idem, ſeu eſt conſequens omninò neceſſarium, non amare Deum ob defectum gratiæ, & tot illa perpetrare peccata, aliàs cauſata ex ipſa cognitione Dei?

33 Deindè, ſi Anonymus attenderet, vt debebat, ad intentum S. Fulgentij, & ad verborum contextum, inveniret profectò ſenſum veriſsimum, & longiſsimè diſſitum à Queſnelliano. Propoſitum namque, & ſcopus Sanct. Doct. ibi eſt, comparare notitiam quam illi Philoſophi de Deo habuerunt, cum notitia quam per fidem nos habemus, iuxta illud quod ibi laudat: *Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Marc. 4. 11. Atque ex vtraque, hanc colligit differentiam, quod cognitio noſtra ſecum habet, vel affert, gratiam, & charitatem, quibus amare poſſumus, & amamus Deum; eique gratias poſſumus

mus agere, & agimus, actibus qui conferunt ad ſalutem.

34 Alia autem cognitio Dei in Ethnicis, quia naturalis, neque habet, neque affert ſecum gratiam, & charitatem: Unde quia *gratiam non habuit*, illi nec gratias egerunt, aut potuerunt agere; neque amaverunt Deum, aut potuerunt amare, actibus conducentibus ad ſalutem, in ſenſu nimirùm alibi explicato, & cunctis accepto, quem & ipſe S. Fulgentius manifeſtat per hæc quæ ſtatim addit. *Tali ergo cognitione, ablata excuſatio eſt, non collata ſalvatio.* Loquitur ergo de cognitione non valente conferre ad ſalvationem defectu gratiæ. Non verò loquitur de cognitione non valente ad aliquid bonum naturalitèr agendum, ut vult Queſnellius: alioqui per eam non auferretur eis excuſatio.

Pag. 522. num. 10.

35 Quamvis iſte ſit genuinus ſenſus integræ ſententiæ Fulgentij, qui & ſtatìm ſe offeret illam legenti; adhùc tamen videtur poſſe aliter exponi, quia nimirùm indicat ſe loqui de Ethnicis excæcatis, & malitia ſua obduratis, qui cum cognoviſſent Deum, non ipſum glorificaverunt, ſed imò ea cognitione ſuperbientes, falſos Deos coluere; propter quod non fuit illis collata gratia, ſed potiùs meritò negata, atque ita *vaſa iræ fuerunt aptata in interitum.* Quem ſenſum ſignificant verba illa etiam: *Hoc ita eis operata eſt illa manifeſtatio*, ſcilicet, obcæcationem, non per ſe, & directè, ſed per accidens, & culpa ipſorum; & inſuper ita apparet ſibi conſtans S. Fulgentius, dum etiam ait nullam fuiſſe relictam illis excuſationem.

36 In eodem ſenſu debent, niſi fallor, intelligi ut optimè concilientur, duo loca Sacræ Scripturæ, & quorum antinomiam tetigit ſupra S. Auguſtinus. Unum eſt teſtimonium præſens S. Pauli, quo expreſsè dicitur Philoſophos cognoviſſe, & conſequenter potuiſſe cognoſcere ex creaturis Deum Authorem naturæ. Aliud eſt Salomonis, qui videtur apertè eis, & cognitionem iſtam, & potentiam ad illam negare, dicens: *Vani autem ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt*

N. 23.

Sap. 13. 1.

intelligere eum qui eſt; neque operibus attendentes, agnoverunt quis eſſet artifex.

37 Cum autem ad concordiam iſtorum textuum non ſatis ſit dicere, quod Salomon tantum negat Ethnicis potentiam, & cognitionem Dei ſufficientes ad ſalutem: nam manifeſtè liquet ſe non loqui de iſta, quia in ſequentibus ſatagit probare cognitionem quam illis negat, eſſe naturalem, ex effectibus quos ibi recenſet, & ex magnitudine, & ſpecioſitate illorum: Et inſupèr, quia nec potentiam, nec cognitionem, quas Paulus eiſdem Ethnicis concedit, tales ſunt, aut dici poſſunt, quæ ad ſalutem ſufficiant.

38 Quamobrèm exiſtimo, legitimam vtriuſque textus intelligentiam, & conſequentèr concordiam illorum, ſtare in eo, quod Salomon loquitur de Ethnicis iam culpa ſua, & multis, ac graviſsimis Idololatriæ peccatis, obcœcatis. Paulus autem loquitur de eis nondùm obduratis, & antequàm culpa ſua excœcarentur.

39 Priores quamvis cognoviſſent ex creaturis vnum Deum mundi Opificem, non tunc cum glorificantes, ſed potiùs poſteà falſos Deos tanquàm rerum Authores colentes, tot & talia flagitia accumularunt, vt corrupti, & abominabiles in iniquitatibus ſuis, nemo illorum fuerit deincèps intelligens, aut requirens Deum; & quorum vita tota mors erat, vt ſupra: qui propterea obcœcati, & iuſtè a Deo deſerti, omnimodam impotentiam, ſaltèm moralem, habebant ad Deum adhùc naturalitèr cognoſcendum. Atque his negat Salomon eiuſmodi potentiam, & cognitionem, quas habere poterant, ſi culpa ſua excœcati non forent, ad rectè de opere mundi iudicandum. Pag. 618. num. 22.

40 Alij autem fuere vulgò ſapientes Ethnici, vel etiam prædicti, antequàm in peccatis ſuis, & Idololatria obdurarentur: qui nondùm ſimilitèr omninò excæcati, poterant integro lumine rationis, ex creaturis cognoſcere Deum, & cognoverunt; vt affirmat Apoſtolus. At non ita poſtmodùm quando non ipſum, vt debebant, glorificantes, ad cultum demo-

mo-

monum ſe applicuere, & peccata peccatis ſuperaddiderunt. Tunc namque de his eodem modo loquitur Apoſtolus, ac Salomon: ille enim illos vanos homines appellat. Paulus etiam dicit, quod *evanuerunt in cogitationibus ſuis*; & facti ſunt culpa ſua cœci, nempè, vt Salomon inquit, *non attendentes operibus*, quia, *obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, ait S. Paulus. Atque ambo induratiſsimos iſtos per ſequentia depingunt in ſua Idololatria peccatores, ex impietate ſua penitùs obcœcatos, & à Deo iuſtiſsimè deſertos.
V. 26. *Propterea*, inquit Apoſtolus, *tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ.*

41 De eiſdem tanquam obduratis, loquuntur eodem modo laudati SS. PP. Apoſtolum exponentes, negantes eis in pœnam peccatorum hanc ipſam cognitionem naturalem Dei, & vim, ac directionem luminis rationis, quam antea ex Paulo illis conceſſerant, vt apud ipſos videri poteſt; ſicque modo ſit audire S. Theodoretum vbi ſupra de eis ita
V. 22. induratis, dicentem: *Illos* (Deus) *ſua providentia privavit, & tanquam cymbam abſque rectore ferri permiſit.* Undè noſtra de his textibus aperte firmatur intelligentia.

42 Ex qua, id alias contra Queſnellium, & ſuos defenſores obſervandum volumus, nempe eos inepte, aut ſubdolè confundere peccatores omnes, vno, duobus, aut quam plurimis peccatis irretitos, induratos, vel non, ex malitia, aut ex infirmitate peccantes, deſertos, vel non deſertos à Deo: vt de omnibus, iniquo prorsùs iudicio, quod iam notavimus, pronuntient ſic omninò obtenebratos manere, vt carentes omni veri cognitione, ſint etiam privati omni poteſtate ad quicquam boni agendum: imò ſolummodò ſint valentes cunctis ſuis actibus peccare. Pag. 579 n. 2. & ſeq. Pag. 514 n. 18. & ſeq.

43 Quæ dogmata vt manifeſtè repugnant textibus allegatis, quibus contra expreſſum à SS. PP. ſenſum ſui Authores abutuntur, planè etiam demonſtrantur ex multis capitibus erronea, abſona, temeraria. Atque item hoc ipſo toti mundo oſtenditur, & probatur rectiſsi-

 mum

mum iudicium per Sacroſanctam Conſtitutionem *VNIGENITUS* contra ea prolatum. Rectius equidèm, quam quod Queſnelliani, & Janſeniſtæ de actibus aliorum ferunt, cenſentes omnes, poſt vnum peccatum, peccata eſſe, iudicio manifeſte aberrante, peccante, & Authorem proprium condemnante, vel ideo inſupèr, & maximè, quod per ſummum nefas accuſare audet Deum veriſsimum per Vicarium ſuum errores adeò nephandos reprobantem.

44 Verumtamèn ſcitote: *Quod iudicium Dei eſt ſecundum veritatem*, ait Apoſtolus. (Ad Rom. 2.) Ad quæ verba Chryſoſtomus: (Hom. 5.) *Iudicium ipſe tuum non effugiſti, & Dei iudicium effugies? Quis tandèm hoc ita eſſe dixerit? Quamquam tu te ipſum iudicaſti .... Te ipſum tu temet condemnaſti. Deus autem admittet, probabit, ac laudabit? Quid id obſecro, rationi conſentaneum eſt? Quamquam quod ille abs te condemnatur, hoc maiorem tu te pœnam meveris.*

XXVII.

XXVII. PROPOS. COND.

Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Lucæ 8. 48. *Point de grace que par la foi, que eſt la premiere de toutes.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Tract. 3. in Ioan. 8 SANCT. Auguſtinus. *Quam gratiam primò accepimus? Fidem .... Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, ut eius peccata* (conſequentèr) *dimitterentur.*

De Incar. & Grat. cap. 10. S. Fulgentius. *Vita autem noſtra* (ſpiritualis) *à fide ſumit initium.*

In Appd. Tom. 10. S. Aug. Epiſt. Bonifacij II. Papæ. *Certum eſt enim, atque Catholicum, quia in omnibus bonis, quorum Caput eſt Fides, nolentes nos miſericordia divina præveniat, ut in Fide divemus.*

Ad Epheſ. 14. S. Ignatius. *Fides, & Charitas, initium vitæ, & finis ſunt. Principium vitæ fides, finis eiuſdem Charitas .... Omnia vero alia ad probitatem conſectanea ſunt.*

Libr. 1. Vig. 3. S. Hermas. *Prima earum* (virtutum) *fides vocatur .... Cateræ autem filiæ.*

Num. 3. S. Policarpus, idem, affirmat in Epiſtola ſua.

Libr. 1. cap. 23. Author Tract. de Vocat Gent. *Igitur fides, quæ bonæ voluntatis, & iuſtæ actionis eſt genitrix, quo ipſo fonte naſcatur, Apoſtolus Paulus exponat.* (Poſtque recenſitos ex illo quam plures textus, proſequitur) *Potuitnè pleniùs, aut evidentiùs demonſtrari, Dei eſſe donum, credentium fidem.* Ex cap. 24. *Abunde .... demonſtratum eſt, fidem qua iuſtificatur impius, niſi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis præcedentibus tribui, ſed ad hoc donari ut principium poſſit eſſe meritorum: & cum ipſa data fuerit non petita, ipſius iam petitionibus bona cætera conſequantur.*

Ad

Ad teſtimonium iſtud ſequentem Anonymus notulam addit. Iuxta hæc, Fides eſt quædam gratia : oportet ergo quod prima ſit, vt quæ omnium bonorum voluntatis motuum genitrix eſt.

REFLEXIONES ANONYMI.

Condemnabiturnè S. Paulus, qui tot expreſsionibus docet fidem eſſe primam gratiam, & aliarum omnium originem : qui & veritatem hanc tanquam baſim *Hebr. 11.* ſuæ doctrinæ ſtabilit, vel cum dicit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, &c.* Et quod, *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, &c.* Vel cum explicat (ad Gal. cap. 3. v. 22.) quod promiſsiones ex Fide Ieſu-Chriſti dantur credentibus : Et quod priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur. Vel tandem, cum deſcribens ſeriem, & œconomiam noſtræ ſanctificationis (ad Rom. 10.) demonſtrat, cuncta bona, & divitias ſalutis donari ei qui invocat Redemptorem, & quod fides debet hanc invocationem præcedere?

ANIMADVERSIONES.

1 Opportuniorē hæc propoſitio, ſequenſque, locum ſortirentur ſimul cum illa: *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſemine, & germine*; vt cum eumdem omnino ſenſum præſeferant, argumentis contra illam, & expreſsis SS. PP. teſtimo-*Pag. 456* nijs ſupra adductis, ſimul confoſſæ haberentur. Placuit tamen Anonymo has ſub præſenti titulo diſponere, quamvis videri poſsit prorſus impertinentèr. Nam, quid ad omnimodam voluntatis humanæ imbecillitatem, quod fides ſit prima gratia, & aliarum fons, quodque nullæ dentur gratiæ niſi per fidem? Profectò nihil, niſi forsàm velit donari nobis lumen fidei, loco luminis rationis quod propugnat peccato extinctum; vt per illud tantum, adhùc in naturalibus, rationales ſimus, & videamur.

2 Sed verò aliò iſta tendunt, & artificio ſatis malitioſo conſtant; nimirùm,

rum, ad dogma Janſenianum directè confirmandum. Nam vt omnem gratiam ſufficientem Queſnellius neget, ſolamque efficacem inſuperabilem, eamque conſiſtentem in victrici ex charitate delectatione, ad quicquam boni agendum, imò & ad poteſtatem operandi potentem, adſtruat, oportuit omnia alia principia rectè agendi, ſeu naturalitèr, ſeu ſupernaturalitèr, vel adiuvantia, vel expedientia voluntatis poteſtatem, exterminare; & ſolam fidem, non item quamcumque, ſed charitate formatam, & quæ per iſtam ſemper operetur, tanquam fontem gratiarum omnium, & principium vnicum cunctorum motuum bonorum voluntatis, ſtatuere.

3 Hic finis, & iſte eſt prædictæ propoſitionis ſenſus, palàm ſe prodens verbis, & propoſito Queſnellij, & clarè detectus defenſione ipſa Anonymi, quæ alias manifeſta accuſatio propoſitionis eſt, vt mox videbimus. Antea tamen cenſeri debet damnata per Tridentinum clarè docens: *Iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia* Seſſ. 6. cap. 5. *ſumendum eſſe*. Nimirum, ab illa qua peccatores excitati, vocati, adiuti, præveniuntur ad fidem: *Dum excitati divina gratia, & adiuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes.* Cap. 6. Non eſt ergo prima gratia fides, quæ aliam priorem, prævenientem ipſam, & totius iuſtificationis exordium, neceſſariò ſupponit.

4 Præterea, qui affirmat fidem eſſe primam gratiam, & aliarum omnium fontem, negat hauddubiè in infidelibus, aliam omninò gratiam præcedentem fidem; atque neceſſariò ſentit eos nullum penitùs influxum à Jeſu Chriſto accipere; hæc namque ſic connexa, & dependentia ſunt, vt vnum, & eundem ſenſum habeant, meritò alias condemnatum ab Alexandro VIII. in hac, quæ V. eſt, inter alias ab eo damnatas, propoſitione. *Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique huius generis, nullum omninò accipiunt à Ieſu-Chriſto influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſine omni gratia ſufficiente.* Quæ vt conformis cum Queſnelliana, aper-

tè

te indicat artificioſam quam notavimus locationem iſtius ſub præſenti titulo.

5 Neque tantum quia toties damnata, execranda eſt propoſitio, quæ imo deteſtatione omnium digna eſt, quia adverſè, & aperte pugnat cum Sacra Scriptura, & SS. PP. doctrina. Quod demonſtrare aggredior his eiſdem teſtimonijs, quibus Anonymus fraudulenta, qua ſolet, eorumdem præoccupatione, molitur illam ſuſtinere.

6 Primò, expreſsiſsimus eſt textus ille S. Pauli: *Credere oportet accedentem ad Deum, &c.* Sic tamen, non vt ab Anonymo, ſed vt à S. Auguſtino contra ipſum, & Queſnellium intelligitur, & exponitur, ſententia alibi allegata, nempè, *præveniente, & vocante miſericordia Dei*, neque enim aliter poteſt quis accedere, vt credat. Ergo prior eſt gratia præveniens, & miſericordia vocans, quam fides.

Ad Hebr. 11.

Pag. 449 n. 14.

7 Itèm Apoſtolus dicens: *Fides eſt ſperandarum rerum ſubſtantia*, non ideò cenſet fidem præcedere omnes divinas gratias, ad quas Anonymus ſignificationem verborum violenter extendit, ſed tantùm quod præcedit ſpem Theologicam, tanquam eius fundamentum: qua ratione, velint nolint ipſe, & ſuus Queſnelius, eſt etiam prior charitate, in qua ipſi totam gratiam noſtram ponunt. Ad fidem autem quæ ita præcedit, præſupponitur gratia vocationis, ſine qua impoſsibile eſt credere quæ non videntur, & ſperantur videri. Ita expreſſe S. Auguſtinus ad hæc ipſa Apoſtoli verba: *Crede quæ non vides. Non te deſeruit qui vocavit vt credas, quamvis iuberet te illud credere quod non potes videre.*

Hom. 32.

8 Rursùs, vbi Apoſtolus totam œconomiam ſanctificationis hominum deſcribit, hoc ipſum manifeſtè innuit. Ut namque prior eſt fides, quam invocatio, priuſque audire quam credere: vtque prædicatio debet præcedere auditionem: ita etiam ad fidem debet præſupponi gratia, quæ nemini deeſt ad movendum cor eius vt credat: proptereà dicit Apoſtolus: *Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei.* Ad quæ Sanct. Chryſoſt. *In mente ſiquidem, lin-*

Ad Rom. 10.

Hom. 17.

lliguaſque tua ſalus eſt. Nam cum fiat *auditus per Verbum Chriſti*, vt ait Paulus, verbum eius ſecum affert cordi gratiam, & vnctionem Spiritus Sancti ad credendum, qualem experti ſunt duo Chriſti Diſcipuli, de quibus alibi. Unde Chryſoſtomus affirmat Apoſtolum oſtendiſſe, *Quod totum hoc Dei gratia perfecerit.*

Pag. 159 n. 104. & 105.

Hom. 18.

9 Tantum itaque abeſt quod loca ex Apoſtolo ab Anonymo allegata opitulentur ſenſui Queſnellij, quod imò apertiſsimè reſtagantur. Neque per hoc tantummodò contrariatur Sanct. Paulo, ſed etiam quia totam illam, quam inſtituit, ordinatiſsimam noſtræ ſanctificationis œconomiam, invertit, & confundit, affirmans, primam gratiam eſſe fidem: cum alias in propoſitione XXVIII. (quam cautè Anonymus longè ab iſta, tametſi importunè, locat ſub titulo *de Eccleſia*, de quo tomo ſequenti) dicat: *Prima gratia quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Quæ cum præſenti collata, ex vtriuſque comparatione evincitur, aut Queſnellium ſibi peſsimè conſtare, aut impio, & temerario auſu pervertere, & confundere totam œconomiam, & ſeriem gratiarum, quibus, iuxta Apoſtolum, iuſtificatio agitur.

10 Nec minùs manifeſtè opponitur SS. Patribus, & præſertim S. Auguſtino. Omnes namque accuratiſsimè prædictas gratias diſtinguunt: & ante Fidem qua peccator ad ſanctificationem diſponitur, gratiam auxiliantem vt credat, conformitèr agnoſcunt, & palàm fatentur: quorum ſelecta de hoc teſtimonia in ſuperioribus adducta, ſat ſit ad marginem adnotare, vbi & expreſſiſsimas de re iſta S. Auguſtini ſententias retulimus. Cuius inſignis locus contra ſenſum Janſenij, quem Queſnellius hac ſua propoſitione promovere curat, ille eſt, quo clarè diſtinguit adiutorium Spiritus Sancti nondùm inhabitantis vt ſimus fideles, & adiutorium eiuſdem iam habitantis in nobis fidelibus.

Pag. 450 n. 16. 39. & 40.

Pag. 451 num. 39.

11 Prætereà, idem docet, & explicatiſsimè, contra hanc, & ſequentem theſes, definiens duas de hac re proprias quæſtiones, vnam, de aſſenſu fidei, & aliam de pia motione vo-

Pag. 462 num. 14. & ſeq.

luntatis ad credendum: ad quos actus neceſſariam omninò gratiam prævenientem aſſerimus; cohæreat pla- nè cum his quæ Tridentinum habet, & ibidem conformata allegantur. Cujus etiam ſenſus, cum ait, quod fides eſt *initium*, *radix*, & *fundamentum ſalutis*, ſic ibidem manet explicatus ex ipſo Concilio, & Auguſtino: ne Queſnelliani vocibus abutentes, exiſtiment ſibi ſuffragari. Eſt enim Fides initium, & exordium ſalutis ex parte peccatoris: Gratia autem præveniens fidem, eſt ejuſdem ſalutis exordium, & initium ex parte Dei.

Pag. 418 n. 4. & ſeq.

12 Innumera ſunt apud S. Auguſtinum, & præſertìm in poſterioribus, & contra Pelagianos ſcriptis, quæ gratiam priorem fide, & ad iſtam prorsùs neceſſariam, vel ſupponunt expreſsè, vel data opera probant, quæ dabimus cum ex ipſo demonſtremus gratiam ſufficientem, quam maximè hac ſua propoſitione inſectatur Queſnellius, quamque purum putum commentum dicit Janſenius, & ideo, infideles gratia omni deſtitutos fatentur: quoniam carentes fide, quæ apud iſtos Novatores prima gratia eſt, nullam habent qua potentes fiant ad credendum.

13 Illos autem redarguit apertiſsime, & ad rem noſtram opportuniſsime S. Auguſtinus docens omnes animas excelſas, & parvulas, accipere per Chriſtum inſpirationem, & illuminationem ut credant, & proindè præcedentes fidem, in quibus ſtat gratiæ ſufficientis notio, quam & auxilium à Domino appellat, & lumen interius omnibus præſentiſsimum per Chriſtum, *Verum lumen*, inquit, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum .... Quoniam de plenitudine eius omnes accepimus.*

Tract. 2. in Joan. 1

14 Omnes, inquam, nullo dempto, rumpantur licet Janſeniſtæ, Omnibus enim lux hæc affulſit, & præſens eſt, quam qui non vident, neque per eam vident, ſibi imputent, qui ab illa luce eis præſentiſsima ſe abſentes faciunt. *Quomodo*, inquit, *homo poſitus in Sole cæcus*, *præſens eſt illi Sol*, *ſed ipſe Soli abſens eſt: Sic omnis ſtultus*, *omnis iniquus*, *ſic omnis impius*, *cæcus eſt in cor-*

corde. Præſens eſt illi ſapientia, ſed cum cæco præſens eſt, oculis eius abſens eſt, non quia ipſa illi abſens eſt: ſed quia ipſe ab illa abſens eſt.

15 Tam illuſtri, & expreſſo teſtimonio, opponere audet Anonymus aliud eiuſdem S. Doctoris, (*Tract. 3. 8.*) neque longè, neque ab eodem propoſito (quod ibi adhùc proſequitur) alienum: ſed quo tamen vult contrarium ſignificari, vt Auguſtino, & continuò pugnantem inducat Auguſtinum. At nec pugnat, nec Queſnellio favet cum dicit: *Primam gratiam quam accepimus fidem eſſe.* (*De præd. SS. cap. 3.*) Nam quamvis aliquando in eo fuerit errore, quem ipſe retractat, quod, nempè, *fides non eſt donum Dei,* (*1. Retra. cap. 23.*) ſeu quod ad illam non præcedat gratia. In præſenti autem loco contrarium tenet, vt liquet ex verbis proximè adductis. Quod itaque his alijs ſignificat eſt, fidem formatam, & iuſtificantem (nam de hac loquitur cum paulòpoſt dicat: *Si conſecutus es iſtam gratiam fidei, eris iuſtus ex fide*) eſſe primam ordine dignitatis, non ordine generationis, ſeu exiſtentiæ: quemadmodùm dici ſolet charitas prima virtutum, ideſt, alijs excellentior, non prior.

16 Locus ex S. Fulgentio ab Anonymo adductus, ſententia eſt manifeſta contra Queſnellium, & alias conformis Tridentino, (*N. 10. & 11.*) & Auguſtino allegatis. Hæc namque integrè relata eſt. *Vita autem noſtra à Fide ſumit initium, quia iuſtus ex fide vivit. Quam fidem non ex voluntate noſtra naſci, ſed per Spiritum Sanctum vnicuique dari, beatus Paulus oſtendit, dicens: Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ . . . alteri Fides in eodem ſpiritu. Non ergo Spiritum Sanctum, quia credimus, ſed vt crederemus accipimus.* Aut ergo neget Queſnellius Spiritum Sanctum præcedere fidem, aut fateatur, fidem non eſſe primam gratiam.

17 Tota etiam Epiſtola Bonifacij II. redarguit ſimilitèr præſentem propoſitionem, & iniquam ſimul Anonymi fidem excerpentis ex SS. PP. verba, quæ dummodò intento ſuo deſerviant, minimè curat ſi eiſdem erroneos ſenſus adſcribat. Ante verba namque

Mmmm 2

que ab Anonymo laudata, hæc Pontifex habet: *Cum de hac re .... & maiores noſtri Apoſtolicæ Sedis Antiſtites ita ratione probentur diſſeruiſſe latiſſima, ut nulli ulterius deberet eſſe ambiguum fidem quoque nobis ipſam venire de gratia.* Et iterum: *Evidenter appareat, fidem qua in Chriſto credimus, ſicut & omnia bona ſingulis hominibus ex dono ſupernæ venire gratiæ.* Quid, quæſo, clarius, & apertius contra Queſnellium? Ergo cum in verbis immediate ſequentibus dicit, omnium bonorum caput eſſe fidem, non intendit eſſe primam gratiam, ſed eſſe ex parte noſtri initium iuſtificationis.

18 Utinam extaret opus *de Gratia, & libero arbitrio* Cæſarij Arelatenſis, cui hæc Epiſtola confirmans acta Concilij Arauſicani II. directa eſt, quia ille nunciaverat Bonifacio, nonnullos Galliarum Epiſcopos, adhùc poſt Concilium, tenere, quod quamvis alia opera bona ſint ex Dei gratia, fides tamen non erat donum Dei, aut ex eius præveniente gratia: quorum errorem Bonifacius prædicta Epiſtola refelut, & Cæſarium laudat, quod contra ſic in Gallia errantes, veritatem Catholicam propugnaverit iuxta ſenſum Concilij: *Quod etiam,* inquit, *fraternitatem tuam habita collatione cum quibuſdam Sacerdotibus Galliarum, iuxta fidem gaudemus ſenſiſſe Catholicam. In his ſcilicet in quibus eos ſicut indicaſti conſenſu, definierunt fidem, qua in Chriſto credimus, gratia divinitatis præveniente conferri.*

19 Ex quibus conſtat Cæſarium tenuiſſe, & defendiſſe tum in Gallijs, ubi maximè error ille increbuerat, fidem eſſe à præveniente gratia Chriſti, idque ex definitione Arauſicani; unde conſequitur neceſſariò, fidem non eſſe primam gratiam: quare Queſnellius contrarium affirmans manifeſtè contradicit Concilio; huic, inquam Arauſicano II. quo maximè Janſenius, Queſnellius, & cuncti Janſeniſtæ abutuntur, aſſerentes per illud ſua perverſa dogmata de Gratia, & libero arbitrio planè confirmari.

20 Inter quæ potiſsimum eſt, & veluti aliorum omnium caput, hoc de omnimoda impotentia voluntatis ſine gratia, ad quicquam boni agendum, ſed ſolum-

mo-

modò ad peccandum, quod eſt propoſitionum ſub hoc titulo argumentum, & ferè omnium aliarum præcedentium materia, & ſequentium *de Gratia* fundamentum: quod Janſeniſtæ ſtabilire nituntur pluribus ex laudato Concilio, & maximè ex illis: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*, ab Anonymo toties inculcatis, & obiectis: quæ à nobis conſtantèr ſic exponuntur, vt Concilium illo, & alijs Canonibus, tantùm voluerit voluntatem humanam ſine gratia, eſſe impotentem ad actus ſupernaturales meritorios, non autem ad actus naturales purè moralitèr honeſtos.

Can. 22.

Pag. 608 num. 16.

21 Utque liquidò appareat, quam id conforme ſit menti Arauſicani, audiendus eſt idem Bonifacius, qui certior factus per Cæſarium de mente, & ſententia Concilij, eam nobis aperit verbis, quæ à me obſervata, ab alijs ſedulò obſervanda volumus, vt per quæ ea machina Janſeniſtica funditùs corruit. Hæc enim ſuperioribus adnectit: *Adijcientes etiam nihil eſſe prorſùs ſecundum Deum boni, quod ſine Dei quis gratia, aut velle, aut incipere, aut perficere poſſit*. Illi itaque Patres, qui in Arauſicano diffinierunt, gratiam præcedere fidem; hoc etiam adiecerunt, quod ſcilicèt, nihil boni, non quidem generatim, ſed quod bonum ſit *ſecundum Deum*, fieri poteſt ſine eius gratia.

22 At nemini licet vel ambigere, quod bonum quod eſt, & dicitur *ſecundum Deum*, bonum eſt vndequaque perfectum, & apud ipſum meritorium: ergo hac limitatione apertè exprimit Bonifacius fuiſſe ſenſum, & mentem Concilij, neminem poſſe opus bonum ſupernaturale, & meritorium agere ſine divina gratia, ſcilicet, *prout oportet, prout expedit ad ſalutem, & vitam æternam*, quæ ſunt aliæ limitationes cum prædicta conformes, & ab eodem Concilio adhibitæ. Non itaque de eius patrocinio glorientur amplius Janſeniſtæ, cum teſtimonio iſto Bonifacij, præſenti propoſitioni clarè adverſetur, & alijs nequaquam ſuffragatur: quod fortaſis clarius adhùc appareret, ſi haberemus deſideratum illud opus Cæſarij Arelatenſis quo olim hos

Pag. 159 n. 157.

hos eoſdem errores ſtrenuè confutavit in Gallia.

23 Locus ex S. Ignatio ab Anonymo ex disiunctis ſententijs conſarcinatus, nec leviter ſignificat primam gratiam eſſe fidem; ſed quod eſt initium bonæ vitæ hominis, cuius perfectio, & conſummatio charitas eſt: id quod omnes Tridentino docente fatemur. Cum autem inter allegata verba hæc prætermittat Anonymus: *Hæc autem duo* (fides, & charitas) *quoties in vnum coeunt, Dei hominem perficiunt*; per ea ſat denotat S. Ignatius ſe non ſentire, quod ſola fides ſit aliarum gratiarum fons. Si quid verò dicit quod Queſnellio, & Anonymo apprimè quadret, eſt ſanè illud: *Erraticus, & falſus ſpiritus ſe ipſum prædicat, ſua loquitur .... eſt mendax, fraudulentus .... ſubdolus, verſuum conſarcinator, &c.*

Ad Epheſ. 14.

24 Teſtimonium Hermæ ex ſuo (ſive apocrypho, ſive veridico, quod modo non curo) libro *Paſtoris*, ineptiſsimè allegatur ad probandam fidem eſſe primam gratiam, cum ibi tantum dicatur, eſſe primam virtutem ordine, aut numero, ex ſeptem quas ſub ſpecie mulierum circa turrim Angelus monſtravit Hermæ, ſcilicèt, fidem, abſtinentiam, ſimplicitatem, innocentiam, modeſtiam, diſciplinam, charitatem: Ex quibus fides eſt prima, ideſt prior alijs ordine generationis, vel exiſtentiæ: non prima gratia, & fons aliarum, quo nomine auxilia quæque, & dona Dei virtutes ipſas etiam prævenientia ſignificantur. Neque Hermas dicit, reliquas enumeratas fidei tantum filias eſſe, vt Anonymus infidelitèr exſcribit: ſed, *Filia inquit invicem ſunt.*

Libr. 1. Viſ. 3.

25 Neque S. Polycarpus in ſua Epiſtola quidquam ſimile habet quo poſsit vere pronunciare Anonymus ipſum dicere hoc ipſum quod Hermas. Quod enim aſſerit eſt, fidem eſſe matrem omnium noſtrum ſupra quam ædificari debemus, ſed per Deum, & per Jeſum Chriſtum: quo innuit neceſsitatem prævenientis Dei gratiæ ad credendum. *Deus*, inquit, *& Pater Domini noſtri Ieſu-Chriſti, ipſe ſempiternus Pontifex Dei filius Chriſtus*

Epiſt. ad Philip.

tus Ieſus ædificet vos in fide. Et quidem cohærentèr ad illud Apoſtoli: *Dei ædificatio eſtis*. cuius fundamentum fides eſt, quod *Nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.*

1. Ad Cor. 3.

26 Ultimum teſtimonium ex Tract. *de Vocatione Gentium*, nihil aliud dicit, aut continet, niſi fidem eſſe initium bonorum operum, & perſeverantiæ, quæ ſunt non ex nobis, ſed dona Dei: fidemque ipſam quæ bonæ voluntatis, & iuſtæ actionis genitrix eſt, eſſe ſimilitèr Dei donum. Quod ſententijs Pauli confirmat, quarum vna hæc eſt: *Gratias agimus Deo, quoniam cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidiſtis:* quæ verba apertè ſignificant priorem fide eſſe gratiam qua Deus in nobis fidem operatur: ergo inepta eſt allegatio, ineptiorque notula Anonymi, dum quia fides hic dicitur bonorum motuum genitrix, colligendum putat, eſſe primam gratiarum omnium, ac ſi gratiæ prævenientis fidem genitrix ipſa foret.

1. ad Theſ. 2. 13.

27 Verùm multis alijs quæ omitto, & quiſque videre poteſt tam in loco ab Anonymo citato, quam in capite ſequenti per totum, ſatagit laudatus Author probare, & plurimis Apoſtoli teſtimonijs confirmare, quod fides eſt donum Dei ex gratia præveniente illam, quæ propterea prima ante fidem gratia eſt: vt appareat quam indignus fide, adhuc humana, ſit Anonymus; quamque adverſus fidei divinæ Queſnellius; vt nec quæ de hac iſte enuntiat, nec quæ ille pro illo allegat, ab vllo cordato credi debeant.

Lib. 1. cap. 23. & 24.

28 Nihilominùs, non deſunt homines adeo præiudicijs ſuis, & pervicacia arrepti, qui illis potiùs quam Vicario ſapientiæ divinæ loquenti ex Cathedra veritatis, fidem adhibeant: eiſque authoritatem attribuant, etiam ſupra inſignes gentiles ſuos; olimque ſibi probatos viros Hilarios, Cæſarium, Proſperum, alioſque, qui dogmata omninò contraria, ſed veriſsima, vt à Se-

Seſe Apoſtolica approbata
Ad ann. 453. tenuere, & docuere. *Ad quos* (verba facio mea, quæ iam fuere Cardinal. Baronij de Cæſario loquentis) *provoco Gallos illos qui turpiter à ſide refugę, ad hereticos transfugę defecere: videant quæ de Catholicis dogmatibus, quæ ipſi inſectantur ſenſerit Sanct. Doctor .... & quæ alij nobiles huius temporis Scriptores Eccleſiaſtici itidem Galli gentiles ſui, nempè Proſper Aquitanus, Hilarius ... & alij ſuis ſcriptis, vitaque ſanctitate, atque miraculorum virtute egregiè reliquere teſtata.*

XXVI.

XXVI. PROPOS. COND.

Nullæ dantur gratiæ niſi per Fidem.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Luce 8. 48. *Point de grace que par la foi.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

De perfect. Juſt. 19. SANCT. Auguſtinus. *Initium corrigendi cor, fides eſt; venies & pertranſies ab initio fidei.*

REFLEXIONES ANONYMI.

SI cuncta alia bona conceduntur fidei: ergo nullæ aliæ dantur gratiæ niſi per fidem.

ANIMADVERSIONES.

1 EOdem fuligine quo præcedens, hæc propoſitio denigrata eſt, quæ inſupèr ad Semipelagianiſmum rectà tendit, ſeu ex qua meliori argumentatione, quam iſta Anonymi, error ille ita firmatur: *Si nullæ dantur gratiæ niſi per fidem: ergo nulla ante fidem datur gratia per quam ſit fides.* Nam evidens eſt ex ipſa vocum ſignificatione, & terminorum propoſitionis ſenſu, quod per id quod non eſt, vel nondùm datum eſt minimè aliud, vel datur, vel dari poteſt. Unde manifeſtum eſt, quod fides prius debet eſſe, quam ulla alia gratia ſit, quæ non niſi per fidem & datur, & eſt.

2 Error itaque ille antiquus qui tot turbas movit in Gallia à Maſilienſibus acriter propugnatus, ſed fœliciori conatu ab alijs doctiſsimis viris, Sanctiſsimiſque eiuſdem Galliæ Epiſcopis, quorum memoria in benedictione eſt, viriliter expugnatus, hac tempeſtate inſtauratus apparet, ab orco revocatus per Queſnellium, cantoque

ab alijs ex eadem Gallia plauſu exceptus, vt non deſit qui illum præmunitum, & commendatum prædicet authoritate S. Auguſtini, illius nimirùm Sanctiſſimi Patris, qui conceptis verbis fatetur ſe de eo errore, qui aliquando ipſum tenuit, conuictum, & pœnitentem.

3 Quem propterea retractat, crebriuſque excutit, ac ſemper debellat eis validis argumentis, quibus & præſens propoſitio, vnde tantus error inevitabilitèr concluditur, manifeſtiſſimè refutatur. Quippe ait, tot illa Sacræ Scripturæ teſtimonia, quæ contra Pelagianos demonſtrant, ex conſenſu etiam Semipelagianorum, neceſſariam eſſe gratiam divinam ad cunctos vitæ actus ſalutares præcedentem iſtos; hæc ipſa clare probant eandem gratiam prævenientem neceſſariam etiam ad ipſum fidei initium, aliter, *Non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus .... ac per initium fidei noſtræ priores damus Deo.* Qua invicta ratione, vt à ſe errorem deplantat Auguſtinus, à Queſnelliana theſi patentèr oſtendit ſe abhorrere. *Conuictus ſum*, inquit, *cum ſimilitèr errarem putans fidem qua in Deum credimus non eſſe donum Dei .... Neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri.*

Libr. de præd. SS. cap. 1.

4 Id profectò putat, & palam aſſeverat Queſnellius dicens, nullas dari gratias niſi per fidem, quæ idcircò ſine vlla gratia, & ad reliquas omnes per illam dandas præexiſtere debet. Unde, & neceſſariò etiam ſequitur, quod accedentes ad fidem, deſiderantesque credere, nulla tunc gratia adiuvante accedant: atque infideles non accedentes, deſtituti ſine omni gratia, omni vocatione qua poſsint accedere; niſi dicatur (quod etiam Semipelagiani dicebant) ſufficere illis vt veniant ad fidem, prædicationem externam, & notitiam Evangelij, exhortationeſque, & comminationes pœnarum, quibus iuſtè punientur, ſi credere renuant.

5 Hæc ſanè ex præfata theſi conſectaria ſunt, ab omnibus meritò execranda. Etenim quod attinet ad has gratias purè externas quas ex ſe inſufficientes eſſe ſæpiſsimè docet S. Auguſtinus, iam Tridenti-

num

num demonſtratam habet omnimodam imbecillitatem illarum, & replicato anathemate percellit, dicentes: *Per legis doctrinam poſſe hominem iuſtificari.* Et, *Poſſe credere ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, & adiutorio.* Sed neque hoc intendere poteſt Queſnellius, qui ſolam gratiam Janſenianam interiorem, ſed inſuperabilem agnoſcit, qua vel infideles poſsint credere, vel fideles etiam iuſti, valeant quicquam boni agere; qua tamen, & omnia alia gratia interna, infideles per ipſum deſtituti, nihilominùs per ipſum etiam æternis cruciatibus digni cenſentur.

Seſ. 6. Can. 1. & 3.

6 Verumtamèn exindè, & maximè elucet ſuæ doctrinæ abſurditas, & repugnantia: nam ex ea ſequitur, ſupervacaneam eſſe Evangelij apud infideles prędicationem, fruſtraneas exhortationes vt credant, fatuas minas pœnarum, ni credant; vt qui per hæc tantum miniſteria, ſine interiori gratia credere non poſſunt, neque etiam id valent ſine gratia Janſeniana, qua actu irreſiſtibilitèr credant; neque hanc demùm ad fidem, quæ ab eis exigitur, prævenientem habent: ſed quæ per ipſam fidem dabitur ipſis, ex ſententia Queſnelij: Et tamen niſi ita impotentes credere, credant; decreto eiuſdem in æternum damnantur. Quis potis erit has compingere antilogias?

7 Iam verò propoſitio ex qua talia abſurda conſequuntur, habet apertè ſibi contradicentem S. Auguſtinum, & expreſsiſsimè quoties dedita opera confutat Semipelagianos: ac ſimilitèr S. Proſperum, & Hilarium, in Epiſtolis de illorum errore ad ipſum ſcriptis: quas adnotare ſufficiat, vt quiſque facilè queat adverſas huic theſi ſententias ibi invenire. Alia etiam S. Auguſtini teſtimonia nec minus obſtantia, omittimus, quia in ſuperioribus allegata, contentique ſumus paucis alijs, ſed clariſsimis mentem eius huic propoſitioni repugnantem demonſtrare.

Libr. de præd. SS. cap. 1. Ep. 217. 225. & 226.

Pag 419 n. 7. & ſeq.

8 Itaque, quod ſint gratiæ, & dona Dei, ſuaſiones, & vocationes quibus allicit interiùs voluntatem ad credendum: veriſsimum, & exploratum Auguſtino eſt, qui nec minùs expreſsè aſſirmat, fidem

dem per has gratias dari: ex quo & manifeſtè ſequitur, quod gratiæ iſtæ dantur, & quod non dantur per fidem. *Voluntas*, inquit, *qua credimus dono Dei tribuitur.* Rursùs. *Iſtam voluntatem divino muneri tribuendum .... quia viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, ſive extrinſecus per Evangelicas exhortationes, ſive intrinſecus .... his ergo modis quando Deus agit cum anima rationali vt ei credat; neque enim credere poteſt quolibet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat, profectò, & ipſum velle credere Deus operatur in homine.* Ergo quemadmodum error foret, & ab Auguſtino alienus, aſſerere, exhortationem Evangelicam dari per fidem, & non è contra: ſimiliter error eſt ſolius Queſnellij, & Auguſtino contrarius, affirmare gratiam vocationis dari per fidem, & non e contra.

Libr. de Spir. & litt. 34.

9 Rursùs. Peccator, ſive etiam infidelis, qui audiens Verbum Dei, & Divinam Legem, deſiderat, vel ad gratiam redire, vel fidem amplecti, ad eamque properat, aut venit; hoc ipſum deſiderium, greſſuſque illius, à gratia ipſum vocante, dirigenteque ſunt; vt proinde gratia iſta non per fidem quam forsàm tunc non habet, ſed imò fides per eam gratiam illi donetur. Ita Auguſtinus diſertè docet, & Scriptura confirmat. *Qui ergo legitimè lege vtitur, diſcit in ea malum, & bonum, & non confidens in virtute ſua confugit ad gratiam, qua præſtante declinet à malo, & faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, niſi cum à Domino greſſus hominis diriguntur, & viam eius volet? Ac per hoc, & deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt: de quo ait ille, Et dixi nunc cæpi: hæc eſt mutatio dexteræ excelſi.*

Libr. de Corr. & grat. c. 1.

10 Tandèm. Illuſtris textus S. Auguſtini alibì ſcrutandus, & contra Janſeniſticam gratiam expendendus, hic etiam contra Queſnellium prægustandus occurrit, vt quo à ſenſu ſuo in iſta, & aliis propoſitionibus, ſe maximè diſſentientem oſtendit: ſiquidem planè, & abſolutè affirmat, nemini, ſi-

ve

ve Pagano, ſive Judæo, ſive Hæretico, ſive Chriſtiano, & multipliciter lapſo, *auxilium miſericordiæ Dei negari*, dummodò de illa non deſperet, volens vltrò in nequitia ſua perſeverare. Iam verò, quis audeat dicere auxilium iſtud non eſſe gratiam Dei, donumque ipſius, & gratioſiſsimum; vtpotè inteſtis inimicis ſuis, & indigniſsimis hominibus præſtitum? Quod alias evidens eſt non dari per fidem Pagano, Hæretico, Judæo.

Expoſ. inch. Epiſt. ad Rom.

11 Venditet itaque fallacia ſua Anonymus patrocinium S. Auguſtini ſectatoribus ſui Queſnellij, quibus ſtultiſsimum eſt toties nomine, aut vmbra tantæ authoritatis decipi: nomine inquam, nam verba Sanct. Doct. quæ allegat, hoc tantummodò ſignificant, quod incunctantèr credimus, fidem nimirùm, eſſe initium vitæ Chriſtianæ, à quo, qui ad eam venit, pertranſire debet ad maiorem perfectionem, & eiuſdem incrementum. *Magna res eſt*, inquit, alibi S. Auguſtinus, *& vires maiores deſiderat vt poſsit capi, & eſt initium fidei, quod cuſtodit animam donec roboretur: lacte nutritur, vt perveniat ad habitudinem, & firmitatem cibi ſolidioris.*

In Pſal. 31.

12 Hæc, & veriſsima, demonſtrant quam falſum ſit quod vnquam cenſuerit, nullam gratiam hominibus dari niſi per fidem, quaſi nullo indigeat adiutorio qui venire incipit, quam qui pervenit, qui lacte nutritur, quam qui cibo ſolidiori alitur. Non hæc profectò eſt Auguſtini doctrina, quam inſupèr ſequentibus reprobat: *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles: non tamen ſolum concipi, ſed etiam naſci opus eſt, vt ad vitam perveniatur æternam. Nihil horum tamen ſine gratia miſericordiæ Dei: quia & opera ſi quæ ſunt bona, conſequuntur, vt dictum eſt, illam gratiam, non præcedunt.*

Lib. 1. Ad ſimpl. q. 2.

13 Igitur nunquam exiſtimare potuit S. Auguſtinus quod ad fidem quis venire valet, inchoatione quamlibet parva, ſine præcedente gratia: quæ proindè non datur per fidem; cum ad iſtius etiam conceptionem, nativitatem, neceſſa-

ceſſariò ſit ſupponenda. Ergo ab illo ita omninò diſentiunt, vt prorsùs Semipelagianis conſentiunt, Queſnellius, & Anonymus, negantes initium fidei eſſe per gratiam, dum temere propugnant, nullas dari gratias, niſi per fidem. Qui & poſtquam audent initium fidei privare gratia, machinantur adhuc, Caput ipſum fidei, Clementem XI. gratia, & poteſtate, ipſi à Deo datis ad errores omnes contra ipſam fidem coercendos, & confodiendos, expoliare. Quos meritò corripit S. Gregorius Magnus iurium Cathedræ Petri quam ipſe tenuit, egregius aſſertor. *Illud autem*, inquit, *admonemus, vt Apoſtolicæ Sedis reverentia nullius præſumptione turbetur. Tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi caput fidei nulla pulſet iniuria.* *Lib. 3. Epiſt. 37.*

XLII.

XLII. PROP. COND.

Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei : ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.

PROPOS. DU P. QUESNEL.

Act. 11. 9 *Il n'à que la grace de Jeſus-Chriſt, qui rende l'homme propre au ſacrifice de la foi : ſans cela rien qu' impureté, rien qu' indignité.*

REFLEXIONES ANONYMI.

PRopoſitio P. Queſnellij innititur textui ipſo citato: ſiquidem vox quæ ad S. Petrum loquitur, occaſione viſionis quam habuit magni illius lintei pleni omnis generis animalibus, quæ nationes omnes repræſentabant, cum illi dixit : *Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris* : per hæc ſignificabat, nationes has impuras fuiſſe antequam à Deo mundarentur : quæ & propterea non magis dignæ erant vt ipſi in ſacrificium offerrentur, quam illa immunda animalia, quæ earum ſymbola erant.

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Reg. Paſt. 3. p. c. 9. SANCT. Gregorius. *Hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod ante eius oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit.*

Carm. de Ingr. S. Proſper. *Omne etenim probitatis opus, niſi ſemine veræ*
Exoritur fidei, peccatum eſt, inque reatum
Vertitur, & ſterilis cumulat ſibi gloria pœnam.

Proſa in die Pentecoſtes. *Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.*

ANI-

ANIMADVERSIONES.

1 DEnuò hac propoſitione Queſnellius, & ſua Anonymus defenſione, renovant, & inculcant, quæ in ſuperioribus de perverſitate omnium humanorum actuum in peccatoribus ſive Ethnicis, ſive Chriſtianis, operantibus ſine fide, ſine gratia, ſine charitate, aduſque Lectoris faſtidium ab eis propugnata, & à nobis oppugnata ſunt: ſolamque quamdam ambiguitatem hæc propoſitio addit, vocibus illis: *Ad ſacrificium fidei.* Nam poteſt eſſe ſenſus, quod ſine gratia Chriſti nemo valet ſuum intellectum ſacrificare Dei revelationibus, aut illum captivare in obſequium divinæ veracitatis, & fidei: & in hoc ſenſu propoſitio repugnat duabus præcedentibus, quæ omnium gratiarum primam, & fontem, dicunt eſſe fidem; & inſupèr latens in verbis venenum habet, mox detegendum.

2 Vel poteſt ſenſus eſſe, quod ſine gratia Chriſti dignificante opera, & ſimul inſuperabili, non eſt homo aptus ad vllum ſui ſacrificium Deo reddendum: & in ſenſu iſto propoſitio prorsùs falſa, & abſona eſt; tùm quia ſignificat hominem deſtitui omni alia gratia, nempè ſufficienti, & qua aptus reddatur ad quicquam Deo ſacrificandum: tùm quia cenſet dignæ vt Deo à nobis offerantur, ſola opera gratia, & charitate valorata. Et conſequentèr, atque in vtroque ſenſu peccat, & nimis propoſitio aſſerens, alios quoſcumque actus ſine prædicta gratia eſſe impuros, & indignos. Quare & ex vtroque ſenſu concluditur, omnes actiones infidelis eſſe ante ſuſceptam fidem, perverſos; & omnia opera peccatoris fidelis eſſe ante acceptam gratiam, & charitatem, peccata.

3 In vno, & altero ſenſu extat damnata propoſitio, tùm per Tridentinum ſupra ſæpe allegatum, tùm Decretis Summorum Pontificum Leonis X. Pij V. Gregorij XIII. & Alexandri VIII. contra propoſ. Lutheri, Baij, & Janſenij, quorum ſupra mentionem fecimus. Atque eiſdem locis, aliiſque ab-

Seſſ. 6. Can. 7. &. 8.
Pag. 516 n. 25.
Pag. 557 n. 149.
Propoſ. de Amor.
Pag. 506

abundè, & expreſsè SS. PP. ſententijs demonſtravimus, quam longiſsime à conſenſione illorum, & à veritate aberret ſenſus iſtius, & ſimilium propoſitionum, quibus Queſnellius ſemper, & fraudulentèr molitur neceſſitatem gratiæ Janſeniſticæ ſuadere, vel ad eam perſuadendam his veluti præliminaribus ſtabilitis, viam parare.

4 Quamvis autem veriſsimum ſit, quod ſacrificium intellectus in obſequium fidei minime fieri poteſt ſine gratia Chriſti, vnde & manifeſtum eſt, fidem qua quis credit, non eſſe primam gratiam, & aliarum omnium fontem, quod enuntiat Queſnellius: Cæterùm, falſiſsimum eſt, quod in hac veritate captiosè latet, & quod ſub nomine *gratiæ Chriſti*, Queſnellius morem gerens Janſenio intendit, ſcilicet, non per aliam gratiam collatam homini per Chriſtum, ſed ſolummodò per gratiam efficaciſsimam, indeclinabilem, neceſsitantem, reddi infidelem aptum ad ſacrificium fidei, ſeu ad credendum.

5 Enimverò ita extollere voluit impotentiam omnimodam voluntatis quam propoſitiones de hoc titulo machinantur, intendens ſimul inſpirare, non alia gratia, neque alia virtute eſſe poſsibilem aſſenſum fidei, ſed ſola illa gratia cui Janſenius ait, *In ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*, quin proptereà pereat apud ipſos voluntatis libertas, quæ quamvis inſuperabilitèr neceſsitetur ad ſacrificium, non tamen cogitur invita, dum victrici delectatione, non nolens, ſed volens tametſi neceſſariò, illud offert; & hæc ſola à coactione libertas ſufficit vt prædictum ſacrificium ſit placabile, & meritorium.

6 Hoc eſt venenum in præſenti delitеſcens theſi, quæ gravida propoſitionum Janſenij, earumdem damnationi iure merito ſubiacet. Et ne fortaſis quiſquam putet nos fœdum fœtum iſtum imponere Queſnellio, credat ipſi ſic illum expliciſsime parturienti. *Nihil eſt quod libertati noſtræ metuamus, cum Deus illius, & Creator voluntatem noſtram inflectere aggreditur: id vnum metuendum eſt, ne huic obſiſtamus veritati, quæ nos docet ſpiritui eius obſiſti, ac contradici non poſſe, ſi quando vult electis ſuis victoriam de hoſtibus ipſorum ſalutis largiri, ac tribuere.* *Queſnel. in Luca 11. 15.*

7 Gratias itaque Queſnellio ob expreſſam ſuæ, & Janſenianæ mentis ſententiam, & ob ablatum per ipſum de libertate amiſſa per gratiam irreſiſtibilem, metum; quia licet inflectat inſuperabilitèr voluntatem, non tamen illam violentèr cogit vt hoſtes, & tentationes vincat. Etenim manifeſte in his voluntatem humanam de ſe omninò invalidam ſupponit: quæ neque divina gratia ita adiuvatur, vt valeat proprio libero motu bonum aliquod agere potens illud non agere: quæ idcircò ſola gratia indeclinabili ad benè agendum determinetur: neque propterea metuendum ſit libertati noſtræ, quamvis per hanc gratiam auferatur nobis tota, ſi qua eſt, vis, & facultas reſiſtendi: quin potiùs metuendum eſt, ſi obſiſtamus veritati divinæ aienti: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarij veſtri.* Luc. vbi ſup.

8 Ita Queſnellius perverſa expoſitione abutens verbis Chriſti Domini pro ſuo Janſenio. In ea tamen contra ipſum invenio argumentum præſentem propoſitionem penitùs evertens, & totas eius machinationes diſſipans, quod & adeò ineluctabile mihi videtur, vt non hæſitem Janſeniſtas omnes ad eius ſolutionem provocare. Argumentum ex Queſnellio ipſo, contra Queſnellium, ſimul & Janſenium, eſt huiuſmodi.

9 Qui metuit ne quis obſiſtat veritati divinæ aliquid affirmanti, debet neceſſariò agnoſcere in eo de quo id metuit, poteſtatem reſiſtendi, & non reſiſtendi; alioqui ſtultiſsimo cruciaretur metu, ſi nulla eſſet in illo potentia, & facultas libera ad reſiſtendum: quis namque niſi fatuiſsimè metueret, ne infans vnius diei giganti reſiſtat; aut ne monſtrum videat qui cœcus à nativitate eſt? At Queſnellius metuit, & metuendum docet, ne quis reſiſtat veritati divinæ dicenti, neminem ſpiritui eius reſiſtere poſſe: Ergo aut ſtultiſsime id metuit, aut tenetur fateri in quocumque de quo illud ſit prudentèr metuendum, vires & poteſtatem reſiſtendi, & non reſiſtendi.

10 Iam vero quæro à Queſnellio, àn omnis qui audit veritatem revelantem neminem ſibi poſſe reſiſtere, habeat ad præſtandum aſſenſum, gratiam Janſeniſti-

niſticam irreſiſtibilem, vel non? Si dicat habere illam: Ergo non eſt metuendum ne veritati reſiſtat, ne diſentiat, aut non illi credat; quemadmodùm iuxta ipſum, *Nihil eſt quod libertati noſtræ metuamus, cum Deus voluntatem noſtram inſiſtere aggreditur*, nempè gratiâ irreſiſtibili. Si autem dicat, tunc audientem revelationem, non habere prædictam gratiam indeclinabilem ad illi aſſentiendum: neceſſe omninò eſt fateatur, quod cum tunc habeat poteſtatem liberam, & expeditam aſſentiendi, & diſentiendi, reſiſtendi, & non reſiſtendi prædictæ veritati, alioqui ſtultè, vt dixi, de eius reſiſtentia metueret Queſnellius; habet profectò gratiam aliam à Janſeniana, ſive auxilium, quo poſsit veritati revelanti non reſiſtere, ſeu aſſentiri.

11 Idque adeò neceſſariò ſequitur, vt niſi illud Queſnellius concedat, compellitur affirmare, hominem ſine vlla gratia per Chriſtum reddi aptum, & ſufficientem ad ſacrificium fidei, hoc eſt, ad ſacrificandum prædictæ revelationi ſuum intellectum: tenetur que ſimilitèr retractare tot iam refutatas propoſitiones, in queis omninò invalidum, & impotentem hominem ad quicquam bonum operandum pronunciat; quin & devorare cogitur totum Pelagianiſmum, ſi quando prudenter metuendum eſt ne homo reſiſtat, vel non præſtet aſſenſum Deo revelanti, dicit, tunc ſine vlla gratia Chriſti hominem eſſe aptum, & ſufficientem ad credendum.

12 Per hos itaque anfractus, ad quos perſæpè trahuntur errantes, ad veram doctrinam nos ducunt verba ipſa Queſnellij eidem repugnantis: ea namque eſt conditio, & vis veritatis, vt ab eius inimicis etiam extorqueatur, dum quo magis conantur ei refragari, illam tamen ſuis ipſis negationibus, vel inviti affirmant. Cuius rei opportunum foret exemplum quod S. Auguſtinus obſervat in Davide pœnitente, ſi alias Regius Propheta, quod conſuetò facit, nolens, vt Queſnellius, faceret, ſcilicèt veritatem ipſam per id quod negat, aſſerere. Sed quamvis non ſit exemplum aptum Queſ-

nellio repugnanti veritati; quia tamen eſt manifeſtum contra hanc ſuam propoſitionem argumentum, oportet illud ad rem præſentem aptiſsimum proponere.

13 Quia namque David dolens de peccato ſuo, vel in perſona alterius pœnitentis, dicit Deo: *Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique, holocauſtis non delectaberis*; S. Auguſtinus obſervat, quod hoc ipſo quia negat Deum velle à peccatore ſacrificium, affirmat Deum velle ſibi offerri ſacrificium à peccatore. Ait namque: *Unde ille pænitens apud Prophetam, vel ipſe Propheta quærens Deum peccatis ſuis habere propitium, Si voluiſſes, inquit, ſacrificium dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis .... intueamur quemadmodùm vbi Deum dixit nolle ſacrificium, ibi Deum oſtendit velle ſacrificium.*

Pſal. 50.

Lib. 10. de Civit. cap. 5.

14 En itaque affirmatam nolitione ſacrificij, ſacrificij volitionem: ne pudeat Queſnellium, quod negatione reſiſtentiæ voluntatis humanæ contra divinam, reſiſtentiam ipſam affirmaverit: quod cum negat homini poteſtatem, liberam à neceſsitate, conſentiendi, & diſentiendi divinæ gratiæ, aſſerat, vel invitus, poteſtatem liberam à neceſsitate aſſentiendi, & diſentiendi veritati divinæ revelanti ſibi neminem obſiſtere. Pudeat tamen ipſum, & per maximè, quod cenſuerit nullum fieri Deo gratum ab infideli proprij intellectus ſacrificium, dum poteſtate illa libera, & expedita quam habet per gratiam Dei (non quidem Janſenianam) ad aſſentiendum, vel diſentiendum ſuis revelationibus, reipſa aſſentitur, potens reſiſtere, & diſentire.

15 Pudeatque ſimiliter, quod enuntiet nullum offerri Deo gratum ſacrificium a peccatore Chriſtiano, dum nondùm mundatus à peccato, neque habens gratiam, & charitatem, deſiderans verò mundari, cor ſuum timore iudicij, & horrore culpæ contritum, & humiliatum offert Deo, reddens Altiſsimo vota ſua. Licet enim tunc vterque nihil adhùc in ſe mundum, nihil purum, nihil dignum quod Deo offerat, habeat; clementiſsima tamen bonitas non ſpernit oblatum ſibi cor ita diſpoſitum, & ad

ad ipſum converſum. Hoc namque ſacrificium quod Queſnellius reprobat, Deo gratum affirmat David, etiam cum alia fore ipſi accepta negat. *Sacrificium*, inquit, *Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.*

16 S. Auguſtinus expresè aſſerit hoc ipſum velle Deum, quod nolle dicit Queſnellius. *Hoc unum eſt cor contritum, & humiliatum dolore pœnitendi*, quod multis ex Scriptura ibi confirmat. Et alibi. *Nihil ergo offeremus? Sic veniemus ad Deum? Et unde illum placabimus? Offert, ſane in te habes quod offeras . . . . Prorſus ſpernit taurum, hircum, &c. cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit.* Neque putandum eſt hoc dici peccatori iam mundato, ſed cui nondum data venia peccatorum eſt, dicitur; præmittit namque: *Audi, quod curam gerens pro peccato ſuo, & ignoſci ſibi volens malum quod fecit: Si voluiſſes, inquit, ſacrificium, dediſſem utique.*

Vbi ſup.

In Pſ. 50

17 Hæc duo, & ſat perſpicua teſtimonia Scripturæ, & Auguſtini, ſufficiunt ad revincendam præſentem propoſitionem, quæ illis ſenſu ſuo clarè, & abſurde contradicit, quemadmodùm & alijs SS. PP. qui ſimilitèr exponentes verba Pſalmi laudati, fatentur Deo accepta vota, & ſacrificia peccatoris ſerio, & ex corde converſionem, & ſalutem deſiderantis: quorum expresè contra Queſnellium ſententiæ de hac re, paſsim in ſuis expoſitionibus habentur. Videri etiam poſſunt quæ ſuperiùs, alias, ſed quo ad ſenſum ſimiles propoſitiones, confutantes, allegavimus ex SS. PP. quia ad eumdem hìc ut ibi errorem explodendum, valida, & opportuna ſunt.

Pag. 414 n. 5. & ſeq.

Pag. 448 n. 24.

18 Neque illum, vel apparentèr vindicatum ab æquiſsima damnatione per Sacram Conſtitutionem *VNIGENITUS*, æſtimabit, qui reflexiones, & allegationes Anonymi pro eo tantiſpèr perpendat, prudentèr diſtinguens, quæ temerè, & captiosè Anonymus confundit. Duo namque (ut alia quæ ad rem non faciunt prætermittam) diſcernenda ſunt ſacrificia, diſtincta ex parte offerentis;

ſui

ſimul, & rei oblatæ, quæ Scriptura, & Patres ex ipſa ſtudioſè diſtinguunt. Unum, & principale eſt, Deoque dignum, & quod ipſi maxime debetur, quo nos ab omni peccato mundos, & cor purum, ac charitate, ſeu amore ſui inflammatum, illi offerimus.

19 De hoc perfectò ex parte offerentis, & rei oblatæ ſacrificio, ſunt verba illa: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Ad quæ S. Auguſtinus: *Sacrificium iuſtitiæ opera iuſta ſunt poſt pœnitentiam .... ut extincto vel infirmato per pœnitentiam vetere homine, ſacrificium iuſtitiæ ſecundum regenerationem novi hominis offeratur Deo cum ſe offert ipſa anima iam abluta, & imponit in altari fidei divino igne, id eſt, Spiritu Sancto comprehendendam.* Et quamvis ibi dicat, poſſe etiam accipi de ſacrificio quod fit per ipſam pœnitentiam, dicens: *Non abſurdè hic accipitur ipſum eſſe ſacrificium iuſtitiæ, quod fit per pœnitentiam*: tamen prior acceptio, & poſtrema apud ipſum, videtur præferenda.

Pſ. 4. 6.

Enar. in Pſal.

Ex vtraque verò diſtinguendum eſſe, non confundendum, duplex ſacrificium, evidenter liquet.

20 Nec minùs hoc manifeſtum fit ex ſupra laudato Pſalmo, vbi cum David negans Deum velle ſacrificia, fateatur tamen non deſpiciendum ſacrificium cordis contriti, & humiliati, nimirùm ante adeptam per gratiam peccatorum diſplicentium veniam, poſt hanc tamen ait: *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ.* Ad quæ etiam S. Auguſtinus: *Modo autem ſacrificium pro iniquitate: tunc ſacrificium iuſtitiæ.* Ergo duo hæc ſacrificia, apud Scripturam, & apud S. Auguſtinum clariſsimè extant diſtincta.

Pſal. 50. 21.

Enar. in Pſal.

21 Sacrificium verò perfectum, quamvis ſatis iam ab Auguſtino explicatum, iterum illud definit, dicens: *Verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur .... relatum ſcilicet, ad illum finem boni, quo veracitèr beati eſſe poſſimus.* In quibus ſedulò animadvertendum cupimus, vt appareat mira conſonantia doctrinæ S. Auguſtini, quod cum de ſacrificio perfecto, & charitate incenſo, loquitur,

Lib. 10. de Civit. cap. 6.

Pag. 516 n. 17.

Pag. 111 n. 10. Pag. 124 n. 15. tur, illud *Verum*, & nos *Veracitèr* oblatos ad beatitudinem appellat: nimirùm iuxta ea quæ ex ipſo ſæpè obſervata habemus, de *veris* virtutibus, & de actibus *vere* bonis.

Ibid. 22 Rursùs inquit: *Si ergo corpus .... cum eius bonus, & rectus vſus ad Deum refertur, ſacrificium eſt, quanto magis anima ipſa cum ſe refert ad Deum, vt igne amoris eius accenſa, &c.* De quo etiam ſacrificio videtur loqui Apoſtolus cum ait: *Obſecro vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, &c.* Quia videlicet, hoc eſt quod maximè ab hominibus exigit Deus, dignum ipſo & peroptandum quod à nobis ſemper ipſi offeratur. *De cordis arca*, inquit S. Auguſtinus, *profer laudis incenſum, de cellario bonæ conſcientiæ profer ſacrificium fidei. Quidquid proferas accende charitate.* (Ad Rom. 12. — In Pſ. 35)

23 Aliud autem eſt ſacrificium non ita perfectum neque ex parte offerentis, quia nondùm iuſtus; neque ex parte rei propriæ oblatæ, quia nondùm munda: ſed quod non propterea ſpernit Deus, ſed imò gratantèr accipit, cum in fiducia meritorum Chriſti, & ſimul cum ipſo, qui pro toto mundo ſe obtulit ſacrificium propitiatorium, peccator Deo exhibet cor contritum, & humiliatum, vt ab ipſo ſanetur. De quo etiam S. Auguſtinus: *Manifeſtum eſt holocauſtis Deum non delectari, ſed pro ſatisfactione peccati gemitu, & dolore cordis veniam poſſe mereri. Sacrificium autem teſtimonium peccati voluit eſſe, vt ſe peccator per oblationem ſacrificij confiteretur peccaſſe.* Quæſt. Vet. Teſt.

24 Utrumque ſacrificium aptè diſtinguit S. Cyrillus Alexandrinus, docens hoc vltimum ſignificari per ſacrificium ab Hebræis in Ægypto oblatum: primum autem, & perfectum, per ſacrificium ab eiſdem in deſerto exhibitum. *Hi*, inquit, *qui ad liberam dignitatem Chriſti vocati, adhùc habitantes in Ægyptiorum terra ſacrificant Deo, valdè involuntariam Satanæ vitam ſervantes: ſi quis autem perfectè priſtinis moribus valedixerit, in deſerto ſacrificat, & laudatiſſimam agit vitam.* Quamvis autem Deo maxime acceptum fuerit ſacrificium in de- Lib. de ador. in ſpir.

deſerto, quod proindè tot miraculis contra duritiem Pharaonis procuravit; non fuit nihilominùs illi ingratum ſacrificium in Ægypto.

25 S. Gregorius Magnus de vtroque ſimilitèr, & diſerte agens, primum, & perfectum dicit eſſe holocauſtum, ideſt *totum incenſum*: ſecundum autem tantum, ſeu ex parte ſacrificium. *Iſraeliticus etenim populus*, inquit, *primum ſacrificium in Ægypto obtulit, ſecundum verò in Eremo. Qui itaque adhùc mentem habet in ſeculo, ſed boni iam aliquid operatur, Deo ſacrificium obtulit in Ægypto. Qui verò præſens ſeculum deſerit, & agit bona quæ valet, quaſi iam Ægypto derelicta ſacrificium præbet in Eremo: quia repulſo carnalium deſideriorum ſtrepitu, in mentis ſuæ quiete, atque ſolitudine, Deo immolat quidquid operatur .... Maius tamen eſt holocauſtum ſacrificio.* Lib. 2. in Ezech. Homil. 8. 16.

26 Nec propterea cenſet non eſſe Deo acceptum ſacrificium quod non eſt holocauſtum, ſeu illud quod à peccatore iam aliquid boni operante, in afflictione ſui cordis Deo exibet, quinimò alibi ait: *Gratum namque Deo ſacrificium eſt afflictio contra peccatum.* Lib. 1. Hom. 10. in Ezig. 7. Ita ſimiliter S. Chryſoſtomus in perſona peccatoris dolentis, & deſiderantis mundari, inquit: *Victima tibi Deo noſtro grata, & iucunda eſt humilitas. Quo circa pectore meo apprimè humiliato, ac velut extenuato, gratum tibi ſacrificium offeram. Sacrificij loco animi ſubmiſſionem tibi immolabo: quoniam peccatum meum diſcute, ac mihi Spiritum Sanctum largire.* In Pſ. 50. Ergo ante diffuſam per Spiritum Sanctum charitatem, victima cordis ad illum ſuſcipiendum ritè diſpoſiti, Deo gratum ſacrificium eſt.

27 Eſt vtique. Nam quamvis Spiritus Sanctus nondum ſit inhabitans per gratiam, eſt tamen adiuvans tùm ad ſacrificium fidei, tùm ad ſacrificium cordis compuncti, & concuſſi etiam timore iudicij divini, & horrore proprij peccati. Quod ſi culpa ſua peccator reſpuat Spiritus Sancti inſpirationes, tunc: *Sine ſuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium*, vt canit Eccleſia verbis ab Anonymo non modo tantum,

tùm, ſed alibi, & eadem importunitate pro ſuo Queſnellio allegatis, ac ſi dùm peccator accedit ad Deum, dùm credit, dùm ſperat, & quomodolibet pœnitet de peccato, hos actus Numine non aſpirante faciat, eo ſolum quia tunc gratia Janſeniana caret.

Pag. 518 num. 31.

28 Nec magis ad rem ſunt quæ ex S. Proſpero in ſuis carminibus affert: Nam præterquam quod iſtius generis ſcripta, non tam ad confirmanda, quam ad exornanda ſuis amplificationibus argumenta conducunt; S. Proſper in adductis ab Anonymo ſolummodò dicit, opera aliàs bona fieri peccata, & in errata verti, ſi ad aucupandam apud homines gloriam, & famam eliciantur, vel ordinentur. Tunc namque ea opera non exoriuntur ex ſemine fidei, ſed ex perverſo fine, cuius intentione imperata deordinantur; nec operans ſacrificat illis Deo, ſed ſibi. Non ergo mirum ſi peccata ſint, & in erratum vertantur. De quo abundè ſupra.

Pag. 307 per tot. Prop.

29 Reflexio Anonymi ſupra textum allegatum à Queſnellio, & cuius vult præſentem propoſitionem eſſe legitimam gloſſam, bona tantum eſt ad oſtendendum nobis argumentum validum contra Queſnellium. Et inſupèr, alter ſua interpretatione, & ſua alter reflexione, æque recedunt ab obvio, & genuino Scripturæ ſenſu, & a communiori SS. PP. intelligentia. Viſione namque illa demonſtratum fuit S. Petro, quod non debebat recuſare ſuum acceſum ad Cornelium Gentilem vocantem ipſum, vt de lege gratiæ, & doctrina Chriſti eum & alios inſtitueret, & baptizaret. Hic eſt ſenſus genuinus, & cunctis PP. probatus.

30 Iuxta quem, cum dictum fuit Petro, quod de animalibus ſibi in vaſe, aut linteo oſtenſis, occideret (non ad ſacrificandum, vt volunt Queſnellius, & Anonymus) ſed ad manducandum, & renuenti ob Judaicas obſervationes id facere, additum eſt: *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris*, ne ſcilicet, vt recuſabat comedere, renueret etiam ad Cornelium ire, quia vtrumque Judæis erat prohibitum. Hæc inquam nihil ad theſim Queſnellij, ſed imò apertè con-

Act. 10. 4 tra illam faciunt. Nam ſupponendum eſt ex cap. præcedenti, orationes, & eleemoſynas Cornelij adhùc Gentilis, fuiſſe nihilominus Deo acceptas, vt teſtatus eſt Angelus illi apparens, & dicens: *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Ergo hæc opera, & fidei, ac ſalutis deſiderium in Cornelio, fuere aliquod ſacrificium Deo acceptum, oblatum licet ab homine nondùm baptizato, & ſubinde gratia Janſeniana deſtituto: quod manifeſtum contra Queſnellium argumentum eſt.

31 In teſtimonio S. Gregorij ab Anonymo laudato, non dicit Sanct. Doctor Deum non accipere ſacrificium nondùm flamma charitatis incenſum: quin neque id niſi inconſequenter dicere poterat, qui, vt vidimus, aſſerit eſſe gratum Deo ſacrificium, cor afflictum contra peccatum. Quod itaque eis verbis intendit, eſt, gratiſsimum ſupra omnia alia Deo eſſe ſacrificium perfectum, quod dicitur à S. Gregorio holocauſtum, & vbi totum quod offertur igne charitatis incenditur, quodque ſemper, & maximè à nobis deſiderandum eſt, & cuius gratia aliæ partiales cordis oblationes, ſeu tantum ſacrificia, nondùm charitate accenſa, minimè Deo diſplicent, ſi S. Gregorio potius quam Queſnellio credamus.

32 Ille tamen ſuuſque Anonymus, & reliqui Janſeniſtæ, vt totum attribuant ſuæ inſuperabili gratiæ, nolunt in mente, aut corde peccatoris vllum adiuvante Deo gigni deſiderium, ſeu votum quod ipſi valeat offerri: & idcircò contendunt derelinquendum peccatorem in miſero ſui peccati ſtatu, vſque dum veniat gratia invicta quæ illum ſurgere faciat: intereaque contra Divinam Legem prohibentem ſacrificare Satanę, audent homines iſti, & ex ipſa Dei lege, docere, peccatorem dum caret illa inſuperabili gratia omnibus ſuis actibus neceſſariò ſacrificare Satanę, quia in eo, ſine illa, nihil eſt niſi impuritas, nihil niſi indignitas.

33 Hæc nepharia dogmata contenta in præſenti, & alijs propoſitionibus invicem cohærentibus, cum ſint fundamenta neceſſaria ad ſuperædificandam gratiam

tiam Janſenianam, demonſtrant proinde funeſtam, & exitialem totius ædificij molem, vt quæ ad evertenda fundamenta Religionis, ad Divinam Legem prophanandam, ad laxandam diſciplinam morum, ad doctrinam Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ ſpernendam conſtruitur. Ergo non laceranda, concidenda erat fatalis machina in tantam erecta perniciem, ne ad contorti fulminis ictum ſui Authores obſtreperent? Nam, *Inſonuere cava gemitumque dedere cavernæ.*

34 Meritò itaque illa per Sacram Conſtitutionem validis manibus Sanctiſsimi Clementis XI. emiſſam, diruta extat: eo quippè iure quo & S. Gregorius Magnus ore pleniore ſuos artifices hæreticos appellat: quos, & totam ipſorum operam, ſequentibus vivide repræſentat. *Hæretici mentes fidelium quæ iam aliquid de veritatis intellectu conceperant, perverſa prædicatione perimunt, & ſcientiæ ſibi nomen extendunt. Parvulorum corda iam de verbi conceptione gravida, erroris gladio ſcindunt, & quaſi doctrinæ ſibi opinionem faciunt .... Admonendi ſunt ne errores, diſcordiaſque generando, Legem Dei quæ idcirò data eſt, ut ſacrificia Satanæ prohibeat, eandem ipſam in Satanæ ſacrificium vertant.* Reg. Paſt. 3. p. c. 24.

LIX. PROP. COND.

Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit eſt novum in eos Iudicium.

PROPOSITION DU P. QUESNEL.

Ioan.10. 25. *La priere des impies eſt un nouveau peché, & ce que Dieu leur accorde, un nouveau Iugement ſur eux.*

JUDICIUM SS. PP. EX ANONYMO.

Prov.16. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino.*

Prov.28. 9. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, Oratio eius erit execrabilis.*

In Pſal. 108. S. Auguſtinus, ſuper illa verba: *Et oratio eius fiat in peccatum*, inquit: *Oratio quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit in peccatum.*

Tract.73 in Ioan. Idem. *Si hoc ab illo petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum eſt, ne quod poſſet non dare propitius, det iratus.*

Lib. 3. Similit.3. Hermas. *Quomodo poteſt homo qui non ſervit Deo, aliquid petere, & accipere à Deo?*

REFLEXIONES ANONYMI.

Occaſione Obteſtationis factæ per Judæos Chriſto, vt eis palam ſi Chriſtus erat, diceret: P. Queſnellius hanc habet reflexionem. Iniuſtitia, inquit, ingratitudo, malignitas, duplicitas, & arrogantia ſuæ deprecationis, merebantur vtique quod Jeſuſ-Chriſtus illis concederet ad vltimam eorum cœcitatem, & obdurationem ſuperabundantiam luminis, quod ad perdendum ipſum poſtulabant. Itaque de eis impijs qui ſimilibus diſpoſitionibus ſunt affecti, opportet intelligere propoſitionem P. Queſnelij. Numquid averſio contra ipſum efficiet damnabiles proprias Sanctæ Scripturæ expreſsiones? Bellarminus

ma-

materiam iſtam diſcutit, in ſuis Controverſijs, *De bonis operibus, lib. 1. cap. 6. dub. 3.*

ANIMADVERSIONES.

1 QUantumcumq; enitatur Anonymus propoſitionem iſtam mitigare, lenire, coarctare, ac flectere, numquam aſſequetur ſuis limitationibus, & explicationibus, quas aperto, & abſolutiſsimo ſenſu ſuo illa prorsùs reſpuit, vt abſque horrore impietatis, & blaſphemiæ, ab omnibus excipiatur. Qui namque videant præſentem theſim opportunè ſub hoc titulo ab ipſo Anonymo cum alijs adaptatam, quarum omnium vnicum negotium, & argumentum eſt, voluntati lapſæ totalem impotentiam ad bonum quodcumque agendum, ſolamque eidem poteſtatem liberrimam ad ſemper peccandum, ad aberrandum, ad ſe præcipitandum adſcribere: quis non illicò concipiat ſenſum iſtius propoſitionis, cum reliquis conſonum, non alium eſſe, neque aliud per ipſam ſignificari voluiſſe, niſi quod cuiuſcumque impij quæcumque Oratio ad Deum, novum peccatum eſt, quæ Dei non temperat, ſed imò contra orantem commovet iras?

2 Senſum iſtum, & non alium, ipſa illimitata propoſitio enuntiat. Eundem reliquę de eodem themate propoſitiones præſeferunt. Argumentum omnium illarum, intentumque, & ſcopus Queſnellij, ex vatiniano odio contra omnem gratiam ſufficientem, illum apertiſſimè oſtendunt. Fruſtaneo ergo conatu contendit Anonymus, illam moderare, & ſic moderatam, Scripturæ, & PP. teſtimonijs confirmare: nàm ea, vel ex hoc tantum evincitur impijſsima, & intoleranda, quia peccatoribus omnibus, ſine vllius exceptione, occludit portam orationis, per quam ad viam ſalutis ingrediantur: hoc enim dogmate ab oratione tamquam à peccato abhorrere docentur; vt neque iam cenſendi ſint peccatores præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati, ad orationem Dominicam pronuntiandam.

3 Quod quam abſonum,

&

& deteſtandum ſit, non meis, ſed S. Auguſtini vocibus ſit manifeſtum, cum videlicet demonſtrat ingens hoc abſurdum ſequi ex attributa humano arbitrio nimia poteſtate: quod æque colligitur ex negata voluntati humanæ lapſæ, potentia quælibet ad bene aliquid agendum: vt appareat vnum, & idem eſſe pernicioſum dogma quod ab erroribus extremis æque conſequitur. *Unde ſit conſequens*, inquit, *ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, hoc eſt, ne tentatione vincamur, vel cum fallit, & praeoccupat neſcientes, vel cum premit, atque vrget infirmos.* Quibus palam ſignificat ſe loqui tam de homine lapſo, quam de eo qui tentatur vt cadat.

De pec. mort. & remiſ. lib. 2. c. 2.

4 Perniciem autem ſequelæ, & proinde præſentis propoſitionis nequitiam, his quæ ſubiungit meritò ponderat: *Quam ſit autem noxium, & ſaluti noſtræ quæ in Chriſto eſt pernicioſum, atque contrarium, ipſique religioni qua imbuti ſumus, & pietate qua Deum colimus quam vehementèr adverſum, vt pro adipiſcendo beneficio Deum non rogemus, atque in ipſa oratione Dominica, ne nos inferas in tentationem, fruſtra poſitum exiſtimemus, verbis explicare non poſſumus.* Non itaque habet diſertiſsimus Auguſtinus verba quibus ſat explicet, quam execranda ſit doctrina quæ ſtatuit peccatorem, aut pro adipiſcendo beneficio ſalutis, aut ad evitandum lapſum in alia peccata, non debere, imò nec poſſe Deum rogare.

5 Quo verò horrore audiret Auguſtinus docentem, hanc ipſam orationem, nedùm non prodeſſe, ſed imò ita obeſſe peccatori, vt novo per eam peccato ſe polluat, reum faciat, & Deum ſibi iratum redat? Non fuit profectò tanta hereſiarchæ Joannis Vvicleffi audacia; non adeò impia eſt propoſ. illa XXVI. quam evomuit: *Oratio preſciti nulli valet*, vt qua tantum aſſerebat nulli valere orationem impij: nemini, nec conſequentèr ſibi prodeſſe: quam nihilominùs Concilium Conſtantienſe, veluti hæreticam proſcripſit, damnavit. Quid rogo cenſerent Patres illi de hac, quæ vltra addit cuiuſcumque impij orationem adeò ſibi & cunctis eſſe exitialem, vt *Seſſ. 8.*

quæ

quæ novum peccatum eſt, & à Deo diſtrictum iudicium, pœnas, & funeſta quæque tantum impetrare valet?

6 Ut quid ergo Deus cunctos homines, neque impios excipiens, monet, hortatur, iubet, petere, quærere, pulſare? Nunquid vt peccatores, quia petunt ſupplicia accipiant? Quia quærunt, perditionem inveniant? Quia pulſant, tremendum ſibi ad iudicium tribunal aperiatur? Hoccine de Clementiſsimo Deo, & nolentem mortem peccatoris, *qui dat omnibus affluentèr, & non improperat*, ſentiendum? *Talis igitur Deus? A corde amolitor, ac ſubmoveto haſce de Deo indecore conceptas imaginationes. Abs te propellito cogitationem eiuſmodi abhorrentem prorſùs à magnitudine Dei.* Aiebat S. Baſilius.

Epiſt. Iac. 1. 5.

Hom. 10. in Hexa.

7 Quid itèm de Eccleſia Matre dicendum, qui pro omnibus, etiam impijs, & abipſiſmet peccatoribus dicendas, tot habet orationes, publicaſque & privatas rogationes inſtituit? Innixa nimirum, infalibili promiſsioni dicentis, ſe daturum etiam petenti importuno: *Si non*, inquit, *dabit illi, eo quod amicus eius ſit, propter improbitatem dabit.* Si ergo dabit, intendit ne Eccleſia, quod peccatori ſuis rogationibus vtenti, & panem petenti, lapis detur? Aut roganti ovum, porrigatur Scorpio? Non id porro in afflictione noſtra de Dei pietate confidimus, vt ait ipſa Eccleſia.

Lucæ 11. 8.

In Orat. Rog.

8 Verum quidèm eſt, quod oratio non ſolius impij, ſed etiam iuſti, poteſt aliquando verti in peccatum, & in orantis iudicium. Videlicet, ſi ea petat, quæ iniqua ſunt vt petantur. Quamobrem S. Ambroſius, cum omnes ex textu Lucæ ad orandum provocet, ſubiungit: *Si tamen æqua poſcantur, ne in peccatum vertatur oratio.* Quod luculenter S. Auguſtinus explicuit de omnibus, ac præſertim de peccatore, ad verba illa: *Longe a ſalute mea verba delictorum meorum: Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* His namque ait ſignificari non iuſtum, ſed peccatorem, clamantemque verbis peccatorum ſuorum. *Nam hæc verba ſunt non iuſtitiæ, ſed delictorum meorum.*

Lib. 7. in Luc.

Pſal. 21.

Sup. Pſal.

Hanc

9 Hanc ſanè orationem Deus non exaudit, eam repellit, ſuper illam iraſcitur; quia non æqua, & quæ poſtulare debet, poſtulat: *Deus meus, clamabo ad te in rebus proſperis huius vitæ, vt non mutentur, nec exaudies, quia verbis delictorum meorum ad te clamabo.* Qui namque bonis terrenis, & mundana proſperitate abutitur ad offendendum Deum, dum ab ipſo poſtulat hæc ipſa bona, verbis delictorum ſuorum orat, clamat, & orando peccat, neque exaudiri mereatur: vel ſi exauditur, idipſum quod poſtulat obtinet in iudicium. *Ibid.* *In adverſis vtique*, inquit S. Auguſtinus, *huius vitæ clamabo, vt proſperentur, & ſimilitèr non exaudies. Neque hoc facis ad inſipientiam mihi, ſed potius vt ſapiam quid clamare me velis, non verbis delictorum ex deſiderio temporalis vitæ, ſed verbis converſionis ad te vitam æternam.*

10 Duæ itaque ſunt, aut poſſunt eſſe orationes impij. Alia propria ſuæ inſipientiæ, & impietatis, qua quicquam petat à Deo ad ipſum offendendum: qualitèr Judæi poſtulabant à Chriſto notitiam clariorem, & manifeſtiùs lumen de ſe ipſo, ad calumniandum illum: & hæc immunda prorsùs, ex immundis verbis, & intentione Oratio eſt, indigna quæ à Deo exaudiatur, niſi in orantis ſupplicium: *Et ideò*, ait S. Auguſtinus, *immunda delictorum verba non exaudies.*

11 Alia autem eſt oratio, quæ quamvis ſit à peccatore nondùm ſanato, & mundo, non tamen eſt immunda, non enim fit verbis delictorum ſuorum, ſed potius contra delicta ſua; non deſiderio terrenorum, non intentione perverſa, ſed deſiderio ſalutis, & animo ſerviendi Deo: & hæc oratio ex Dei ſapientia, diſerta, & ex eius promiſsione, fructuoſa eſt. *Ad te clamaverunt*, inquit S. Doct. *non verbis delictorum, à quibus longè eſt Salus, & ideò ſalvi facti ſunt.*

12 Qui has duas orationes cum Auguſtino, & cunctis SS. PP. non diſtinguat, neceſſe eſt incidat, quemadmodùm Queſnellius, in manifeſtos, ſacrilegoſque, vel contra Clementiam, vel contra Sanctitatem, & Juſtitiam Divinam, errores. Nam qui abſolutè

pp-

pronuntiaret, omnem orationem impij Deo acceptam eſſe; vt hac doctrinali, & vniverſali propoſitione comprehenditur quæcumque poſtulatio rei etiam vetitæ, perniciosæ, iniuſtæ, & malo animo facta; iniuriam prorsùs faceret ſanctitati Dei eam orationem iuxta ipſum acceptantis; malèque de iuſtitia eiuſdem ſic orantem non punientis, ſentiret. Ergo ſimiliter cum Queſnellius abſolute, & doctrinali propoſitione enuntiat, omnem impij orationem eſſe Deo ingratam: cum his comprehendat orationem converſionis impij ad Deum; apertam irrogat contumeliam bonitati, & clementiæ Dei, non audientis, aut non miſerentis ita ſupplicantem.

13 Quamobrèm Queſnellius vt cum Tertuliano loquar: *Male de Deo meruit ...... non inquirendo innocentia Magiſtrum, & nocentia Iudicem, & Exactorem.* Qui malè orantes, etiam ſi iuſti ſint, punit: benè autem deprecantes quamvis impios, exaudit, & miſeretur. Ita porrò diſcernendi ſunt orantes, & diſtinguendæ orationes. Obſervandumque eſt, quod cum Queſnellius ad præcedentem propoſitionem allegaverit textum illum viſionis animalium in linteo, quam habuit S. Petrus, non ibi offenderit, quæ præſentem penitùs revincunt, ſcilicet, orationes Cornellij Gentilis; nondum baptizati, nondum fidelis, quas nihilominus Deus gratas habuit: *Erat enim deprecans Deum ſemper.* Cui Angelus: *Orationes tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.*

Adv. Gent. cap. 40.

Act. c. 10.

14 Atque vt Cornelius Gentilis crederet, vt fidelis fieret; vt impius iuſtificaretur, voluit Deus ipſum orare, voluit deprecari: & quidem antequàm gratia inſuperabili illum traheret, qua ſola non egebat tot alijs vocationibus, illuſtrationibus, & exhortationibus, quas tamen Deus præcedere voluit. *Vide*, inquit S. Chryſoſtomus, *quanti fecerit quod credat Cornelius, & vt Angelus miſſus, & Spiritus operatus, & Princeps Apoſtolorum accerſitus, viſionemque talem vidit, & nihil omnino intermiſſum eſt.* Ut & Queſnellius, niſi nimia cecutiat luce, videat in homine nondum fideli, opera non damnanda, gratiam ſufficientem illi ad orandum

Hom. 22. in Act. Ap.

dum collatam, totque alia auxilia ad credendum, ac demum orationem, quæ non ipſi attulit de Cœlo iudicium, ſed Angelum.

15 Enimverò infidelis erat qui orabat, vel ſaltem tunc credere incipiebat, nondum Spiritum Sanctum inhabitantem acceperat. Orabat tamen cupiens ipſum, fidemque firmam, ac plenam accipere. Ergo non poterat Deo eſſe accepta oratio ab homine iſto, vel proptereà deſpiciendus erat orans, quamvis æqua & bene poſtularet? Minimè. Neque id adhùc poſsibile eſſe Clementiæ Dei, dicit S. Chryſoſtomus. *Quid igitur? Numquid acceptus illi eſt is qui in Perfidia agit? Si fuerit dignus, hac ratione acceptus erit ut aſſequatur fidem. Hinc etiam Eunuchum ex Æthiopia non deſpexit. Et quid dicet quis de his qui Deum colunt, & deſpecti ſunt? Abſit. Nullus qui Deum colit deſpicitur. Non enim poſsibile eſt, ut quis ulla in gente deſpiciatur unquam.*

Hom. 23.

16 Ita equidèm, nec deſpexit Cornelium Gentilem, nec Publicanum orantes. *Oratio Cornelij Cœlos penetrauit. Oratio Publicanum iuſtificauit*, inquit etiam Chryſoſtomus, cuius innumera alia teſtimonia ſimilitèr contradicentia Queſnellio, omitto, & præſertim quæ ex duobus verè aureis libellis, *De orando Deum*, apertiſsimè præſentem propoſitionem oppugnant. Etenim parabolam illam, qua Chriſtus nos docet ſemper orandum, viduæ ſcilicèt importunæ apud iudicem iniquitatis, dilertè exponens, ex comparatione diſsimilitudinis inter Deum Clementiſsimum, & Iudicem inhumanum, ita colligit. *Quid igitur coniectandum eſt de benigno Deo, ſi Iudicem crudelem adeo manſuetum reddidit vidua ſupplicans?*

Hom de ingreſſ. ſan.

Luc. cap. 18.

17 Quod revera hac ſua propoſitione de Deo à peccatore exorato, non tantùm coniectat, ſed planè affirmat Queſnellius, eſt, implacabilem prorsùs eius deprecatione fieri, qui per eam de novo offenſus, iratuſque, novum iudicium, & vindictam contra orantem exercet. Verùm hoc exiſtimantem ſic corripit Chryſoſtomus. *Quantam bonitatem, quantam humanitatem erga nos exhibebit Deus, qui non modo ſemper cupit miſereri, puniri numquam,* Ibid.

ve-

utrum etiam ob inſignem erga genus hominum charitatem, & ſupplicia comminatur nobis, & ingentia præparavit præmia, ut & metus ſuppliciorum arceret à vitijs, & premij ſpes extimularet ad virtutem .... Etenim, ſi is qui numquam cogitarat quicquam humanitatis cuiquam præſtare, ſubitò mutatur, miſertus eſt viduæ rogantis: quantam erga nos Dei ſolicitudinem, è Cœlo deportabit deprecatio?

18 S. Auguſtinus id etiam luculentèr nos docet ex hac ipſa diſſimilitudinis Dei, & Iudicis iniqui comparatione, aſſerens parabolam iſtam maximam eſſe ad orandum hortationem, præeunte ſcilicet fide, quæ per ipſam orationem vſque ad plenitudinem, & firmitatem meretur augeri: vt ſciant Janſeniſtæ, quod Auguſtinus etiam ibi Pelagianos increpans, gratiam ſufficientem agnoſcit, & propugnat. Et nè eum de iuſtis tantum loquentem fingant, exemplum affert in Phariſæo, & Publicano, ſimul orantibus, ſimul peccatoribus, ſed diverſimodè auditis: Phariſæus ob ſuperbiam, ad damnationem; Publicanus ob humilitatem, ad iuſtificationem. Non enim erat in iſto oratio novum peccatum, ſed pietas: *Conſcientia removebat, pietas applicabat: de longinquo ſtabat, ſed Dominus eum de propinquo attendebat.*

Serm. 36. de Verb. Dom. — *Luc. 18.*

19 Similitèr cuncti SS. PP. qui textum hunc, converſionemque Cornelij, & parabolam Iudicis illuſtrant; hæc ipſa prædicant, quæ manifeſtè repugnant dicti Queſnellianæ. S. Gregorius Magnus de Cornelio ait: *Si enim Deo vero, & ante baptiſmum non crediderat, quem orabat? Vel quomodo hunc Omnipotens Deus exaudierat, ſi non ab ipſo ſe in bonis perfici petebat? Sciebat igitur Creatorem omnium Deum, ſed quod eius Omnipotens Filius incarnatus eſſet, ignorabat .... Fidem ergo habuit cuius orationes, & eleemoſynæ placere Deo potuerunt. Bona autem actione promeruit, vt Deum perfectè cognoſceret, & incarnationis eius Myſterium crederet, quatenus ad Sacramenta Baptiſmatis perveniret. Per fidem ergo venit ad opera; ſed per opera eſt ſolidatus in fide.*

Lib. 2. in Ezech. Hom. 7. 9

20 Rurſus inquit: *Cornelius ante pro bonis operibus*

Ibid. lib. 2 Hom. 9. 4

bus meruit audiri, quam fidelis exiſteret .... conſtat quia hoc petijt unde meruit audiri. His planè refutantur quæcumque tam hic, quam ſæpè alias inculcat Queſnellius, damnans omnia opera infidelium, & quorumlibet peccatorum. Simulque aperte ſtatuitur divina gratia ſufficiens, tot videlicet auxilia, quibus ante vllam victricem ex charitate delectationem, Deus homines vocat, illuſtrat, allicit, & movet ad orationem, & ad alia opera, per quæ merentur quamvis non condigne, de congruo (vt dicitur) nedùm exaudiri, ſed & vberiorem gratiam, perfectamque, & ſolidatam fidem accipere cum charitate per Spiritum Sanctum in corde diffuſa: quæ ſunt dogmata ſanæ doctrinæ, cum dogmatis Baij, Janſenij, & Queſnellij pugnantia.

21 Nec minùs adverſatur S. Bernardus, qui de Oratione, & de modis orandi ex inſtituto agens, ea docet, exempliſque ex Scriptura, & Sententia S. Gregorij confirmat, quæ abſurdam, & falſam evincunt præſentem propoſitionem. Laudat namque obſecrationem, qua peccator per ſe non audens petere, per alios Deum rogat, exemplo illius mulieris quæ tetigit fimbriam veſtimenti Chriſti, vt ſanaretur. Laudat itèm orationem, qua peccator divina virtute adiutus, & confiſus, iam per ſe *ſecurus accedit, qui ſibi conſcius fuerit pro delictis præteritis, veniam quærens, & oratione vtens*: velut Maria Magdalena, quæ *Non veretur accedere .... quòd omnino iam propoſuerat in corde ſuo à peccato deinceps abſtinere.*

Serm. de Quat. mod. Or.

Matth. 9. 21.

22 Has orationes commendat, has à peccatore deſiderat S. Bernardus, quas Queſnellius ſua abſoluta propoſitione tanquam criminoſas condemnat, vt inaudita impietate homines deſperantes faciat, quos, nè orando peccent, ab implorando ſuorum peccatorum remedio arcet. At quis non horreat doctrinam adeo exitialem, documentis, & exemplis Scripturæ adverſam, SS. PP. ſententijs repugnantem, morum diſciplinam corrumpentem, Dei clementiam offendentem, & peccatoribus aditum ad eam implorandam, & pœnitendum, occludentem?

23 Primum namque hoc pec-

peccatori conſulit S. Bernardus, vt oret, etiam nondum charitate amans, ſed amaritudine peccatorum dolens. *Primum eſt*, inquit, *vt ipſi Domino in oratione loquens, recogites annos tuos in amaritudine animæ tuæ. Dehinc poſtquam in lamentis pænitentiæ aliquamdiù perſeveraus, hilaritatem quandam, & fiduciam conceperis indulgentiæ, accede iam ad poſtulationes, &c.* At hoc ipſum eſt, quod primò, ſecundò, tertiò, ac ſemper prohibet fieri Queſnellius, dehortatur namque peccatorem ab omni opere bono, à deprecatione, ab oratione:, ipſum de crimine peſsimo ſi orat, accuſat: novum iudicium illi comminatur. Quid ergo? Errat Bernardus, & rem attingit Queſnellius? Erit nè tantus Doctor, lumen Galliarum, damnandus, vt tantus Nebulo eiuſdem Galliæ tenebrio abſolvatur?

Ibid.

24 Profectò hac iniquiſsima prælatione parvipendendi erunt cuncti SS. PP. imò & Scriptura, & Concilia, quia conformibus cum S. Bernardo ſententijs contradicunt Queſnellio, quarum nonnullas, & ad rem aptiſsimas alibi commemoravimus; aliaſque plures, poſſunt Queſnelliſtæ, potuitque Anonymus videre apud Bellarminum loco ab ipſo laudato, vbi congrua diſcretione deprecantis benè, & bona; maléque & mala orantis, rem diſertè definit, alijſque SS. PP. teſtimonijs confirmat apertiſsimè contra Queſnellium loquentem abſolutè ſine conditione, ſine modo, omnia proindè confundentem, & laudanda, cum reprobandis temerè damnantem.

Pag. 473 num. 13. & ſeq.

Lib. 1. de bon. oper. cap. 1. 3. 7. & 9.

25 De quo ipſe Anonymus ſua reflexione eum accuſat. Si namque occaſione petitionis Iudæorum, ex perverſa intentione depravatæ, hanc ille protulit propoſitionem; cur non adiecit vnicum hoc verbum: *Oratio mala impiorum, &c.* quo diſcernens malam, & bonam orationem; rectè, & pravè orantes; in tuto poneret theſim, quæ vt doctrinalis, ſine ea limitatione, vniverſalem ſenſum falſum, abſonumque, continet, & præſefert? Quæ propterèa digna eſt, non lumine, quo expreſsiones Sacræ Scripturæ illuſtrari debent, ſed carbone, quo ſimiles, & conſultò inconſiderati errores litturantur. Audi Ano-

ny-

nyme, S. Cyrillum Alexandrinum hæc tibi, & tuo Queſnellio appoſitè dicentem. *Scias, & intelligas diſcernere quæ ſint opera lucis, & quæ ſint opera tenebrarum, & ſepara actus lucis de tenebris, vt ſint opera tua in lumine.*

Lib. 1. in Levit. in fin.

26 Hoc ergo documento, hac authoritate inſtructus, debuit Queſnellius diſcernere orationes quæ ſunt opera lucis, & orationes quæ ſunt opera tenebrarum. Noſque a Cyrillo edocti, diſcernimus, vt par eſt, Opus Sacræ Scripturæ, quod divinum, & luminoſum eſt, ab Opere reflexionum moralium Queſnellij, quod totum tenebroſum eſt: illudque illuſtrationibus SS. PP. digniſsimum; iſtud verò nec noſtra, neque adhuc tui Anonymi explicatione, dignum cenſemus. En ergo cur, non odio, non invidia, ſed magno merito Authoris, ſuas damnamus temerarias expreſsiones: cum ſimul adverſas illis Sacræ Scripturæ ſententias, Sanctorumque Patrum oppoſita inſtituta, amplectimur, & reveremur.

27 Hinc ad authoritates ex lib. Proverb. dicimus, ſermonem ibi eſſe de impio orante, deſiderio iniquo, & prava intentione victimas offerente, vel quia prohibita poſtulat; vel quia, & ſi bona temporalia petat, ea aut nimium requirit, aut ad peccandum petit. Qui namque nolens audire legem Dei illa prohibentem, pro eis obtinendis orat, ſacrificatque, Oratio eius execrabilis, & victimæ eius abominabiles ſunt Domino. Quem ſenſum ſat expreſſum in ſecundo teſtimonio, confirmant apertè illa ex Eccleſiaſtico invicem cohærentia. *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata, & non ſunt beneplacita ſubſannationes iniuſtorum... Dona iniquorum non probat Altiſsimus. Nec reſpicit in oblationes iniquorum.*

Cap. 34. 21. 23.

28 Hanc conformem horum textuum intelligentiam ſumimus ex S. Auguſtino eam paucis tradente, & illuſtri exemplo comprobante. *Sacrificia*, inquit, *impiorum, eis ipſis oberunt qui offerunt impiè. Nam vnum atque idem ſacrificium propter nomen Domini quod invocatur, & ſemper ſanctum eſt, tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accederit.* Alia quæ ibi habet, non minùs op-

Con. Epiſ. Parm. li. 2. c. 6.

opportuna ſunt contra Queſnelliſtas, quam adverſus Donatiſtas: dùm illi, quemadmodùm iſti, & ſimilitèr Scriptura abutentes, prohibere cupiunt orationes, vota, & ſacrificia facta à peccatore, vt quæ apud ipſos peccata ſunt.

29 An verò illi, & iſti, quos æquè, & apte cum ipſo Auguſtino nuncupare poſſumus: *Corde impudico, adulteros mentis ſuæ*: dicent *& Scelerata, ſuperbia: neminem eſſe inter Collegas ſuos, vel ſe ipſos, cum aliqua macula, & vitio, non membrorum, ſed quod peius eſt morum*; vt ipſis ſolummodo, tamquam immaculatis, liceat orare, & ſacrificia offerre? Superbe quidèm, ac falsò id dicant, cum imo de illis nos congruè dicemus, *Orationem eorum eſſe novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſſe novum in eos iudicium*. Ita porrò S. Auguſtinus. *Ibid. c. 5.* *Hæc omnia*, inquit, *multo congruentiùs de illis dicuntur, qui contra Eccleſiam Dei, toto, ſicut promiſſum eſt, orbe diffuſam, altare ſui ſchiſmatis erexerant, quod eos ſacrilegium omnes involuit, & quilibet vbilibet offert ſacrificium tali corde, vel factis, hac vt audire mereatur, perniciem ſibi infert.*

30 Eodem limitato ſenſu, & à Queſnelliano abſolutiſsimo prorsùs alieno, loquitur S. Auguſtinus in teſtimonijs ab Anonymo allegatis. Oratio namque illa quæ ab impio fit impiè, videlicet, vel ex ſuperbia vt phariſaica; vel ex pravo deſiderio, aut perverſa intentione, qualis fuit petitio Judæorum: nec fit, nec fieri poteſt per Chriſtum: quin potius fit contra Chriſtum. Quid ergo mirum, ſi illa fiat in peccatum, & iudicium impetret oranti? Quod prophetico ſpiritu David imprecatus eſt Judæ traditori, & de quo ibi S. Auguſtinus *In Pſal. 108.* *Oratio eius fiet in peccatum illi, quia non fit per Chriſtum, quem noluit ſequi, ſed perſequi.*

31 Eſt verò valdè notandum, quod ibi de ipſo Juda ait Auguſtinus, ſcilicet, quod potuit orare bene, & per Chriſtum, antequam ipſum traderet: quo manifeſtè agnoſcit S. Doct. adhuc in ipſo Juda, gratiam ſufficientem qua potuit orare, & quidem ſine gra- *NOTA.*

gratiæ Janſeniana inſuperabili, defecta cuius reipſa non oravit.

32 Aliud teſtimonium expreſſam prædictam limitationem habet eis verbis: *Si petitur unde homo lædatur exauditus*: quæ enim lædunt hominem, impie à Deo poſtulantur. Quamobrem hac ipſa ſententia exponit ibi S. Auguſtinus ſequentia S. Jacobi verba idem ſignificantia: *Petitis, & non accipitis, eo, quod male petatis, ut in concupiſcentijs veſtris inſumatis.* Id ipſum ſonat ſententia alia ex Herma, vel ex libro ipſi adſcripto, apud quem ibi homo non ſerviens Deo, & petens aliquid ab ipſo, eſt peccator impœnitens, deſtinatus tanquam aridum lignum ad combuſtionem: cuius proinde petitiones iniquæ ſunt, & ad pravas concupiſcentias explendas.

Epiſt. c. 4 3.

33 Vera itaque ac ſana doctrina de re iſta, quam Queſnellius ſua generali propoſitione fraudulenter confundit, & depravat, non ab ipſo illam corrumpente, ſed a Sanctis Eccleſiæ Patribus eam ex Sacra Scriptura haurientibus, debitaque diſcretione explicantibus, ut hactenùs vidimus, deſumenda eſt, quam perſpicuè S. Gregorius Magnus his comprehendit. *Penſate quæſo petitiones veſtras: videte ſi in nomine Ieſu petitis, id eſt, ſi gaudia ſalutis æternæ poſtulatis. In domo enim Ieſu, Ieſum non quæritis, ſi in æternitatis templo importunè pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius poſtulat veſtem, alius dari ſibi deprecatur alimentum .... Et hæc itaque à Ieſu petere, non eſt errare, ſi tamen non nimiè petantur. Sed adhùc, quod eſt graviùs, alius poſtulat mortem inimici, eumque quem gladio non poteſt perſequi, perſequitur oratione .... Quiſquis itaque ſic orat, in ipſis ſuis precibus contra Conditorem pugnat.*

Lib. 2. in Evang. Hom. 27. 7.

34 Eadem fermè habet S. Bernardus ut ex Gregorio quem allegat deſumpta; cuius proinde hæc pauca, quæ etiam rem totam complectuntur, ſat erit ex ipſo adnotare. *Caveat ne fortè, aut poſtulet non poſtulanda, aut minùs poſtulet quæ à Deo ſunt poſtulanda, aut ea tepidè quærat, quæ toto affectu, & omni tempore ſunt quæ-*

Serm. de Quat. mod. Or.

quærenda. His ergo præcautionibus, & alijs requiſitis attentionis, reverentiæ, &c. quæ ibi, & ex capite *de reverentia orationis* Regulæ S. P. Benedicti, ex inſtituto exponit, orationem laudat, commendatque, factam non in novum peccatum, aut judicium, ſed in maximum commodum, & remedium impij, è cœno ſuorum peccatorum per illam emergentis. *Quanta ergo reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedens, & repens ranuncula vilis?*

Cap. 20.

35 De hoc itaque loquitur, de inſigni peccatore, quem tamen ad deprecationem, & orationem tanquam ipſi maximè proficuas hortatur. Queſnellius ex adverſo eundem ab ea dehortatur tanquam à nephario crimine vindictam Dei promerente. Plurimis ergo titulis, meritiſque, iurè cenſendus fuit damnatione dignus, qui vel hac tantum propoſitione, Scripturæ, & contra Divinam Clementiam, adverſatur; Eccleſiæ praxi, & SS. PP. doctrinæ contradicit, ſacrilegus per hoc, & temerarius, atque inſupèr inhumanus, immitis, quia peccatoribus ipſam adhùc ſui remedij poſtulationem interdicit, quos cum orare vetat, ne orando peccent, ſpem vltra non peccandi, deſiderium etiam obtinendæ ſalutis aufert. *Qui enim*, inquit Innocentius I. *omnem vitæ ſpem reſpuit, atque contempſit, inimica damnabiliquè cor ſuum diſputatione confundens, credit nihil eſſe, quod à Deo accipiat, nec aliquid ſuper eſſe quod petat ad ſanandum ſe: qui ſibi hoc abſtulit, vlteriùs quid reliquit?*

Epiſt. 4. inſ. Aug. Ep. 92.

CONCLVSIO.

EXtremam iam imponimus manum priori huic noſtri operis parti complectenti quadraginta ſex Queſnellij propoſitiones à ſuo defenſore Anonymo diſpoſitas ſub ſex prioribus è duodecim thematibus, aut titulis, quibus ipſi libuit centum, & vnam, quas alio ordine recenſitas damnat Sacra Conſtitutio *VNIGENITUS*, comprehendere: reliquas quinquaginta quinque ad ſex alios ſpectantes titulos, æqua iſtorum partitione, parti ſequenti reſervamus. Quas modò ſtatera Sacræ Scripturæ, & Sanctorum

Patrum examinavimus, refertas reperiet turpibus erroribus; per id quod ſonant manifeſtis, turgenteſque, doloſa, & perverſa intentione ex eo quod moliuntur, vel unde fataliter fluunt, qui nec animi affectione ulla, neque præoccupatione judicij, illas perpendere velit. Obvio namque ſenſu ſuo, & naturali ipſa verborum ſignificatione, id enuntiant aperte, id expreſſe docent, quod totidem, aut ſimilibus verbis Sacra Concilia, Summique Pontifices ſæpe, vel in antiquis hæreticis, vel in eorundem Novatoribus, damnavere: quouque adverſa doctrina, palam, & conformiter repellunt Sacra ipſa Scriptura, Sanctiſſimique Eccleſiæ Doctores, ut perſpicuum fiet legenti, & comparanti tot ſingulis propoſitionibus non adaptata, ſed ultro apta teſtimonia, quæ dogmata dogmatis Queſnellianis plane pugnantia præſeferunt.

Quia vero propoſitiones hactenus diſcuſſæ, vel ad adſtruendam inſuperabilem gratiam Janſenianam, omnemque aliam ſufficientem exterminandam recta tendunt, vel quod potiùs, aut ſaltem æque verum eſt, ex contentione ſuſtinendi perfractè in hac re Janſenium, conſequutiones inevitabiles ſunt, quas deglutire tenentur qui famoſas quinque illius propoſitiones per ſummum nefas mordicus defendunt; exinde patentiſſima fit fraudulenta intentio Queſnellij prædictas theſes evomentis, doloſumque Anonymi conſilium eaſdem ſub præfixis titulis præmittentis, ita ſcilicet volentium antevertere enormem ſyſtematis illius abſurditatem.

Nimirum, ſub quo Diſciplina pœnitentiæ eſt, non conari ad pœnitendum, & ad peccatorum molem deponendam: non horrere flagitia, nec metuere pœnas, quinimò horrorem iſtum, metumque, maximè timendum eſſe: non item niti ad implenda, & obſervanda præcepta Dei, quia impoſſibilia ſunt; qui & ſuum olim dilectũ populum, noſq; ſimiliter, tanquam mancipia habet, dum jubet, neque ipſe facit, quod illos quondam lege ſua, noſque omninò impotentes facere jubet: non rurſus ullam cuilibet curam debere eſſe de bonis operibus, de honeſtate vitæ, de virtutibus moralibus, neque de ipſa fide, aut ſpe, quarum omnium actus in cunctis, ſive infidelibus, ſive fidelibus charitate deſtitutis, peccata ſunt. Qui, ad quodcumque bonum opus adeo invalidos, ineptoſque ſe fateri, & cognoſcere debent, ut prorſus cæci, & aberrantes ſint, etiam cum id ipſum in ſe ipſis agnoſcunt; peccanteſque, etiam cum afflicti ſe

pec-

peccare dicunt, Deum, ſi ipſi ſacrificia offerunt, offendentes, & provocantes cum orant. Atque vt quiſque ſibi hæc, quamvis nefanda Myſteria, ex Scriptura eruere poſsit, omni perſonarum generi licet eius lectioni incumbere.

Profectò, cum iſta adeo execranda ſint, quæ ſolo crepitu ſuo Chriſtianas percellunt aures, ſi tamen neceſſariò ſunt ſupponenda ad ſtabiliendam gratiam Janſeniſticam, & ſufficientem reijciendam: vel cum indeclinabili conſequentia ex aſſerta priori, & poſtrema negata, colliguntur; id equidèm argumentum irrefragabile eſt, invictaque ratio, ad explodendum ſyſtema quod non niſi talibus, & tam nefarijs erroribus ſuſtineri valet. Quos nihilominùs, protervi ſui aſſertores, & feculentæ cauſæ ſectatores, veluti ſelectiſsima ad mores Chriſtianos componendos documenta propugnant, atque ſibi adverſantes tanquam eorumdem corruptores reprehendunt. Quin & phrenitide agitati, in Medicum à quo curantur inſaniunt. *Vident enim*, vt de alijs aiebat S. Auguſtinus, *in cauſa ſe nihil habere, & linguas convertunt in nos.* In Clementem etiam, ſupremum vivumque in Cathedra Eccleſiæ Iudicem: à quo provocare audent pro cauſæ, ſententia eius deploratæ, imaginaria victoria, ad alterum Iudicem nondùm exiſtentem, non vivum; quos propterea idem Auguſtinus, vel ridet, vel exprobrat, ſomniantes vincere *apud alterum Iudicem mortuum.* Ac tandèm quod S. D. rogans, ac increpans ſimiles refractarios, eis ibidem dicit, dictum ſibi accommodent ſinguli Queſnelliſtæ. *In Pſ. 36 in fin.*

Quare tu... ipſam Cathedram dimiſiſti? Redi ad pacem, redi ad concordiam quæ te non offendit.... A Cathedra Catholica noli diſcedere.

FINIS.

Omnia correctioni S. Romanæ Eccleſiæ, & Sapientum eidem obedientium ſubijcimus.

278

Digitized by Google

005657725

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google